
NICOLAI MACHIAVELLI FLORENTINI PRINCEPS, EX SYLUESTRI TELII...

Niccolò Machiavelli, Antonio Possevino, Hubert Languet, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
B
45
NAPOLI

B
45.



Nic. Machiavelli
Florentini
PRINCEPS,
Editio nova prioribus
Emendatior.

LVGDVNI BATAVORVM
Ex Officinâ HIERONYMI DE VOGEL A°. 1643.

Nicolai Machiavelli Florentini

PRINCEPS;

EX

SYLVESTRI TELII FUL-
GINATIS TRADUCTIONE
diligenter emendatus.

Adjecta ſunt ejuſdem argumenti aliorum quorundam contra Machiavellum *ſcripta, de poteſtate & officio Principum contra Tyrannos.*

Quibus denuo acceſſit

ANTONII POSSEVINI IUDICIUM
de Nicolai Machiavelli & Ioannis
Bodini ſcriptis.

NAPOLI

LUGDUNI BATAVORUM.

Ex Officinâ HIERONYMUM de VOGEL.
Anno CIϽIϽCXLIII.

TYPOGRAPHUS HVMANO LECTORI S.P.D.

RECTE *Saluſtius profecto, Lector humaniſſime, inquit:* Majorum ſplendorem poſteris quaſi lumen eſſe: & neque eorum benefacta, neq; malefacta in occulto pati. *Nam quorum virtus ſingularis aliqua fuit, eorum quoq; recens memoria quam diutiſſime ſolet conſervari: cujus reſpectu dijudicari poſtea ſolent omnium illorum facta atq; dicta, quos ſcimus ab illis excellẽtibus viris eſſe prognatos. Id ipſum quoque evenit omnibus in univerſũ rebus magnis, illuſtriũ præſertim virorũ dictis factisque; inprimis vero iis quæ à ſummis ingeniis invẽta & excogitata fuerunt: quæ nequeunt ulla ratione in occulto contineri, ſed palam propoſita ſunt univerſo orbi: ceu ſcopus quidam, in quem multi, tela ſua jacturi, collimant. Quamobrem nemini mirum videri debet, ſi de Nicolao Machiavello tam variæ atque multiplices ſpargantur ſententiæ: & de eodem tam varia ſint hominum judicia. Fuit enim is ſummo ingenio, uſq; adeo, ut poſt hominum memoriam, nullum exſtitiſſe tantum exiſtimem, cum quo Machiavellus ſuo quodam modo conferri nequiverit. Hiſtoriarum omniũ tantam cognitionem habuit, ut ceu rebus omnibus gerendis interfuiſſet, cauſas, conſilia, progreſſus eventusq; omniũ, in animo promptos haberet; quæ res illi una cum acutiſſimo ingenio conjuncta, ad Reipublicæ adminiſtrationem, univerſumq; vitæ Politicæ uſum, tantum momenti attulit, quantum ratio cum experientia conjuncta, unquam alicui in aliqua arte aut exercitatione prodeſſe potuerit. In conſiliis capiendis, ac rerum ſuſcipiẽdarũ deliberatione, ſolus videtur Hiſtoriæ uſum in-*

tellexiſſe: tãta ſcilicet fuit ejus ſolertia & induſtria in conferendo domeſtica exempla cum peregrinis: præſentia cũ futuris atque præteritis; ſimilia cum ſimilibus; ut ex præteritis, rerum futurarum eventus prævidere perſæpe potuerit. Et quid multis opus eſt? unum ſufficit nobis argumentũ, ejus Diſputationes *nempe, quas diſcurſus appellavit de rebus à Tit. Livio prima decade ſcriptis. In quibus antiquiſſimam illam veterum Romanorum virtutem, tanquam in compendio comprehenſam expreſſit, ad imitandum propoſuit, & ob quas cauſas noſtra ætate hujuſmodi præclara facinora nulla patrentur, tam evidenter demonſtravit ut totius Hiſtor. ſuccum in iis comprehendiſſe videatur. Adeo ſcilicet, ut ex eorum lectione induſtrius Lector, qui vir bonus eſſe velit, ad vitæ politicæ uſum plus utilitatis, cognitionis ac experientiæ brevi temporis ſpatio ſibi comparare poſſit, quã ſi multos annos in evolvendis libris de Rep. ab alijs quibuſcunque auctor. ſcriptis, ſeſe maceraverit. Quæ cum ita ſint, tantumq́ue fuerit Machiavelli ingeniũ atque virtus; quid mirũ ſi aliqui ejus errores deterioraque conſilia, à toto propemodũ mũdo reprehẽdantur, omneſque clamitẽt, ſi quid callidiori conſilio, aut perfidia, in orbe Chriſt. geſtũ eſſe videatur, artes illas eſſe Machiavelli? Equidẽ* omne vitiũ tanto conſpectius in ſe quãto major qui peccat habetur: *atque hinc fit, ut Magiſtratus omnes in univerſũ, cum cætera vitia, tum crudelitatẽ maxime evitare ac fugere debeant. Sed idem ego contendo, poſſe etiam fieri, ut ſubditi magis intueantur Principũ ac Magiſtratuũ errores, quam eorum impellentes cauſas; quæ nonnunquã etiam ab ipſiſmet poſſunt depẽdere. Nõ dico, ſubditorũ delicta quamvis maxima, Principũ ac Magiſtratuum tyrannidẽ aut crudelitatẽ excuſare. Nã debet omnis magiſtratus talis eſſe, qualẽ deſcribit Homerus Agamemnonem ſuum,* Ποιμένα λαῶν, *id eſt,*

id eſt, paſtorem populi. *Vt ſicuti paſtor omnes ſuas cogitationes atq; conſilia eo dirigit, ut paſcantur recte greges, et tuti ſint à lupis cateruſq; feris animantib. ita magiſtratus ad ſubditorũ tranquillitatem conſervandam, & utilitatẽ promovendam, noctes atq; dies intentus ſit. Interim hoc aſſero, quod Medici faciunt, qui neque igni, neque ferro utuntur, quandiu ſpes eſt, per leniora medicamẽta morbum poſſe curari; cũ id deſperãt, miſericordia potius quã crudelitate ad urendum et ſecandũ permoventur. Qua in re, etſi quid vehementius aliquando ſit quam neceſſitas poſtulare videbatur; tamen totũ id attribuimus humanæ imbellicitati; quod ſi quid tale igitur, etiã in adminiſtranda Rep. evenit, cum delicta puniuntur, ignoſcendum eſt perinde ut Medicis, ac humanæ imbellicitati tribuendum, quæcunq; aliter, aut alio animo inſtitutoq; patrantur, crudelia ſunt, & abominãda merito. Neq; vero in eum finem iſthac á nobis hic dicũtur, quod* Machiavelli *viri clariſſimi laudes ex profeſſo perſequi cupiamus, multoque minus ut errores ipſius, quos in libro de* Princ. Viri inſtitut. *habet nõ parvos, defendere aut excuſare ullo modo velimus, aut Antagoniſtas ejus refutare in animum unquã induxerimus; ſed tantũ modo, ut inſtituti noſtri reddamus rationẽ. Conſtitueramus, Lector humaniſſime, ante aliquot annos, Virorum quorundam eruditiſsimorum inſtinctu & opera,* Nicolai Machiav. *ſcripta omnia, quæ ſũt partim politica, partim hiſtorica, partim deniq; de ratione bellũ gerendi, in Latinã linguam ex Italica transferre. Et cũ, ſumptu non parvo, præcipuã fere ejus operis partem abſolviſſemus, et in reliquis pergeremus, viſi ſunt viri quamplurimi, & ex iis quoq; aliqui doctiſsimi, editis libris, omnium calamitatum, quibus hodie Chriſtianus orbis afficitur, cauſas in unũ Machiavellũ trãsferre: quod is ſolus ad hujuſmodi ma-*

las artes & aſtutu perſidaq́; conſilia inſtituat, quibus Principes & Magiſtratus quoſdam uti contendunt ad hujuſmodi turbas, bella & alias calamitates in orbe Chriſtiano excitandas. Nos vero, etſi ex doctiſsimorum virorum (quorum opera in edendis libris etiam utimur) inſtitutione, exiſtimemus, ſummã illius viri prudentiã fuiſſe longo rerum uſu comparatam; eamque ſcripta ipſius legendo non admirari nequeamus; præſertim in Diſputationib. de Republica, *quarum prius fecimus mentionem: interim tamen errores ipſius, præſertim quos habet in libro De educatione Principis, nullo modo excuſamus neque defendimus. Sed interim tamen ſæpe venit in mentem, quod aliis in rebus accidere ſolet, hic quoq; permultis hominibus evenire, ut nempe antequam videant, legant, lectaque judicent, ſententiam pronuncient, vulgi famã potius ſequentes, quam certam rationem & argumenta. Nam, quam prompti ſint homines, præſertim hoc noſtro ſeculo, ad calumniandum & maledicendum, notius eſt, quam ut multis argumentis comprobari oporteat. At oportebat, ut Caius Cæſar apud Saluſtium recte docet, eum qui de re aliqua ſententiam ferre velit, ac recte judicare, ab omni odio & amicitia, itemque ab omni invidia eſſe alienum. Nunc vero cernimus, invidia multos bonos viros opprimi, maledictis lacerari & traduci tant opere, ut admiratione dignum ſit, eos qui nihil injuſte patrarũt, ſola malorũ hominum invidia & calũniis, in magnas ſæpe calamitates incidere. Quæ cum ſint noſtro hoc ſeculo admodum vulgaria, non exiſtimavimus ab incepto opere deſiſtendum: quoniam ſperamus, ſi vel omnia vel præcipua hujus ſcriptoris opera in publicum prodierint, fore ut qui nunc pauca quædam certis de cauſis vituperant, ij poſtea laudẽt quam plurima. Cum igitur hoc tempore, tã multa variaque in hunc ſcriptorem ultro citroq́; jactarentur, hunc modum eſſe putavi longe optimum,*

num, ad parandam editionem omnium Machiavelli operum, ſi eam partem illorum, de qua maxima eſt concertatio inter eruditos, conjunctam cum Diſputationibus contrariis eorum, qui illum maxime oppugnarunt, primo omnium in lucem ederemus. Videlicet Principis viri inſtitutionem: quæ controverſa eſt maxime, et proinde ipſi Machiavello, apud plurimos erudititiſſimos homines, maximam peperit invidiam atq; odiū. Edimus ergo illam nunc, non quidem ex nova quam paramus, omnium Machiavelli operum translatione, ſed ex antiqua & accurate emendata Sylveſtri Telij Fulginatis tranſlatione. Et ut omnes intelligant, nos hic nihil aliud ſpectare, quā ut Machiavelli ſcripta dijudicāda proponamus: huic operi maxime controverſo, cōjunximus quæcunq; invenire licuit ejuſdē argumenti ſcripta doctiſſimorū virorum cū Machiavelli in hoc doctrinæ genere diſſentientium; videlicet ut ingenioſus Lector utriuſque partis argumenta ponderans commodius de hac controverſia totoque Principum ac Magiſtratuum in ſuos ſubditos jure ſententiam ſuam ferre ac dicere poſſet. Atq; hæc res eo pertinet, ut calumniis locus nullus eſſe poſſit, ſed juſta tantummodo accuſationi ſimul & defenſioni. In qua accuſatione & defenſione, ſi evincere cauſam Machiavellum intellexerimus; Doctrinam ipſius ſive univerſam ſive partem illius aliquam amplectemur: Sin cadere eum videamus, eandem repudiabimus. Idq; in Repub. ſemper obſervandum, quantum fieri poteſt, ut accuſare quidem legitimè liberum ſit; calumniæ vero impediantur. Differunt autem accuſationes a calumniis; quod calumniari poteſt unuſquiſq; quemcunque, & ubicunque voluerit: neq; ad id probandum quod impingit adverſario, probatione ulla aut teſtibus utitur. Legitime accuſare difficile eſt, neque id ab unoquoq; præſtari poteſt: nam in legitimis accuſationibus requiruntur teſtes & probationes. Præ-

terea non poſſunt legitimæ accuſationes inſtitui, niſi coram Magiſtratibus aut concione populi. Calumniæ nullum certum locum habent; quod vel in foro, vel hinc inde per plateas, per tōſtrinas & inter comeſſationes, de hominibus ſpargantur: Et locum habent plerunque in Rebuſpubl. male inſtitutis, in quibus non exſtat ordinata quædam ratio accuſandi. Quo fit ut qui Rempu. recte inſtituere velit, in id præ cæteris incumbere debeat, quo liberum tutumq́ʒ ſit, legitime civem quemcunqʒ accuſare: atque id ubi legib. inſtitutum fuerit. ferri nullo modo debent calumniæ, ſed puniendi ſunt calumniatores, quod cum liceret eum, quem calumniatur, legitime & ſine ſuſpicione accuſare, id non faciat calumniator, ſed clandeſtinas ſpargat. Quod ſi hiſce rebus in Repub. non recte proſpectū ſit, multa mala patrantur: quoniam locus datur calumniis, & cives ob delicta non caſtigantur, ſed tantummodo perturbantur & ad calumniatores odio proſequendos incitantur: unde ſeditiones & turbæ in Republ. ortum habent. Et in Repub. quidem Romanorum huic rei optime erat proſpectum, quo factum eſt, ut quandoqʒ magna pericula, quæ Reipub. impendebant, propter calumnias excitata, juſta accuſatione & defenſione, averſa fuerint. Exemplum proponam ex lib. 6. Livii. Furij Camilli virtus liberata urbe à Gallorū obſidione, apud cives Romanos tantopere innotuerat, ut cæterorum nemo eſſet, qui illi non honorem quovis loco & tempore deferret. Solus Manlius Capitolinus hunc honorem illi atqʒ gloriam invidebat: putabatq́ʒ ſe conſervato Capitolio, æque bene de Repub. meritū, neqʒ etiam virtute bellica illo eſſe inferiorem. Ea invidia commotus, cum apud Patres illum in odium trahere non poſſet, ad plebem ſeſe convertit, & apud eam de Camillo cæteriſqʒ Patrib. varia conqueri cœpit. Inter cætera autem aſſerebat, aurum quod

civitas

civitas contribuiſſet ut ſe à Gallis redimeret, Gallis rurſus ademptum, apud Primores Patrum conſervari: quod quidem ſi recuperaretur, ſufficere ad liberandam ære alieno plebem. Quibus verbis fides à multitudine habebatur, augebaturve Manlij exiſtimatio tantopere, ut ad illum iam concurſus fierent, libereq; per urbem tumultuari inciperent. Quibus rebus cum Patres vehementer commoti eſſent, ac ſuſpicarentur, ne quid inde gravius oriretur, creant Dictatorem, eiq; mandant, ut cognita ea cauſa Manlij, impetũ coerceret. Dictator viatore ad Manlium miſſo, illi diem dicit. Comparuit ille ad tribunal ingenti plebis agmine comitatus. Cumq; iam conveniſſent, Senatusq; Dictatorem, plebs Manlium ut ducem ſuum in comitio intuerentur; Dictator ſilentio facto, ex Manlio quæſivit, apud quem ex patribus theſaurus ille cuſtodiretur? Senatum enim æque atque plebem id cognoſcere velle. Ad id vero cũ Manlius nihil certi reſponderet, ſed ſubterfugia quærendo, aſſereret, non eſſe opus, ut ea quæ ipſe ſciret, publice aperiret; à Dictatore in vincula duci juſſus eſt: atque ita ipſius calumnias compeſcens, tumultus excitatos ſedavit, & inſontes Patres ſuſpicione liberavit. Quod certe non tam facile præſtitiſſet, ſi non fuiſſet Romæ hoc liberæ accuſationis præſidium. E contra autem, in Florentinorum Republica, quæ olim & libera & præpotens fuit, nunc Ducum Florentinorum imperio paret, neglecta iſthæc libere accuſandi præſidia, & calumnijs conceſſa libertas, teſte eodem hoc noſtro Machiavello, plurimum ſemper nocuit, & eam Rempubl cã tandem etaim evertit: nam quicunque é civibus Florentinis aliquid magni pro patria geſsiſſent, ij omnes propter invidiam inimicorum, calumniis obnoxii fuerunt: Et de uno ſpargebatur, quod pecuniam publicam in ſuos uſus convertiſſet: de alio quod corru-

ptus muneribus hoſtem non viciſſet; aut quod ambitionis cauſa hoc, aut illud perpetraſſet. Ex quibus clandeſtina odia, & ex odio inimicitiæ, factiones, & tandem ſeditiones atq; tûmultus orti, quibus tandem everſa fuit Reſpublica. Quæ omnia evitari potuiſſent, ſi Florentiæ ſtatuta quædam atque leges exſtitiſſent, per quas legitime accuſare reos, & calumnias vitare licuiſſet. Nam quicunq; accuſati rei, ſive damnati, ſive abſoluti fuiſſent; Rempublicam certe non evertiſſent: neque tutum fuiſſet tot inſtituere accuſationes, quot calumniæ de variis civibus ſparſæ fuerunt. Exemplum unum, idem Machiavellus adducit de Iohanne Guicciardino, qui copiarum Florentinarum ductor Lucam obſedit; eamque, re male aut imprudenter geſta, nequivit occupare. Quo factum eſt, ut de eo ſparſa fama fuerit, quod a Lucenſibus corruptus urbem expugnare lubens noluerit. Quæ calumnia ab ejus adverſariis aucta atque approbata, Guicciardinum propemodum furiis exagitavit. Nam etſi ſe ipſum in vincula tradere vellet, ut ſe purgaret à crimine quod impingebatur, tamen eam ſuſpicionem à ſe removere non potuit: ob eam ſcilicet cauſam, quod Florentiæ non eſſet ratio quædam legitima audiendarum accuſationum & defenſionum, & calumnias puniendi. Itaque ortæ indignationes & odia inter ipſius familiares, qui erant totius Reipubl. potentiſſimi, & eos qui tales calumnias ſpargebant, eo uſque proceſſerunt, ut cum ob hanc rem, tum ob alia quædam, Reipublicæ ruina ſubſequuta ſit. Itaque orandus Deus Opt. Max. ut nos a calumniatoribus conſervet & cuſtodiat. Vale.

QVOT

QUOT SINT PRINCIPATUS FORMÆ, ET Quibus modis acquirantur.

Caput I.

QVAECUNQUE fuit unquam, aut eſt imperandi ratio, qua homines hominibus dominari conſuevere, ea aut *Reſp.* aut *Principatus* appellatur. *Principatus*, aut jure hæreditario obvenerunt, quorum majores ejuſdem generis diu principatum tenuerunt, aut novi ſunt: hique aut prorſus novi, ut Mediolanenſis Franciſco Sfortiæ, aut veluti pars principis occupantis hæreditariæ ditioni adjuncta, ut regnum Neapolitanum Hiſpaniarum Regi. Hi ſic quæſiti rerum ſtatus, vel aſſueti ſunt ſub principe vitam degere, vel immunes ſua libertate frui, quique acquiruntur alienis armis, aut propriis, vel fortuna, vel virtute.

Cap. II.

De iis, qui hæreditario jure obveniunt, principatibus.

OMITTAM de Rebuſpub. diſſerere: de his aliàs fuſius diximus. nunc duntaxat orationem ad principatum convertam, & quæ ſuperius jam orſus eràm retexés (qua ratione ſcilicet principatus hi gubernari ac retineri poſſint) narratione inſtitutam diſputationem perſequar.

In iis igitur Imperijs, quæ hæreditatio jure obveniunt, quæque jam eidem familiæ parère ante didicerunt, minus difficultatis ineſſe dico, quám in iis quæ recenter adepti ſumus. Satis eſt enim, ſi princeps ſuorum majorum inſtituta nô tranſgrediatur, deinde tempori ad rerum novos caſus inſerviat: ſic princeps hu-

juſmodi, ſi communi ſit & vulgari ſaltem prędirus in agendo induſtria, ſemper in principatu ſe conſervabit: at ſi hac vulgari careat, & vi ſumma ex eo deturbetur; poſtquam eo fuerit ſpoliatus, & ſi incommodum habeat occupantem, recuperat tamen.

Huius rei nobis in Italia princeps Ferrarienſis exéplo eſſe poteſt, qui nullis aliis de cauſis Anno 1484. Venetorũ, & 1511. Iulii Pontificis aggreſſionem ſuſtinere potuit, quam quod in eo genere dominatus, temporis diuturnitate conſenuiſſet. Qui enim natura eſt princeps, min⁹ cauſæ & neceſſitatis habet ut lędat, quo fit, ut etiam plus ametur: & niſi extraordinariis & prævalidis vitiis in odium offenſionéq; populi incurrat, merito naturali quodam iure à ſuis diligitur, & in ipſa vetuſtate cohærentis & continuati dominatus, obruta jacet memoria omnium mutationũ & converſionũ cauſæ. Semper enim quæ præceſſit mutatio, latera ædificii proiecta, aptaque ad alterius ædificationem adnectandam relinquit.

Cap. III.

De iis qui mixti dicuntur principatus.

SEd in eo qui recés acceſſit principatu difficultates continentur, tum maxime ſi veluti pars adjuncta (ut ſic in univerſũ mixtus dici poſſit) non penitus eſt novus. Ejus viciſſitudines & mutationes ex ea primum difficultate naſci vidétur, quæ in unoquoq; novo principatu cernitur. Spé enim meliora conſequédi illecti homines, libenter ſtatum rerum prę ſentium ſui principis mutatum volunt; eaque opinione adducti arma in eum, qui rerum potitur, capere ſtudent. Qua in re falluntur maxime. Nam re ipſa demũ ſentiunt in pejora ſe eſſe delapſos conſilia. Et hoc ipſum ité ut fiat, ex alia quæ à natura eſt & pervulgata accidit, quæ novo principi, eos ad quorum procurationem

tionem eſt evectus, tum copiis alendis, tum variis incommodis,& quas nova adoptio ſecum trahit infinitis injuriis, ſemper lædendi cauſam affert: ſic ut& eos, quos in occupando imperio prius læſeras, infenſos habeas,& qui te in illud invexerunt, in amicitia retinere nō poſſis. Nam quomodo ſibi ſpem animo conceperant, eis ſufficere non potes,& quæ acriora fuiſſent in eos adhibenda remedia, tibi eis devincto haudquaquam permittūtur. Quamvis enim in copiis munitiſſimus ſit quis & præpotens, provinciam tamen ut aliquam ſubeat, ope indiget provincialium, & favore.

His de cauſis Ludovicus Galliarum rex XII. Mediolanum à ſe occupatum ſtatim amiſit,& Ludovici Sfortiæ privatæ vires, ut ab eo adimeretur, ſatis ſuperque fuerunt. Qui enim ut paterent ei ingreſſus authores fuerunt, iidem populi (quod opinione, & futuri boni quam animo conceperant ſpe, fruſtratos ſe eſſe intelligerent) novi principis moleſtias ferre non poterant.

Illud tamen haud obſcurum eſte, populos jam ſemel ad defectionem prolapſos, ubi iterum ſub imperio fuerint redacti, majori cum difficultate amitti. Princeps enim defectionis occaſione arrepta, liberius ſui propugnationem & defenſionem ſuſcipit, pœnas de defectoribus ſumens, ſuſpectos prodens,& ſibi debiliora loca præmuniens: ſic, ut ſi unius Ludovici principis authoritas in confiniis arma ſtrepentis, tum primū ſatis ſuperque fuit, ut à Gallo Mediolanenſe imperium adimeretur, ut deinde iterum auferretur, univerſo pene orbi fuit in eum conſpirandum, & ejus copiæ tum fundendæ, tum ex Italia propulſandæ. Quod ſane ex iis cauſis profectum eſſe cōſtat, quas commemoravimus: nihilominus tum ſemel atque iterum fuit illi ademptum.

Expendimus prioris difficultatis communeis

neis cauſas; nunc reliquũ eſt, ut eas etiam, quæ poſterioris ſunt, videamus, ac explicemus, quæ remedia tum ille, & quisquis tunc in eo ſtatu eſſet, habere poſſet, quo melius quam Galliarum rex ſeſe in adepto imperio tueretur.

Ejus generis, inquam, rerum ſtatus, qui ſic comparati, avito cuipiam alteri adſociantur, qui ſit eius principis, qui eum eſt adeptus, vel ſunt ejuſdem provinciæ & linguæ ſocietate conjuncti, vel non. Si primum, facile admodũ fuerit eos retinere, præſertim ſi eorũ vitæ ratio ad libertatem non fuerit aſſueta; & ut tuto poſſideantur, ſatis eſt, principis, qui in eos imperium tenuit, ſtirpẽ extinxiſſe. Tunc cæteris in rebus, modo avitæ leges non immutentur, tum morum diverſitas abſit, quiete ſibi vivũt homines, uti Burgundos, Armoricos, Aquitanos, & Neuſtrios vidimus, cum Gallia diu conſociatos. Etſi enim linguarum inter eos nõnihil diſcriminis cernitur, facile tamen moribus & vitæ conſuetudine non abſimiles ſeſe in eã re mutuo ferre poſſunt.

Verum imperia quum comparantur in provincia, quæ lingua, moribus, inſtitutis diſcrepat: hic adſunt difficultates, hic labores, hic magna felicitate, ſummaque induſtria, quo retineantur, opus eſt. Præcipuum vero illud & vividioris remedii eſt, ut is qui ea eſt adeptus, ſua præſentia & domicilio fulciat. Id enim & ſecuriorem poſſeſſionẽ, & diuturniorem efficeret: Quemadmodum Turca ipſe in Græcia faciundum cenſuit, qui omnibus legibus ad illud imperium retinendum ſervatis, non potuiſſet tamen illud retinere, niſi eo demigrandũ, atque ibi inhabitandũ ſtatuiſſet. Præſens enim & quæ perturbate fiunt, & confuſe, cernit, ſtatimq; remedium afferre poteſt: ſe vero abſẽte, audit quidẽ, & certior fit de eorum magnitudine, at id eo ſcilicet tempore, quũ omnis remedii facultas penitus eſt adempta. Nec præterea

terea miniſtrorũ direptioni patebit unquam expoſita provincia. Tum ſibi ſatisfactum putant ſubacti populi, ubi ad præſentis principis perfugium proximus eis patet acceſſus. Quo majorem etiam (ſi boni viri eſſe in eum videri velint) animandi occaſionem habent. Sin minus, timendi. Si quis exterorum hujuſmodi principatũ cogitaret invadendum, id majori cautione tentabit: ſic deniq; ut ſi ibi maneat, ſumma cum difficultate eum ſit amiſſurus.

Alterum, quod huic rei affertur ex præſentioribus remediis eſt, ut in unum aut alterum locum ditionis adeptæ, veluti claves, coloniæ mittantur. Neceſſarium eſt enim vel hoc fieri, vel ut multum tum equitũ ibi alatur, tum peditum copiarum. In coloniis non multum impédit princeps, & nullo aut exiguo ſumptu eas deducit & retinet: eos autem duntaxat offendit, à quibus agros aufert & domos, novis coloniis aſſignandas, quiq; ad totius ditionis rationem minima pars cum cenſeantur, etiam diſperſi, & rerum egentes, dimiſſi nocere non poſſunt. Reliqui vero omnes, partim jacturæ immunes, (& propterea facile conquieſcunt) partim veriti ne quid ſtultè committant, timent ne idem ſibi accidat, quod & aliis diſpoliatis.

Quapropter comprehenſum atque concluſum velim, colonias, quæ nihil impendii ſecum ferũt, fideliores eſſe, minus lædere: læſos vero, cum ſint inopes & vagi, obeſſe (ut dixi) non poſſe. Quoniam animadvertendum eſt, homines, aut blanditiis deliniédos eſſe, aut prorſus extinguendos. Nam leviores ulciſcuntur injurias, graviores ulciſci nequeunt. Ob id, quæ homini affertur injuria, talis eſſe debet, & quæ vindictam non reformidet.

Sed ſi coloniarum loco militum copiæ ſubſtituãtur, majorem in ea re princeps ſumptum faciet, cum in præſidiis id totum ſit illi abſumendum

mendum quod ex ditione dederat proventᵒ : ſic ut partum quod illi erat, diſpendio cõmutetur. Offenduntur præterea multo plures: nã tota provincia caſtris mutandis læditur, cujus incõmodo cæteris omnibus affectis, in omnium etiã odium & offenſionẽ incurrit: & eorum ſcilicet, qui verberibus excepti, nocẽdi facultatem (cum domi ſint relicti) habent. Omni iccirco ex parte hujuſmodi præſidia æque utilia ſunt, atque coloniarum præſidia.

Impotentiorum præterea vicinorum caput & defenſorem ſe conſtituere debet qui hujuſmodi provinciam, ut dixi, lingua diſſimilẽ incolit, ſtudereq; , ut ij qui in ea ſunt potentiores infirmentur: tum caveat, ne ullo rerum eventu exterorum quiſpiam , viribus non minus pollens, in eam irrepât. Semper enim uſu veniet, ut ab iis, qui nimia ambitione illi ſunt offenſi, eo inducatur. Quemadmodum Romanos in Græciam ab Ætolis olim inductos eſſe conſtat, & quamcunque provinciam ſunt ingreſſi, in eã à provincialibus fuerunt inducti.

Natura enim ita comparatum eſt, ut ubi primum alienigenarum quis potens provinciam aliquã ſubit, omnes in ea qui minus potentia valent, ei ſtatim ſeſe adjungant, odio quodam nimirum in eum adducti, qui in ſe potentiorẽ ſunt experti, ſic ut ad tenuiorem ejuſmodi rationem minus ſit laborandum, ut eos in ſuas parteis trahat: nam partocũ imperio univerſi ſtatim libenter coeunt. Id ei duntaxat cogitãdum eſt, ne majores accipiant vires & authoritatem: ſua namq; præcipua vi, atq; eorũ ſtudio facile eos deprimere poteſt, qui potentia valet, ut prorſᵒ arbiter totiᵒ provinciæ evadat.

Hac autem parte non commode tractata, id totum perit, quod fuerat quis adeptus: quamdiu vero id retinetur, infinitis difficultatibus ac moleſtiis laborabit. Romani ſane in provinciis ſubactis, probe obſervarũt has partes,

coloniis deductis, debilioribus ſervatis, potētia pollentibus dejectis, nulla dignatione authoritateve exteris prępotentib⁹ ibi permiſſa.

Vnico Græciæ exemplo contentus ero: Achæi atq; Ætoli fuerūt ab eis ſervati: Macedonum regnum, dejecto Antiocho, attritum: Nec Achæorum merita, vel Ætolorum, unquam effecerunt, ut aliqua ſibi imperii fieret acceſſio: nec Philippi ſuaſionibus adduci potuerunt, ut eum non demiſſum in amicitiam reciperent: Nec Antiochi potentia fuerunt inducti, ut ſuo ipſorum conſenſu aliquam in ea provincia poteſtatem haberet.

In his deliberandi occaſionibus id Romani egerunt quod prudentes principes ſibi agendum putant, qui nō modo præſentium lapſuū occaſiones cernunt, ſed & futurorum proſpiciunt, illiſque omni induſtria occurrunt. Lōge enim ſi provideantur, facile aliquo remedio præcaveri poſſunt: verum, ut dum te propius appetāt cunćteris, nulla (morbo incurabili jam facto) opportuna curatione ſanātur.

Accidit autem de hac re quod in hectica febri ajunt medici, ubi ſcilicet primum aliquem init, facilem eſſe curatu, ſed cognitu difficilē: progreſſu vero temporis non percepta nec curata, facilem eſſe ut cognoſcatur, at ut quis eam ſanet perdifficilem. Sic in rebus imperii, ſi in poſterum quam longiſſime proſpiciantur (quod non niſi prudenti viro conceditur) quę in eo ſuboriuntur incommoda, illis expedita patebit curatio: verū ea non comprehenſa, ſi creſcere permittantur, quo omnib⁹ perſpecta pateant, nullus amplius eſt illis medendi locus. Quare Romani in poſterum longe proſpicientes adverſos caſus, ſemper remedia adhibuerunt, nec unquam paſſi ſunt, quo bellū aliquod detrectarent ut ea evenirent. Sciebāt enim, non ſubmoveri bella, ſed potius cum aliorū acceſſione trahi. Propterea bellū cū Philippo

lippo & Antiocho in Græcia geſſerunt, ne quid in Italia cũ illis eſſet agendum. potuiſſent ſane tunc temporis utrumque vitare, quod tamen noluerunt.

Nec id unquam probatum eſt illis quod omni omniũ noſtri temporis ſapientum ore effertur, temporis liberalitate fruendum eſſe: at propriæ ſane, quod erat ipſorum, & virtutis & prudentiæ. Tempus enim omnia præ ſe agit; æque bonum ac malum, & malum æque ac bonum ſecum ferre poteſt.

Verum redeat oratio unde digreſſa eſt, ad Galliam, & nunquid ex his, quæ dicta ſunt, aliquid præſtiterit, examinemus. Ne, quid Carol⁹ ipſe Galliæ Rex egerit, dicam, tantum de Ludovico loquar, cujus conſiliorum rationes, cũ diuturniorem poſſeſſionem in Italia retinuerit, melius perſpici potuerunt: tunc facile quis intelliget, eum, quæcunque agenda erant ad imperium retinendum, quod linguæ diſſimilitudine diſcreparet, neglexiſſe, diverſumque abiiſſe. Ludovicus Venetorum ambitione in Italiam fuerat invectus, qui eo adventu dimidiam Ciſalpinæ Galliæ poſſeſſionem illi deſumere voluerunt. Hunc acceſſum, ejuſque conſilii rationẽ improbatam nolim. Nam cum in Italiã pedem inferendi initium facere vellet, nec in ea provincia ullos haberet amicos; imo ex rerum geſtarum ratione Caroli regis, præcluſas ſibi omnes cerneret vias, quas potuit amicitias coactus eſt comparare. Et brevi utiq; ex animo cecidiſſet conſilium, ſi in reliquarum adminiſtratione rerum non erraſſet. Parta itaque Ciſalpina Gallia ab ipſo rege, ſtatim eam exiſtimationẽ & dignitatẽ recuperavit quam Carolus ſibi detraxerat Genua cedens: Florentini in ejus amicitiam venerant: Mantuanus & Ferrarienſis principes, Forumlivii domina, Bentivolus, Faventiæ, Arimini, Piſauri, tum Camertium, & Traiani portus

regu-

reguli: Lucenſes item, Piſcani, Senenſes: hi omnes obviam ei proceſſerant, in ejus amicitia futuri. Tum Veneti ſui initi conſilii temeritatem facile perſpicere potuerunt, qui ut duas in Ciſalpina Gallia urbes ſibi adjungerent, regem majoris Italiæ partis dominum conſtituerunt.

Nunc igitur animo quis perpendat, quam potuiſſet minimo labore ſuam rex dignitatem in Italia retinere, ſi quas ſupra poſuimus adminiſtrandi leges ſervare voluiſſet, & quos habebat amicos ſecuros reddidiſſet, eoſq; defenſos curaſſet: qui numeroſiores & imbecilles cum eſſent, pertimeſcentes nonnulli pontificios, alii Venetos, cogebantur perpetuo ab ipſo ſtare, eorumque opera facile ab illis, qui potentiores reliquis eſſent, ſecuriorem ſe reddere.

Verum ipſe ubi primum Mediolanum venit, totus his contrarius ivit. Alexandro pontifice à ſe ut Flaminiam occuparet adjuto. Nec animo præſenſerat, hoc conſilio, ſublatis amicis, & iis qui in illius ſinum confugerant, ſe debilitatum iri; Sacricolas autem tanta rerum profanarum ad juriſdictionem pontificiam, qua tanta eis defertur authoritas, acceſſione maxime provehi: atq; hoc pacto, cum labi cœpiſſet, pergendum fuit uſq; adeo, ut ad Alexandri ambitioni finem imponendum, ne totius Etruriæ dominus fieret, in Italiam ſibi contẽdendum fuerit. Nec ſatis habuit pontificios eo potẽtiæ evexiſſe, atq; amicos ab ſe alienaſſe, niſi etiam regnum Neapolitanum à ſe expetitum, cum Hiſpaniarum rege partitus eſſet, & arbiter totius Italiæ cum eſſet, ſocium ſibi adhibuiſſet, ut illius provinciæ viri ambitioſi, & ſibi offenſi haberent quo confugerent. Adhæc cum tributarium quempiam regem in eo regno dimittere poſſet, ipſe eum pepulit, altero invecto, qui ſe inde deturbare poſſet.

Res ſane è natura eſt maximè, maximeque pervulgata, ſtudiũ nimirum acquirendi: idque

homines cum faciunt (modo poſſint,) dabitur eis laudi, vel ſaltem vitio non vertetur. At quũ non poſſunt, & in id tamen incumbunt, hic vitium, hic error ineſt. Si Gallia ſuis viribus Neapolim invadere poterat, id ſibi faciendum erat: ſin minus, non erat cur illud regnũ divideret. Atqui ſi Ciſalpinæ Galliæ cum Venetis facta diſtributio, quod per eam in Italiam pedem intuliſſet, excuſationem præmeruit, hæc (quod ea excuſatione haud excuſaretur) quominus eſſet in crimine, non eſt promerita.

Prolapſus itaque fuerat in hos quinq; errores Ludovicus rex: debiliores extinxerat, potẽtioris Potẽtiam in Italia auxerat, & extero potentiſſimo in eam illato, coloniis item non deductis, eo nõ demigrarat ad habitandum. Qui errores poterant eo ſuperſtite non lædere, niſi & ſextum peccaſſet peccatum, à Venetis imperium auferendo. Nam ſi pontificios non promòviſſet, nec Hiſpanos in Italiam invexiſſet, eos deprimere neceſſe fuiſſet. Verum ſuſceptis quæ primũ intenderat, conſiliis, non erat cur ipſe in eorum ruinam conveniret. Nam quum illi potẽtes eſſent, facile reliquos omnes à Ciſalpinæ Galliç expeditione avertiſſent: tũ quod Venetorũ ad id habuiſſent (nullo ibi quæſito ab illis imperio) aſſenſum; tũ quod reliqui omnes à Gallis eam provinciã non ademiſſent, illis tradituri. Vt autem uterq; in eos impetũ facerent, nõ ſatis habuiſſent animi. Rationibus autem prænarratis reſponderem, ut res dicaret, Flaminiam Alexandro, Hiſpanis vero regnum Neapolitanum vitãdi belli occaſione ceſſiſſe. Non eſt mirum quod quis quid confuſe factũ permittat evenire, quo bellum refugiat: non enim vitatur, ſed ſuo magno malo differtur. Si qui eſſent præterea qui afferrent Pontifici datam fidem à rege, de ea expeditione in ejus gratiam facienda, quo ſuum matrimoniũ & Rotomagenſis galerus ſtatueretur,

Re-

Reſpondeo eo in loco, ubi de principum fide & illius obſervatione infra tractatur.

Amiſit igitur Ciſalpinam Galliam Ludovicus rex, quum ad ea præſcripta non egerit, ad quæ cæteri, in ſibi adjungendis provinciis, eiſque retinendis, egerunt. Nec hoc mirum eſt, ſed rationi maxime conſentaneum, maximeq; pervulgatum. De hac autem, quam habui ſubjectam materiam, colloquutus ſum Condivinci cum Rotomagenſi cardinale, Valentino (hoc enim nominis erat Cæſari Borgiæ Alexandri Pontificis filio) Flaminiam occupante. Italos enim aſſerenti belli imperitos eſſe, Gallos reſpondi regnandi rationem non tenere. Ea enim ab eis ſi probe fuiſſent intellecta, ſacerdotum potentiam ad eam magnitudinem non ſiviſſent evehendam. Et ſane re ipſa patuit, illam, & Hiſpanorum in Italia potentiam, à Gallia eſſe profectam; ejus denique caſus ab ipſis ſic evectis ortum habuiſſe.

Quare generalis elicitur ſententia minime fallax: AVTHOREM ALIENAE POTENTIAE SEIPSVM PERDERE. Nam eam potentiam, aut induſtria, aut vi ipſe author protulit, quarum utranque is ſuſpectam habet, qui eo proceſſit potentiæ.

CAP. IV.

Cur Darij regnum ab Alexandro occupatum, à ſucceſſoribus poſt ejus mortem non defecerit.

ADmiratione quis duci poſſet, perſpectis difficultatibus, quæ haberi videntur quo nuper partum imperium retineatur unde ortum habuerit, Alexandrum Aſiæ paucis annis potitum eſſe, vixq; illo occupato diem obiiſſe: unde merito videri poterat, totũ illud imperium ad defectionem fuiſſe prolapſurum, quũ tamen ejus ſucceſſores ſibi illud conſervarint. Nec ulla alia difficultate ad illud tuendum laborarunt, quam quæ inter ipſoſmet præcipua

eorum

eorum ambitione orta fuit. Reſpondeo, principatus, quorum memoria adhuc extat, dupl: ci, eaque diverſa rati one adminiſtratos inv niri: aut unius principis arbitratu, cujus gr tia & permiſſu reliqui omnes, qui condit ſunt ſervi, ad regni procurationé veluti a niſtri opem ferunt: aut principis & proce conſilio, qui non gratia, ſed ſanguinis vetuſ. te, illum gradum obtinent. Hujuſmodi pro ceres ditiones habent, & qui ſibi ſubjiciuntu populos, qui eos in dominos agnoſcunt, & quodam naturali erga eos afficiuntur amore Qui unius principis ductu, ſervorumq; miniſterio regũtur principatus, illis princeps præeſt majori cum auctoritate. Nemo enim in tota provincia eſt, qui præter illum ſuperiorem alium agnoſcat, & ſicut alii morem gerit, id tanquam adminiſtro adſcripticioq; facit, nec ſunt illi ullo peculiari amore affecti. Horum duorum regni procurandi generũ exempla in hæc noſtra tempora incidunt: Turca & Galliarum rex. Turcæ tota imperii ſumma poteſtas, unius principis nutu regitur, cæteri conditione ſervi: atq; in præfecturas diſtributo regno, diverſos allegat adminiſtratores, & pro animi ſui voluntate abrogat, ſubrogatque.

Verum Galliarum rex poſitus eſt in medio antiquæ multitudinis dominorum, quos agnoſcunt populi ejus ſubjecti, & benevolentia complectuntur: retinent ſuam authoritatem, quã ab eis rex ſine periculo auferre nõ poteſt. Quocirca utrumq; ejus generis ſtatum qui animo reputat, is Turcæ imperium occupaturus difficultates offendet: ſed eo devicto, nulla eſt difficultas, quomodo retineatur.

Difficultatum cauſæ quo minus Turcæ imperium occupari poſſit, in eo vertuntur, quod qui illud occupare molitur, haud poteſt à principibus illius regni eo vocari, nec in ſpem adduci, eorum qui illum circumſtant defectione,

in-

inceptum facilius reddi. Quod ex his, quas ..igi ſuperius rationes, proficiſci videtur. ..am quum omnes ſint ejus mancipia, eique ..ncti multo difficilius corrumpi poſſunt: ..uidem corrumperentur, parum inde ta- ..e utilitatis ſperari poſſet, eum ipſi ex alla- ..ſuperius rationibus, populos ſecum trahe- ..e non poſſint.

Quapropter Turcam impetituro, illum ſe collectum cogitandum eſt ſe eſſe inventurum, & magis propriis viribus, quam aliorum ſtudiis, & ſeditionibus ſuperandum, eo autē debellato, acieque fuſo, ſic ut exercitum reficere nequeat, nihil eſt, quod præter principis ſtirpem, ſit præterea timendum: qua extincta, nemo eſt (cęteris apud populos fide & auctoritate carentibus) de quo quis quem timeat reliquum. Et quemadmodum ante partam victoriam nullam in eis ſibi aſciſcendis poterat victor ſpem collocare, ita ſecundum illam, non eſt quod amplius de illis reformidet. His contrarium accidit in regnorum (uti Galliarum eſt) procuratione. Facilis enim tibi aſciſcenti aliquem ex primariis regiis patebit in illa acceſſus: in eis enim nunquam non inveniuntur, qui animo offenſi res novas moliri ſtudeant. Hi ob eas, quas ſupra diximus, rationes, ad illud regnum viam tibi aperire, atque victoriam expeditiorem reddere poſſunt, ad quam poſtea tuendam difficultates jam adſunt pene infinitæ, non modo cum eis, qui tibi fuerunt auxilio, verum & cum illis, quos oppreſſiſti. Non ſatis habet principis ſanguinem extinxiſſe, ſuperſunt etiam primarii illi, qui novarum ſtatus converſionum authores ſeſe conſtituunt, quibus quum ſufficere nō poſſis nec extinguere, illud quandocunque ſeſe occaſio obtulerit, amittis.

Nunc ſi ſpectes quo in genere adminiſtrationum fuerit illud Darii regnum, Turcæ ad-

modum ſimile invenies. Hac de cauſa Alexandrum oportuit in illud totum impetum facere, eumque caſtris exuere. A qua victoria mortuo jam Dario, ſecurum illud imperium, ex his quas ſupra collegimus cauſis, ad eum conceſſit. Succeſſores vero ejus, ſi concordes fuiſſent, plane otioſi eo frui plane poterant: nam nihil tumultus in eo ſubortum eſt, quam quod ipſimet inter ſe excitarunt.

Verum qui inſtar Gallici regni ſic conſtituti ſunt dominatus, fieri non poteſt, ut tam pacate poſſideantur. Hinc crebræ Hiſpaniarum, Galliarum & Græciæ à Romanis defectiones, quod frequentiores eſſent in illis principum ditiones, quarum memoria quamdiu viguit, de earum poſſeſſione Romani ſemper incerti fuerunt. At potentia & diuturnitate imperii deleta earum recordatione, ſecurum jus poſſidendi ſecuri habuerunt. Atque deinde ſecundum quam quiſque illorum ſibi in partis provinciis peperiſſet authoritatē (etiam inter ſe bellum gerentes) illarum quoque partem ſecum trahere potuerunt: idque propterea, quod veteris principis ſublata ſtirpe, quam Romanos agnoſcebant neminem.

His itaque perſpectis, nemo Alexandri explicati commodo in retinendo Aſiæ imperio admiratione capietur, neque difficultatum, quas complures principes habuerunt (ut Pyrrhus & alii multi) in retinendo quod eſſet illis partum. Id enim non victoris aliqua exigua vel ſumma evenit, ſed pro rei ſubjectæ diſſimilitudine & varietate.

Cap. V.

Quomodo civitates aut principatus regi debeant, qui ſuis legibus & libertate vivebant.

Parti dominatus, ſi ex veteri conſuetudine libera fuerit, & ſui juris vivēdi ratio, in eo, ut

ut jus tuum retineas, triplex affertur modus. Primus, ut illum penitus evertas: alter ut eo ipſe demigres ad habitandum: poſtremus, ut ſuis legibus & libertate (annuam duntaxat penſionem exigens) ſinas illum vitam degere. Paucorum item ibi, qui illum dominatum tibi in amicitia conſervatum curet, conſtituas: qui dominatus cum à principe ſit ibi locatus, novit ſine ejus amicitia & potentia ſe non poſſe conſiſtere, obnixeque omnia propterea ſibi facienda exiſtimabit quo illum illum illi tueatur.

Spartiatæ atque Romani exemplo nobis eſſe poſſunt. Athenas Spartiatæ obtinuerunt, & Thebas: ibique paucorum dominatu conſtituto, amiſerunt tamen. Romani Capuam, Carthaginem & Numantiam cenſuerunt delendas; non amiſerunt. Græciam fere ad Spartiatarum modum retinere voluerunt, nec abrogatis ejus legibus, eorum votis reſpondit: ſic, ut ad eam retinendam coacti ſint multas in ea provincia urbes evertere. Quocirca nullum conſilium tutius afferri poteſt, quo ſecure poſſideantur, quam everſio. In cujus enim poteſtatem venit civitas, ſuis legibus quæ ſit aſſueta vitam ducere, nec is evertendum putat, illam ſe everſuram expectet. Semper enim deſciſcendi tempore habet, quo cõfugiat; ad ſuos nempe illos priſcos ordines, qui nec temporis diuturnitate, nec beneficiorum collatione unquam oblivioni tradi poſſunt, & ut quibus fiat, quicquid proſpiciatur (non diſtractis ac diſſipatis habitatoribus) nunquam illud libertatis nomen, inſtitutaq; ex eorum animis excidunt, & ad omnem rerum eventum ſtatim eo fit reditio: veluti à Piſanis poſt tot annos à ſervitute illa, ad quã Florentini eos adegerant, factum vidimus.

Verum civitates, aut provinciæ, quæ ſub Principe cujus ſtirps tota perierit, parere ſunt

aſſuetæ, liberam vivendi rationem non norunt, ut ad arma capienda tardiores habeantur, faciliuſque princeps eos ſibi conciliare, & ab eis ſe ſecuriorem reddere poteſt. Partim enim obedire conſueverunt, partim amiſſo veteri principe, in ejus locum, quem alium ſufficiant, inter ſe conveniunt.

At in Republ. vita eſt diuturnior, odium majus, major vindictæ cupiditas, nec veteris illius libertatis memoria ſinit, aut eas ſinere poteſt, ut conquieſcant, ita ut ſecurior ſit ratio, qua aut excitantnr, aut ibi reſideatur.

Cap. VI.

De novo Principatu, qui propriis armis & virtute acquiritur.

Ne quem capiat admiratio, ſi eam quam ſum de principatu prorſus novo inſtituturus orationem, illuſtria cum principum tum principatuum proferam exempla. Cum enim homines aliorum pervagatas vias incedant, & imitatione in ſuis actionibus procedant, nec prorſus tamen aliorum vias tenere, aut quorum imitaris virtutem conſequi poſſis, viri prudentis eſt, ſemper præſtantium virorum iter ingredi, & qui excelluerunt eos maxime imitari; ne, ſi virtus propria eo non accedit, aliquid ſaltem odoris affletur, prudentium ſagittariorum exemplo, qui quo ad feriendum intendunt, longius eſſe conjectantes, ſuiq; arcus vi quouſq; feriat cognita, altius ſibi ſcopum proponunt, quam ut ſit meta ad hoc deſtinata: non quo ad tantam altitudinem ſuo robore, aut ſagitta eo impellant, ſed ut ductu altioris ſcopi quo collimarunt, pervenire poſſint.

Principatum propterea omnino, qui in ditionem novi principis, cui jam procuratio ejus eſt delata, conceſſit, plus minuſve difficultatibus ad ejus conſervationem perinde conflictari

ſtictari dico,prout qui illum eſt adeptus, plus minuſve virtute eſt cumulatus. Et quoniam talis rei eventus, quo quis ex privata ſtatus ſui conditione ad imperium erigitur, præ ſe fert virtutem quandam, aut fortunam, utraque harum duarum nonnihil ex difficultatibus, quibus afficitur mitigari videtur: tamen qui minus fortunæ inſedit favori, is diutius ſeſe in principatu conſervatum tenuit.

Parit etiã expeditiorem facultatem, quod princeps cum alibi ditionem ullam non habeat,adigitur,ut eo demigret præſens adfuturus ad habitandum.Verum ut ad eos,qui non fortuna,ſed ſingulari virtute in principes ſũt evecti, veniamus; excellentiores dico fuiſſe Moſen,Cyrum,Romulum,Theſeum, & id generis alios. Et ſi de Moſe non eſt quod loquamur (ut qui duntaxat, quæ ſibi divinitus fuerunt à Deo præſcripta,pure fuerat exequutus) nihilominus ob eam gratiam, qua Dei colloquio dignabatur, merito quis eum admiretur. Atqui Cyrum & reliquos,qui regna ſibi pepererunt, & conſtituerunt, ſi quis conſideret,omnes admiratione dignos inveniet: ſiq; eorum cum Moſis, cui tantus contigit præceptor, actionibus & peculiaribus inſtitutis conferantur,haud diſſimilia videbuntur. Atque eorum rerum geſtarum, & vitæ ratione perpenſa, nihil quam occaſionem à fortuna eis fuiſſe oblatam ſentiemus, quæ occaſio facultatem præbuerit, quo eam formam inducerent,quam ſibi fore aptam judicarunt.Qua occaſione ſemota eorum animi virtus extincta jacuiſſet,& ſine virtute occaſio,fruſtra ſeſe obtuliſſet. Neceſſarium itaque fuerat,Iſraeliticum populum Moſi captivum in Ægypto teneri, ab ipſiſque Ægyptiis opprimi, ut duro ſervitio ſi levari voluiſſent,ad illum ſequendum eſſent animo jam affecti. Per opportunum fuerat Romulum una Alba non capi, &

recens à partu projici & exponi, quo Romano Imperio potiretur, & tantæ civitatis haberetur conditor.

Cyrum, neceſſe fuit Perſas Medorum imperio infenſos, Medoſque ipſos diutina pace & otio, tum molles, tum effœminatos offendiſſe.

Exerere animi ſui virtutem Theſeo non dabatur, niſi vagos diſperſoſque Athenienſes inveniſſet. Felices igitur hæ occaſiones, hos viros effecerunt: ipſa autem occaſio eorum animi virtute præſtanti, fuit perſpecta & cognita, ex quorum patria, tum nominis amplitudinem, tum ſummam felicitatem eſt conſequuta.

Qui horum exemplo virtutis ductu ad imperii procurationem evehuntur, labore rerum potiuntur quidem, at partum ſumma felicitate poſſident. Ex novarum rerum legum ſanctione, & conſtitutionum modis aliqua ex parte ſuboriuntur, quæ habentur in acquirendo principatu difficultates, quod ſcilicet ipſis principibus neceſſitas illarum inducendarum affertur, quo eorum ditio & ſecuritas confirmata nitatur.

Conſiderandum quidem eſt, nihil difficilius ad tractandum, nihil incertius ut obtingat, nihil denique periculoſius ut ſervetur, quam inducendarum legum novarum ſeſe authorem conſtituere. Qui enim primus eas ſancit, infenſos omnes illos habet, qui ex antiquis inſtitutis commoda capiunt. Quibus vero novi rerum ordines utilitati forent, frigidi defenſores apparent. Qui tepor, tum adverſariorum metu, quibus leges fructuoſæ ac beneficiæ habebantur, tum ex hominum incredulitate, qui nunqnam novæ rei fidem habent, niſi firmam experientiam inde profectam videant. Hinc ortum habet, ut quoties adverſariis invadendi occaſio ſeſe offert, id

factioſe

factioſe agunt, illi vero frigide defenſionem ſuſcipiunt, ſic, ut ſimul omnes periclitentur.

Expendendum eſt, idcirco, ſi probè hanc partem diſcuſſam volumus, an iſti novi legum conditores, ſeipſis tantum nitantur, an ex aliis pendeant: id eſt, an ut poſſint quod inſtituunt, effectum reddere: an alios rogare ſit opus, an poſſint cogere. Si primum nunquam non peſſum abeunt, nec quicquam ad effectum deducere poſſunt. Verum ubi à ſeipſis pendent, atque cogere poſſunt, jam tum eſt, quum raro periclitantur. Hinc factum eſt, quos prædiximus armis inſtructos, eos omnes victoriam reportaſſe. Porro inermes, domitos periiſſe. Nam ſecundum ea, quæ dicta ſunt, populorum etiam ingenium eſt varium & inconſtans, & ut aliquid perſuadeatur, nihil eſt negotii: at in recepta perſuaſione ut perſtent, difficile eſt. Propterea ita inſtructum eſſe oportet, ut ubi eorum fides conciderit, hanc ipſam neceſſitas illis exprimat, viſque extrudat, Moſes, Cyrus, Theſeus, Romulus nunquã inermes ſua conſtituta tam diu ſervanda curare potuiſſent, uti noſtra tempeſtate *Hieronymo Savonarolæ* accidit, qui ſtatim à multitudine fidem deſerente, cum non haberet quo illam in accepta fide retineret, nec nondum perſuaſos adigere poſſet, in ipſis legibus innovandis periit. Quapropter hujuſmodi homines conando, agendoque maximis conflictantur difficultatibus. Porro eorum pericula (quæ tamen animi virtute ſunt ſuperanda) in adminiſtratione conſiſtunt: verum illis exantlatis, ac veneratione digni haberi cœpti, extinctis tandem iis, qui ſua natura invidia flagrabant, potentes permanent, omni periculo vacui, honorati & felices.

His tam ſublimibus exemplis unum humilius adiiciam, ſed quod cũ illis ſit proportionem habiturum. Id erit Hieron Syracuſanus.

Is ex privato in Syracuſarum principatũ fuerat evectus, nec quicquã tamen habuit, quod fortunæ acceptum ferret, præter occaſionem. Syracuſani enim oppreſſi, ducem illum crearunt, id cauſam attulit, ut mereretur eorum decerni princeps. Qui etiam in privata vita virtute excelluit, ut qui de eo ſcripſerunt, nihil ad regnandum illi defuiſſe præter regnum aſſerant. Hic veterum militarem diſciplinam abolevit, novam inſtituit; antiquas amicitias deſeruit, novas complexus. Atque ubi & amicitiam, & militum manum ſe habere in poteſtate cognovit, potuit his jactis fundamentis quicquid vellet extruere. Sic ut adeptio, magno; poſſeſſio, nullo ei ſteterit labore.

CAP. VII.

De iis qui novi ſunt principatibus alienis viribus, & fortuna quæſitis.

QVi duntaxat fortunæ afflatu poſita privata conditione, in principes eriguntur, nullo, ut eo perveniant, at plurimo negotio fit ſeſe ut in principatu ſuſtineant, ac in ipſo progreſſu nullam incurrunt difficultatem, quandoquidem eo advolanr: at ubi aſſederint, tunc & laboris & negotii multum adnaſcitur. Hi ſane ſunt, quibus aut pecunia, aut donantis cujuſpiam liberalitate, aliqua obvenerit juriſdictio, uti compluribus in Græciæ, in Ioniæ & Helleſponti civitatibus accidit: ubi Darius ad ſuam ipſius ſalutem & gloriam, multos donaſſe principatu conſtat, quo etiam modo imperatores olim per ſordes militibus corruptis, ad imperii procurationem erigebantur. Hi ſane arbitrio, & eorum fortuna ſimpliciter pendent, qui eos in eum honoris gradum adduxerunt. Vtrumque plane res eſt perquam volubilis & inconſtans, nec præterea illum gradum tenere, aut ſciunt aut poſſunt: quandoquidem niſi quis ſũmo ingenio,

ſum-

ſummaque virtute ſit præditus (privata fortuna ſemper cum vixerit) è ratione non eſt, ut imperare ſciat. Nec, inquam, poteſt: nam viribus, quæ amicæ ſint, & fide penitus caret,

Ad hæc, rerum ſtatus, qui ſic repente & ſubito erumpunt, uti naturę cætera omnia, quæ ortu & repentino quodam incremento fiunt, nec radices agere, nec quæ eo reſpondeant habere poſſunt, quominus primo quoque adverſo tempore extinguantur: niſi jam, ut dictum eſt, qui ſic in principatum ſunt elati, tanta virtute excellant, ut ſtatim norint ſeſe ita comparandos, ut quod fortuna eis in ſinum demiſit complectendum, tueri ac ſuſtinere poſſint: atq; quæ alii ante delatum principatum fundamenta poſuerunt, ea ipſi tandem poſtea curent jacienda.

In hunc duplicem modum, quo quis fortuna, aut virtute in principem erumpit, duplex exemplũ memoriæ noſtræ temporibus excerptum, proferam: Franciſcum Sfortiam ſcilicet, & Cæſarem Borgiam. Franciſcus omnes modos perſecutus ad eam rem idoneus ſumma etiam virtute, è privata conditione ad Mediolanenſis imperii faſtigium pervenit, quodque tot curis fuerat adeptus, minimo negotio tueri ac ſuſtinere potuit. *Cæſar* vero *Bugia* (cui vulgo cognomen *Valentino* fuit) etſi omnem operam adhibuit, & ea omnia curaſſet facienda, quę à prudenti fortiq; viro expectari poterant, ut in iis ditionibus, quas arma & aliena fortuna conceſſerant, radices affigeret, nihilominꝰ cum paterna fortuna, qua ad principatum fuerat evectꝰ, una & ipſe cõcidit. Qui enim initio (ut dictũ eſt) fundamenta non ponit, poſſet quidem (licet non ſine architecti incommodo & diſcrimine) ſingulari quadam virtute in poſterum jacere. Si itaque principis Valentini progreſſus jacere conſiderentur, facile perſpicietur, quam optima ad

futuram potentiam ipſe Fundamenta ſubſtruxerit: quæ nequaquam ſupervacaneum eſt examinare. Quæ enim meliora novo principi præcepta tradi poſſent, quam ejus actionum exempla, equidem non video. Atqui ſi ejus diſpoſitio rerum ei nihil adjumenti attulit, id non ejus culpa accidit, ſed extraordinaria quadam & extrema fortunæ malignitate.

Aliis ex aliis tum præſentibus, tum futuris difficultatibus Alexandri Sexti animus diſtinebatur, cum ſibi potentia auctum filium perciperet. Primum non videbat, qua ratione ille aliquo principatu, qui pontificiæ juriſdictioni non ſubeſſet, ornari augerique poſſet: ſi vero, quæ pontificii juris eſſent, ad ea ſurripienda ſe converteret, ſciebat, nec Mediolanenſem principem, nec Venetos id eſſe paſſuros: jamque Faventia, atque Ariminum in Venetorum ditionem conceſſerant.

Perſpiciebat præterea Italica arma, & quæ privatim ſuis commodis ſubſervire poterant, in eorum manu eſſe, quibus Sacerdotum potentia, quominus illis fidere poſſet, formidabilis erat: in Vrſinorum nempe, & Columniorum familia, nec non eorum ſectatorum poſita. Turbandi propterea fuerant ordines illi, atque Italicæ res confundendæ, quo aliquarum partium in ea provincia dominus fieret: quod quidem nullius fuit negotii. Reperit enim Venetos, qui aliis de cauſis impulſi, animum eo verterant, ut Galli in Italiam iterum tranſmitterent: quod tantum abfuit ut Alexander ſit averſatus, ut Ludovici regis conſtitutione matrimonii, facilius reddiderit.

Auxilio itaque Venetorum atque Alexandri conſenſu, rex Italiam repetiit: nec Valentinus primum Mediolanum appulit, quod ad Flaminiam expugnandam ei authoritate regia adjudicatam, copias ab Rege obtinuit. Parta demum Flaminia, Columniisque attritis,

tis, cupiens Valentinus illam tueri atque ad majora, ſi qua poſſet progredi, duo illum interturbabant: tum propria arma quæ infida judicabat, tum Galliarum regis ſibi dubia voluntas. Timebat nimirum Vrſinorum arma, quibus hactenus uſus erat: ne ſubtraherentur: nec ſolum impedirent quod ſibi adjungi moliebatur, ſed & quod eſſet partum, auferrent, Regemque ipſum ne idem faceret, verebatur. De Vrſinis jam ſpecimen ceperat, cum expugnata Faventia Bononiam eſt adortus: tunc enim illos frigide ſe gerere conſpexit. Porro quid animi eſſet Regi, jam inde tunc præſenſerat, cum Vrbinatium principatu occupato, Etruriam invaſerat: à quo incepto Rex eum revocavit.

Hac de cauſa Valentinus animo ſtatuerat non amplius à fortuna, aut ab alienis armis ſibi eſſe pendendum. Quocirca Vrſinorum ac Columniorum parteis Romæ attriverat. Nam omnes qui illis adhærebant, nobiles Romanos ad ſe pertractos, uberioribus ſtipendiis ac rerum gerendarum muniis, pro cujuſque conditione excepit; ut paucis interjectis menſibus illa animi eorum propenſio partium refrixit, totaque ad Valentinum ſeſe convertit. Adhæc occaſioné, qua Vrſinos perderet (columniis jam diſperſis) expectavit, qua feliciter oblata, felicius in rem ſuam eſt uſus. Cognito nãque (ſed ſero) ab Vrſinis Valentini, atque Pontificis potentiam ſibi excidio fore, concilium Magione in agro Peruſino indixerunt. Quæ res Vrbinatium defectionem, Flaminiæ tumultum, ipſi vero principi Valentino infinita excitavit pericula; quæ omnia Gallorum auxilio ſuperavit. Verum ubi ad illum exiſtimatio ſe retuliſſet, Galliæ exterorumque diffiſus opibus, ne amplius illas experiri cogeretur, totus ad fallacias, fraudeſque ſtruendas ſe convertit: ac eo uſque animum ſimula-

tum geſſit, ut Vrſini ſecum, authore Paulo in gratiam redierint: erga quem Paulum nullum officiorum genus, nullum neceſſitudinis jus quibus illum ſecurum redderet, omiſit, veſtibus, pecunia, equis donatum: ſic, ut eorum imperita ſimplicitas in illius poteſtatem, eos Senogalliam occidendos attraxerit.

His igitur primariis deletis, eorum partium ſectatoribus in ſuam amicitiam adductis, ſatis firma fundamenta ad potentiam comparandam ſubſtruxerat, Flaminia occupata, Vrbinatium principatu ſubacto, eorumque populis, quod nonnihil felicioris ſtatus! (ut eis videbatur) deguſtaſſent, ad ſuam amicitiam adjunctis.

Et quoniam hic locus dignus eſt, ut quem quis obſervet ac imitetur, prætermiſſum nolim. Poſtquam Valentinus Flaminiæ rerum eſt potitus, eamque à nonnullis tenuioribus tyrannis teneri offendiſſet, quique ſubjectos populos diſpoliatos citius, quam emendatos dimiſiſſent: diſcordiarum præterea quàm concordiæ majorem præbuiſſent licentiam, ut jam totam provinciam latrociniis, rixis, & omnis inſolentiæ genere refertam cerneret, judicavit aliquem ibi legitimum rerum ſtatum conſtituendum: quo illam pacatam regiæque veluti potentiæ morigeram redderet. Ob id Remerum Orcum virum crudelem ac promptum, penes quem eſſet ſumma poteſtas, illi præfecit. Hic brevi tempore provinciæ tranquillitatem, concordiamq; ſumma cum exiſtimatione reſtituit. Ad hæc viſum eſt Principi in rem ſuam non eſſe, immodicam illam ſui præfecti authoritatem. Timebat enim ne illa in odium incurreret: ea de cauſa in media provincia, judicium quoddam rerum civilium conſtituit, cui juris & uſus fori periti iſſimus præeſſet aliquis, quo in loco ſingulæ totius provinciæ civitates ſuum haberent

berent advocatum & cauſarum actorem.

Cum autem ſeveritatem illam nonnihil odii ſibi conflaſſe animadverteret, ut illud ex animis multitudinis detergeret, ſeque purgaret, atque inprimis omnes ſui ſtudioſos efficeret, oſtendit, ſi quid ſævitiæ in provincia fuiſſet admiſſum, id non ſe authore, ſed adminiſtri acerbiore natura fuiſſe factum. Atque ad hanc rem ornandam occaſione arrepta judicem illum in duas parteis diſciſſum, ſummo quodam mane fruſto ligni, ac cruento gladio ad ejus latus aptato, in Cæſennatium medio foro ſtratum deponendum curavit. Ferum illud ſpectaculum momento temporis effecit, ut ſibi populi fuiſſe ſatisfactum putarent, & in ſtuporem verterentnr.

Verum ut eo redeat oratio, unde digreſſa eſt, princeps ipſe cum ſe ſatis magna potentia auctũ cerneret, & periculis præſentibus (quod ex animi ſententia probe armis ſeſe inſtruxerat, & quæ proximæ ſibi nocitura videbantur extincta jacerent) aliqua ex parte liberatum, reliquus erat (ſi cum his, quæ ſibi partæ eſſent opes ad majora progredi vellet) qui habebatur ad Gallos reſpectus. Animadvertebat enim Regem, qui ſero erratum ſuum agnoverat, id non conceſſurũ. Novas idcirco amicitias cõparare; ſub Gallorum adventum in regnum. Neapolitanum contra Hiſpanos, qui tunc Cajetã obſidione premebant cum Gallis vacillare, ac illud animo obſervare ſuo, quo pacto ſe tutum ab illis præſtaret, quod ſane ex voto cecidiſſet, ſi Alexander vitam cum morte non commutaſſet. Hæc autẽ ad res præſentes fuerunt ejus rerum geſtarum conſilia & adminiſtrandi rationes. Quæ vero ad futuras ſpectabant, illud ei dubium erat, an nov⁹ pontificiæ dignitatis ſucceſſor ei futurus eſſet amicus: & quæ pater Alexander conceſſerat, is adimenda

tenta-

tentaret. Vt autem hoc ſe metu liberaret, quadruplici id ratione moliri cogitabat. Primum omnium, quos diſpoliaſſet nobiles, ut eorum totam ſtirpẽ excinderet: quo omnes lædendi ſui occaſiones futuro põtifici præriperet: prçterea, ut omnibus Romanis patritiæ gentis ſibi amicitia devinctis, eorum ope pontificis animum freno compeſceret: deinde Sacerdotum collegium ad ſe omni, qua poſſet, ratione pertraheret, ſibique conciliaret: tum demum tantum imperii ante obitum patris ſibi adjũgeret, quanto ſuo Marte primæ cuiq; impreſſioni poſſet reſiſtere. Ad finem uſque, horum tria, cum Alexander mortem obiret, perduxerat: quartum pene confecerat. Quandoquidem quotquot potuit nobiles aſſequi, paucis elapſis, omnes trucidavit, Iamque patritiam gentem Romæ ſibi devinctam tenebat, tum Collegii maximam partẽ habebat ſibi ſuffragaturam. Porro animo ſtatuerat, quo nova ſibi imperii fieret acceſſio, totius Etruriæ principatum occupare. Iamque Peruſini in ſuam ditionem conceſſerant, & Trajanus portus, Piſani autem in ejus fidem & clientelam ſeſe contulerant, & tanquam nullam eſſet habiturus amplius Gallorum rationem (nec enim debebat illis jam ſpoliatis regno Neapolitano ab Hiſpanis; ſic ut utrique adigerentur illum ſibi conciliare) protinus Piſas inſiliret. His peractis, Lucenſes Senenſesq; ſtatim cedebant, tum ob in Florentinos odium tum ipſius principis metu. Cæterum Florentinis nullus dabatur elabendi locus. Quod ſi eveniſſet, uti revera eo ipſo anno, quo Alexander è vita diſceſſit, eveniebat, tantum virium ſibi adjunxiſſet & authoritatis, ut ſua ipſius potentia ſe ſuſtinere, ac tueri potuiſſet: nec fortunæ, nec aliorum opum, ſed ſuæ virtutis, & potentiæ auſpicia ſequuturus.

Sed quintum poſt annum, ex quo gladium di-

diſtringere cœperat, Alexander naturæ conceſſit, illo duntaxat in Flaminiæ imperio probe firmato, cætera dubio, lethali morbo correpto, inter duos potentiſſimorum regum exercitus ſibi infenſos relicto. Inerat principi tanta animi ferocia & elatio, & uſque adeo probe tenebat, quibus artibus homines conciliandi, quibuſve perdendi eſſent, tamq; firma erant, quæ brevi temporis ſpatio jecerat fundamenta, ut niſi in ſe illos ingruentes exercitus habuiſſet, vel ſaltem adverſa valetudine non fuiſſet detentus, omnem difficultatem fuiſſet ſuperaturus. Quod autem ejus fundamenta firma eſſent, iſtud perſpicuum facit, quod ad menſem totum Flaminia illum expectavit: Romæ admodum ſecurus manſit; adventantibus item eo Balionibus, Vitelliis, & Vrſinis; nemo tamen in eum jam moribundũ eſt repertus, qui ſe illis conjungeret. Potuit ſanè, ſi non quem vellet, at ſaltem Pontificem non creari, quem ipſe nollet. Atq; ſi cum Alexander è vita diſcederet, ipſe proſpera fuiſſet valetudine, omnia explicata, omnia plana reddidiſſet. Iamque eo tempore, quo Iulius ſecundus Pontifex Maximus fuerat creatus, mihi dixerat, ſe ad omnem rerum eventum, quem à patris morte futurum putaret, longè in poſterum proſpexiſſe, atque remedia comparaſſe: illud unum duntaxat ſe præteriiſſe, quod ſcilicet nunquam putarat ſub ejus morte, ſibi etiam cum morte eſſe confligendum.

Omnibus itaque principis Valentini harum rerum geſtarum rationibus in ſummam adductus non video, qua in re eum reprehendam: imo omnibus potiꝰ imitandum proponi illis exiſtimo (ut ego feci) qui ad imperia, fortuna duce, & alienis armis ſunt provecti. Aliter enim cum magnos & elatos animos gereret, illũ animi propoſitis ad altiora impellẽtibus, rem ſuã adminiſtrare non poterat. Vitæ

tæ duntaxat Alexandri brevitas, ejuſq; ipſius infauſta valetudo illi⁹ conſiliis eſt adverſata. Quamobrem qui in eo, quem recens eſt adeptus principatu, neceſſarium ducit ſe ab hoſtibus tutũ aſſerere, amicos parare, vi aut fraude victoriam eſſe, populi vel benevolentiam allicere, vel eidem metum incutere, milites ut ſequantur, ſimulque ut obſervent eos qui poſſunt, aut ſunt nocituri perdere; novis artibus veteres ordines & inſtituta invertere; ſeverũ eſſe & gravẽ magnanimum & liberalẽ, infidã militiam extinguere, novã inſtituere; Regum & Principum amicitiã conſervare, ſic ut grate te beneficiis cumulent vel ſaltem timide offẽdant, recentiora exempla, quam hujus principis rerumgeſtarum conſilia & arteis, certe invenire non poterit. Illud duntaxat ei crimini dari poſſe videtur, quod in cooptatione ad ſũmum pontificatum Iulii. II. eligendi optionẽ arripuit non bonam. Nam ſi electionis pontificiæ, quam expetebat, compos eſſe non poterat, id ſaltem ſibi integrum relinquebatur, ut impedire poſſet quem ipſe nollet. Nec unquã in eam ſententiam abduci debuit, ut quiſquã ex eo Cardinalium numero in Pontific. Max. aſſüeretur, quẽ ipſe aliquãdo aliqua affeciſſet injuria: quiq; in eã dignitatẽ evectus ab eo ſibi timendum putaret. Exiſtunt enim hominum in homines injuriç, aut metu, aut odio quodam.

Quibus vero inter alios ipſe injurium ſe præſtiterat, Cardinalis titulo divi Petri ad vincula erat, & Columnius, Cardinalis item titulo divi Georgii & Aſcanius: cæteris omnibus id dignitatis faſtigium aſſequutis, timendus relinquebatur præter Rotomagenſi atq; Hiſpanis: his quidem ex officio, & ſanguinis conjunctione; illi vero propter potentiam, quod eſſet Galliarum regi affinitate conjunctus. Ob id Valentinus Hiſpanorum quempiam ad pontificium illud munus obeundum

creare

creare debuerat: id autem ſibi minus dabatur in Rotomagenſem ſuffragiis inclinandum erat, nuſquam vero gentium in Card. T. D. Petri ad vincula: quandoquidẽ qui in ea eſt ſententia, ut exiſtimet magnorum virorum inveterato odio novis beneficiis oblivionem induci poſſe, is vehementer fallitur.

In errorem igitur delapſus fuerat Valentinus in eo ipſo electionis genere, cauſamque attulit, qua omnibus tandem bonis & fortunis ſuis everteretur.

Cap, VIII.

De iis qui ſcelere ad principatum ſunt provecti.

IAm vero cum duabus etiam rationibus è privato quis ad principatũ provehatur, quę non prorſus aut fortunæ, aut virtuti ſunt acceptæ ferendæ, haud illæ præteriri poſſe mihi videtur, & ſi de altera diffuſius differri poſſet, ubi de Rebuſpubl. eſſet tractatio. Hæ autem ſunt cum aliquo ſcelerato conſilio, & nefario ad imperium aſcenditur: vel cum civis ſuorum civium favore, patriæ principatum occupat. Atque de prima ratione diſſerens, duplici ea exemplo, ne id ſubeamus laboris, ut de dignitate aut hujus rei indignitate nobis ſit diſſerendum, explicabitur: primo ex veteribus, ex recentioribus altero deſumpto. Imitari enim cupientibus (ſi rei neceſſitas ad id adegerit) ea ſatis eſſe judico.

Agathocles Siculus, non modo è privata, ſed abjecta & infima fortuna in Syracuſarum regem evaſit. Is figulo patre natus, per omnes ſuæ fortunæ gradus ſemper flagitioſam vitã, ac fœdiſſimam degit, ſua tamen ſcelera tanta cum animi & corporis virtute conſociavit, ut animum cum ad rei militaris diſciplinam appuliſſet, eo per ejus gradus devenit, ut Syracuſarũ prætor fuerit creatus. In qua dignitate conſti-

conſtitutus, cum jam in animum induxiſſet, ſuum ut principatum iniret, ac id, quod omnium conſenſu fuerat illi conceſſum, ut retinere nemini devinctus ſtatuiſſet, ſuo conſilio cum Amilcare, qui tum in Sicilia cum copiis ſtipendia merebat, communicato, populum, Senatumque Syraouſanum die quodam coegit tanquam aliqua, quæ è Republ. eſſent, deliberaturus: ac ad nutum ad id conſtitutum juſſit, à ſuis militibus omnes ſenatores, omneſque è populo ditiores ad unum interſici: quibus trucidatis, principatum illius civitatis occupavit, ac ſine ulla civili controverſia illum retinuit. Et licet à Carthaginenſibus bis fuerit bello fractus, ac demum obſidione incluſus, civitatem tamen ſuam non modo defenſam conſervavit, ſed ſuarum copiarum parte ad ejus propugnationẽ relicta, cum altera Africam eſt aggreſſus. ac brevi tẽporis ſpatio Syracuſas obſidione exemit, & ipſos Carthaginenſes in extremã adduxit rerũ difficultatem: ſic ut pace facta, Africa eſſent contenti, Agathocli vero Siciliam relinquendam decernerent. Qui itaq; hujus viri rerum geſtarum rationes animo reputaret, nihil aut parum in eis, animadverteret, quid fortunæ foret adſcribendum: quandoquidem, uti jam dictum eſt, non alienis auſpiciis, ſed militaris diſciplinæ gradibus, quos infinitis pene incõmodis ac periculis conſcenderat, ad principatum pervenit: eumque poſtea incolumen ut conſervaret, tot animoſa conſilia, totque rerum diſcrimina ſubire non recuſavit.

Cæterum virtutis nomine haudquaquam cohoneſtandum videtur ſuis civibus mortem attuliſſe, amicorum proditorem egiſſe: nulla fide, nulla pietate, nulla religione teneri. Imperia hæ rationes parare quidem poſſunt, at gloriam non item. In adeundis enim periculis, atque ipſis exantlandis: ſi Agathoclis virtus

tus ſpectaretur, ac ejus animi in perferendis, rebusque adverſis ſuperandis magnitudo, non videtur cur inferior quovis ducum excellentiſſimorum haberi poſſit. Nihilominus ejus animi efferа ſævitia & inhumanitas, cum infinitis pene ac fœdiſſimis ejus flagitiis conjuncta, non patitur, ut inter viros virtute præſtantes celebretur. Quare fortunæ aut virtuti acceptum ferri non poteſt, quod ipſe ſine earum auſpiciis eſt conſequutus.

Ætate noſtra Alexandro VII. Pont. Max. Oliverottus Firmanus cũ ſuperioribus annis ætate puer eſſet relictus, à materno patruo, cui Ioanni Fogliano nomen erat, educandus ſuſcipitur: ac ab ineunte adoleſcentia Paulo Vitellio in re militari inſtituendus traditur, ut illius diſciplina cumulatus, ad aliqué militiæ præſtãtioré gradũ perveniret. Paulo deinde vita fũcto, auſpiciis Vitelloccii ejus fratris ſtipendia meruit, atque breviſſimo temporis ſpatio, quod ingenio ſolerti eſſet, & corpore & animo acer, inter primarios ſuæ militiæ, locũ obtinuit. Verum cũ illiberalis & ſervilis animi eſſe exiſtimaret, ſub alieno imperio ſtipendia facere; ſubiit ejus animum ea cogitatio, ut ſubſidio nonnullorum civium, quibus patriæ ſervitus libertate charior eſſet, ac Vitelliorum favore Firmum urbem occuparet, ac literas ad Ioannem Foglianum dedit, ſe complures annos alienum á patria fuiſſe, cupere & illum & patriam ſuam, atq; etiam aliqua ex parte, quæ ſibi obtigiſſent patriæ bona obire ac reviſere. Cumque non alio conſilio labores ſuſcepiſſet, quam honoris cauſa adipiſcendi, ut cives intelligerent à ſe nec tranſmiſſum, nec ullũ tempus vacuum prætermiſſum: deſiderio teneri, eo honorifice centum ſuorum amicorum, ſervorumq; equitibus comitatum remeare: Rogate itaque, ut cum Firmanis agere ne gravaretur, quo illũ honorate exciperent. Id enim non

non ſolum ſibi, ſed & illi præcipue, ut qui fuerit alumnus, honori futurum.

Quam obrem Ioannes nullum erga nepotem prætermiſit, quod illi deberet officium: ac à Firmanis ſummo cum honore ejus opera exceptus, ad proprias ædes divertit: ubi aliquot interjectis diebus, iiſq; omnibus, quæ ad futurum facinus patrandũ forent neceſſaria, diligenti cura ſtructis lautiſſimum convivium inſtituit: ad quod Ioannem Foglianum, vna cum civitatis primariis omnibus invitavit, ac epulandi cum jam finis eſſet, cæterisq; omnibus, quæ in conviviis oblectamenti cauſa adhiberi ſolent, lætitiæ irritamentis ſemotis, ſermones Oliverottus aſtu quodam intulit graves de Alexandri Pont. Max. deque ejus filii potentia, atq; de eorum rebus geſtis: quos excipientibus Ioãne, & reliquis omnib[9], aſſurgit ille ſtatim. Hæc ſunt, inquit, de quibus in ſecretiore loco eſt diſſerẽdum: atq; in cubiculum ſeſe recepit, quo Ioannes & reliqui omnes illum ſunt ſequuti. Nec dum conſederant, cum ecce è cubiculi ſecretioribus locis proſiliẽtes milites, qui Ioannem & quotquot ibi aderãt trucidarunt. Poſt patratam cædem, equum Oliverottus cõſcendit, ac urbem totam excurrit, ſupremumque magiſtratum in curia obſidione cinxit: ſic ut metu adactus ejus imperia detrectare haud potuerit, ad ejuſq; voluntatem rerum ſtatum, cujus ipſe principem ſe conſtituit, ordinavit. Interfectis autem omnibus, qui aut læſi, aut offenſi ei nocere poſſent, novis legibus civilibus ac militaribus ſeſe munit: ſic ut interjecto duntaxat anni ſpatio quo principatum tenuit, non ſolum ſecurus agebat in Firmana civitate, verum omnibus, qui circumſtabant, populis factus eſt formidabilis. Ejus autem expugnatio difficilis admodum fuiſſet æque ac Agathoclis, niſi in fraudem à Valentino ſiuiſſet ſe illici, cum Senegalliæ, ut dictum eſt, Vrſinos

cepit

cepit & Vitellios: ubi annum poſt patratum parricidium, & ipſe captus una cum Vitelloctio, quem ſuarum virtutum & ſcelerum præceptorem habuit, fracta gula interiit.

Poſſet quis in dubitationem venire, qui factum ſit, Agathoclem & ejus generis alios, poſt tot proditiones, & immania facta, ſecuram vitam degere in patria potuiſſe, ac ab exteris inimicis defenſos ſeſe ſervaſſe, nec unquam à civibus ſuis fuiſſe in eos conſpiratum? cum alij complures propter crudelitatem, nunquam potuerint, ne pacis quidem, ne dum belli tempore ancipiti rerum ſtatum tenere. Arbitror hoc uſu venire ex crudelitate, qua quis recte vel perperam eſt uſus. Recte eam adhibitam eſſe dici poſſet (ſi quod malum eſt, de eo quid boni pronunciari daretur) cum quis neceſſitate adactus ſemel tantum, quo ſecurum ſe reddat, crudelitatem exercet: nec amplius in poſterum in ea inſiſtendum ducit, ſed in ſubjectorum majorem utilitatem utcunque fieri poſſit, commutat. Quæ autem perperam adhiberi dicitur, ea eſt quæ initio, & ſi rara eſt, multiplicatur tamen temporis progreſſu citius quam exſtinguatur. Qui priorem rationem ſervandam judicabit, is tum penes Deum, tum homines aliquid remedii, uti Agathocles, habere conceditur: reliqui vero, ut ſeſe ſuſtineant, haud quaquam poſſunt. Quapropter in occupando principatu, illud animadverſum occupanti eſſe debet, vim omnem ſæviendi ſemel tantummodo effundendam, ne perpetuo eo ſit recurrendum, & ipſa ab immanitate ceſſatio homines ad ſecuritatem alliciat, & beneficiorum collatio in amicitiam adducat. Qui autem hoc vel timiditate, vel incōſulto faciundum refugit, in eam ſemper neceſſitatē incurrit, qua eductum gladium nunquam è manu deponat, nec ullum in iis, quos ſubjectos habet, populis fundamen-

damentum ſtabiliat; cum nec illi ex recentioribus injuriis ſecuri eſſe poſſint. Quandoquidem injuriæ, ſimul omnes & ſemel ſunt effundendæ, quo minus guſtatu perceptæ minus etiam feriant. Beneficia vero ſenſim ſunt inſtillanda, quo melius ſenſu capiantur. Eam quum primis inſtitutionem vitæ apud ſuos princeps complectendam judicet, qua nullus rerum fortuitus eventus, ſive ad voluntatem fluat, ſive adverſetur, de gradu dejiciat fluctuantem. Nam ſi turbida tempora neceſſitatem in illum derivent, ſæviendi jam tempus aberit: benigne vero ſi quid fecerit, nihil prodeſt: id enim invito animo feciſſe ducetur, ut nihil inde gratiæ ſit relaturus.

CAP. IX.

De civili Principatu.

VErum ad alteram partem accedentes, cum princeps, qui civis cum ſit non ſcelere aliquo, nec quapiam non ferenda violentia, ſed ſuorum civium favore in patriæ principatum abit, qui *civilis* appellari poteſt, neque item ut eo perveniat neceſſarium eſt, ut ipſa omnino virtus vel fortuna deducat; ſed potius fortunata quadam aſtutia, in eum, inquam principatum, vel populi, vel optimatum favore aſcenditur. In omni enim civitate hęc duo inter ſe diſſidentia ſtudia inſunt, ſubori unturque, quod populus ſcilicet cupit ſibi non imperatum, neque à potentioribus opprimi: potentiores vero id cum primis obnixe ſtudent, quo imperitent, populumque deprimant: atque ex his inter ſe pugnantibus cupiditatibus id horum trium in civitatibus ſurgit, aut principatus, aut libertas, aut licentia. Principatum vel populus vel optimates, ex oblata alteri harum partium occaſione, inducunt. Cum enim optimates vident ſe populo reſiſtere non poſſe

e, omnem exiſtimationem in aliquem ſui inis derivant, atque eum in principem at-unt, quo ejus obtentu ſuos animi impetus are poſſint. Populus item nuſquam perſpe- qua poſſit potentioribus ratione occurri, voluta ad unum quempiam ex ſuis autho-ate, ad principatum illum evehunt, cujus tentia ſe defenſum iri ſperant.

Qui optimatum ſubſidio principatum ſubit, fficilius, quam qui populi ſuffragiis eo eve-tur, ſeſe ſuſtinebit: quoniã cum multis qui circumſtãt Principẽ agit, qui ſe ei pares eſſe iſtimant. Quapropter in eos, nec plenam, ut ſſet in votis, adminiſtrandi poteſtatem, nec nperandi habet. At qui populari favore ad rincipatum accedit, rerum ſummam in ſe u-um verti cernit, nec ullum habet, vel paucio-es, quibus ſe circumſeſſum videt, qui non prompto animo ejus imperata ſint factu-ri.

Adhæc, potentioribus, nec digne ſatisfieri poteſt, neque ſine aliorum injuria, ac multitudini poteſt quidem maxime. Honeſtior enim finis eſt populi, quam quem ſibi ſtatuunt optimates: cum ii opprimere, illi ne opprimantur obnixe contendant.

Accedit etiam, quod adverſante populo nihil ſecuritatis pòlliceri ſibi poteſt Princeps, cum nimium multi ſint: de optimatibus vero cum pauciores habeantur, ſane poteſt. Quod omnium incommodorum graviſſimum à populo ſibi infenſo expectare poteſt Princeps, eſt, ne ſe deſertum negligant: at à potentioribus, qui hoſtes ſint, non ſolum ne ſe deſtitutum patiantur, ſed etiam ne illi ipſi in ſe impetum faciant. Cum enim perſpicacia major ſit in illis, & aſtutia, ſemper antevertunt tempus, quo ſe tutos fore ſperant: ac eos gradus apud illum quærunt, quem ſpes ſubindicat ſuperiorem fore. Cum eodem præterea popu-

lo

lo cogitur Princeps perpetua vitæ conſuetudine vitam traducere, cum optimatibus non item: cum in eo genere multos ſubrogare & abrogare, eiſque dignitatem deferre, eaque auferre quandocunque velit poſſit.

Verum ut pars hæc melius explicetur, duobus modis potentiores in conſiderationem cadere poſſe videntur: *an ſcilicet in eorum rerum adminiſtrandi ratione penitus principis fortunæ ſe committunt, an non.* Qui ita principis fortunæ ſunt addicti, nec rapinis inhiant, ii digni ſunt, qui honorentur ac diligantur. Qui vero ſeſe haud obſtringere volunt, ij in duplicem conſiderationem veniunt: aut enim animi quadam dejectione, & naturæ vitio ducuntur, ut hoc faciant, & tunc eorum opera in rem ſuam tuto Princeps uti poteſt, tum præſertim ſi conſilio polleant. In rebus enim quæ ad voluntatem fluunt, ſunt ſibi honori: in adverſis vero, non eſt quod ab illa ſit timendum: aut aſtu, & ambitioſo conſilio ſeſe obligari nolunt: quod quidem planum facit præmeditatos animos geſtare, quibus ſui magis, quam principis rationem habendam judicarunt. Ab iſtis Princeps ſibi cavendum putet, ac inter eos, qui jam aperti ſunt hoſtes, ducat accenſendos. Semper enim cum quid adverſi accidat, opem ferent, quo illum præcipitem agant.

Qui igitur populi ad principatum erigitur, æquum eſt, ut illum in amicitia retineat: quod quidem (cum nihil is quam ne opprimatur in votis habeat) ſine ullo negotio fiet. Verum optimatum ſtudio (populo adverſante) cui defertur principatus, in id curæ omnium maxime eſt incumbendum, ut populum ſibi adjunctum habeat: id quod etiam factu eſt perquam facile, ſi illum defendendum ſuſcipias. Et quoniam homines cum de ſe eos bene meritos videant, à quibus damnum aut ma-

alum ſe accepturos putabant, propenſior in m ſit qui ſubjectus eſt populus, quam ſi ſuis axime ſtudiis ad principatum fuiſſet evectus. Multis porro modis eum ſibi Princeps onciliare poteſt: quod cum pro ſubjectæ rei atura maxime varient, non poteſt de eis cer- tradi regula. Omittentur itaque, duntaxat lud comprehenſum velim, principi nimirum naxime fore omnium neceſſarium, ut populum retineat in amicitia ſibi devinctum, alioquin in perturbatis rebus nullum habet perfugium.

Nabides inter Spartiatas Princeps, totius Græciæ, & invictiſſimi Romani exercitus in ſe obſidionem ſuſtinuit, ab illiſque, & patriam, & rerum ſuarum ſtatum defenſum tenuit: atque ingruenti periculo, illud unum ei ſatis fuit, paucorum inſidias cavere: quod ſi populum habuiſſet inimicum, id ſane non fuiſſet ſatis.

Nec vero meæ huic opinioni quis contrarius eat illo jam trito ſermone proverbio. QVI POPVLARI *innititur aura, domum in luto extruit*. Illud enim locum habet, ubi civis, qui privatæ ſit conditionis, populo nititur atque ſibi perſuaſum habet, cum ab hoſtibus, aut magiſtratu ipſe foret opprimendus, populum ſe habiturum liberatorem. Hoc modo ſæpenumero ſe deceptum ſentiet: quemadmodum Romæ Gracchis, Florentiæ Georgio Scalæ factum accidit. At ſi principatum jam poſſidet, qui eo innititur, atque penes illum ſit imperandi facultas, quique vir ſit ingentis animi, ac nullis rebus adverſis exanimetur nulloq; aliarũ rerum careat apparatu, & animi magnitudine, nec non ſuis inſtitutis multitudinem univerſam retineat animatam, haud ſe deceptum intelliget, ſentietque quæ jecerit fundamenta ſtabili in loco locaſſe.

Periclitari quidem ſolent ejus generis principatus, cum è civili ad abſolutum imperandi gradum altius evolare contendunt. Quoniam hi Principes, aut per ſe imperiũ exercent, aut magiſtratu adminiſtro. Hoc poſterius imbecillorem, & magis periculis obnoxium reddit eorum principatum. In eo enim gradu conſiſtunt voluntate omnino eorum civium, qui cum poteſtate ſunt; quique tum maxime cum difficilia tempora incidunt, illos ab imperio nullo negocio ſummovere poſſunt, vel eis adverſando, vel eorum juſſa detrectando.

Princeps vero, cum res jam in diſcrimen venit, in tempore adeſſe non poteſt, ut abſolutũ occupet imperium. Cives enim, quique magiſtratuum juſſa capeſſere ſolent, haud ſũt in ea rerum perturbatione & turba parituri. Sũma etiam laborabit perplexis illis temporibus eorum penuria, quibus tuto fidere poſſit. Nam quod pacatiore tempore Princeps videt, haud eo inniti poteſt: cum cives indigeant, qui Rẽpublicam regat. Tunc enim omnes adcurrũt, omnes pomittunt, omnes pro eo, cum mors longius abeſt, volunt oppetere. Cęterum tempeſtatibus contra ſævientibus, cum Reſpublica civium opera indiget, tunc eorum mira eſt paucitas; eoque magis harum rerum experientia eſt periculoſior, quo ſemel duntaxat experiri licet. Eam igitur, Princeps, qui ſit vir prudens, ineundam rationem cogitet, qua cives ſemper, quovis modo, quavis temporum conditione ſua adminiſtrandi opera indigeant. Tunc ſane eos in ſe animo fideli futuros intelliget.

CAP. X.

Qua ratione Principatuum vires metiendæ ſint.

ILlud etiam Imperatorum naturam examinanti in conſiderationem cadit, *tantumne*

Princeps

Princeps ditionis poſsideat.qua neceſsitate premente ſuis viribus ſe ſuſtinere poſsit, an ad alienas opes ſit & perpetuo confugiendum. Verum ut hæc pars magis perſpicua fiat, eos ſuis viribus ſe tueri poſſe exiſtimo, qui aut multitudine hominum, aut pecuniæ vi, juſtum exercitũ colligere, atque in quoſuis ſe armis impetum facturos prœlium committere poteſt. Eis cõtra ſemper aliena judico invocanda ſubſidia, quibus credita campo, ac producta in aciem prodire nõ datur, ſed intra mœnia confugere. atq; ea defendere coguntur. Primum illud jam expendimus, plura, quæ occurrent infra, dicturi: ſed ad hoc poſtremum nihil etiam adjici poteſt præter id, quod adhortãdi ſunt Principes, ut ſuam ipſorum præcipuam urbem muniendam atque firmandam ſtatuant, nulla reliqui agri, aut regionis habita ratione. Quicunq; enim urbem ſuam prope munitam habet, atque cum iis, cum ſuo parent imperio, ita ſe in cæterarum rerum (ut jam dictum eſt) adminiſtratione præſtiterit, nunquam niſi ſui maxima habita ratione quis adoriri tentabit. Semper enim homines ea averſantur aſſumere tractanda, quæ pericula ſecum & difficultates afferunt. Nec ſane ulla certa agendi ratio cerni poteſt, vbi quis alium, qui præmunitam urbem poſſideat, quique apud multitudinem invidia non laboret, aggrediundum putet.

Germaniæ civitates, maxime liberæ ſunt, agri parum admodum poſſidentes, & tamen ubi volunt Imperatori parent: nec illum, nec alium quempiam, qui propius ſe circumſtet, timent: quoniam ita munitæ ſunt, ut nemo ſit, qui earum expugnationem difficilem, tædiiſque plenam fore non exiſtimet: foſſis idoneiſque muris cum ſint circumſeptæ. Quod ſatis eſt etiam habent æneorum tormentorum, atque in annum totum in publicis cellis penariis aſſervant commeatum, & ad

focum paratam materiam. Ad hæc, quo multitudinem ſine Reipubl. diſpendio refectam teneant, ex publico habent, quo artificum operæ in *iis* rebus impendantur, quæ illarum civitatum nervi ſint, & vita, quarumque induſtria multitudo ipſa alatur, ac ſuſtentetur. Rerum præterea bellicarum ſtudia ſummo habentur in honore: in quibus retinendis, multæ ſunt leges, multæ inſtitutæ rationes.

Proinde Princeps, qui civitatem egregie munitam habet, nec odii in ſe conciliandi materiam præſtat; non eſt quod quis in eum impetum facere velit: & ſi quis eſſet, ignominia affecto diſcedendum foret. Quæ enim in rerum natura, totoque hoc mundo conſtant humanæ res, tanta varietate, atque inconſtantia commutantur, ut vix fieri poſſit, ut aliquis ſuis copiis annum totum poſſit eum interclusum habere.

Si quis excipiat, cum populus ſuos agros extra vrbem incendio abſumi videat, fracto animo patientiam abrumpet, longaque obſidione, & rerum ſuarum amore principis cogetur obliviſci. Ego vero principem qui ſit vir potens, & animi magnitudine acer, omnes illas difficultates ſemper judico eſſe ſuperaturum, partim ſpem, quod non forent diuturniora mala, eis qui ſuo ſubjiciuntur imperio, afferendo: partim ex hoſtium ſævitia timorem incutiendo, tum quadam in agendo dexteritate, ab iis qui paulo plus videntur animi confidentiores, ſe tutiorem aſſerendo. Ad hæc incendia & vaſtitates, ſub ipſo adventu, obſidioniſque initiò, cum adhuc ardent animi, & ad defenſionem ſunt accenſi (uti belli ratio poſtulat) inferri ſolent: quo minus propterea principi erit dubitandum. Aliquot enim dies poſtquam ardor ille animi eſt reſtinctus, detrimenta ſunt illata, damna accepta, cum malis nulla ratione remedium

dium afferri jam poteſt: ac tum maxime ſeſe cum Principe conjungunt, ut quem (quod ſua ipſius cauſa ædes incenſas, omneſque eorum fortunas everſas intelligant) ſibi devinctam exiſtimant. Ita enim fert hominum natura, ut beneficiis ultro citroque datis æque hominibus inter ſe devinciantur homines atque acceptis.

Quapropter rei natura diligenter perſpecta, minimi negotii fuerit principi ſuorum civium animos conſtantes, confirmatoſque tum ante, tum poſt obſidionem retinere, commeatu modo, & reliquis quæ ad defenſionem ſpectare videntur, non intercludatur.

CAP. XI.

De pontificio & ſacerdotum principatu.

NVnc de pontificio ſacroque principatu nobis duntaxat reliquum eſt, ut diſſeramus: quem difficultates omnes priuſquam poſſideantur circumſiſtunt. Aut enim virtutis, aut fortunæ favore quæritur: harum tamen neutrius opera conſervantur. Inſtitutis enim, quæ jam in religione ipſa vetuſtate conſenuerunt, continentur, quorum omnium vis & natura tanta eſt, ut ſuos principes, quomodocunque ſe gerant, aut vitam inſtituant, in imperio tueantur. Hi uni omnium dominatum habent, nec illum defendunt. Habent & qui ſubjiciuntur populos, quorum tamen regendi cura nulla tanguntur. Eorum provincias, indefenſæ cum ſint, qui ab eis auferat nemo eſt. Populi item ſub eorum adminiſtratione cum ſe neglectos ſentiant, nihil morantur. Vt autem ab eis ſeſe ſubtrahant ut explicent, tantum abeſt ut cogitent, ut ne oſſint quidem. Hi uni omnium itaque doinatus ſecuri ſunt & felices.

Verum cum cœleſti quodam numine rentur, ad quod hominum mentes non attin-

gunt, de illis loqui ſuperſedebo. Deus enim ipſe eos cum ſublimes ferat ac ſuſtineat, arrogantiæ ac temeritatis foret, ſi quis de iis diſquirere tentaret. Attamen ſi quis me roget, undenam pontificatus eo magnitudinis in profanis rebus evectus ſit, cum ante Alexandri quidem tempora omnes, qui in Italia eſſent potentatus: nec ſolum qui hoc nomine dicerentur, ſed & quæcunque minora regna, & reguli omnes nullius fere authoritatis in iis rebus, quæ profanæ eſſent, parvi ejus rationem pendebant: quem tamen hoc quidem tempore Galliarum tantus rex extimeſcat? & quem ex Italia exturbare, & Venetis excidium inferre, potuerit: quod ſane omnibus, etſi perſpicuum eſt, aliqua tamē ex parte, ejus memoria ſi renovetur, ſupervacuum fore non puto.

Antequam Galliarum rex in Italiam tranſmiſiſſet, Pontificis Imperio, Venetorum, Neapolitani Regis, Mediolanenſis Principis, tum Florentinorum tenebatur Italia. Hi dominatus in eam omnium maximam curam omnes incumbere debebant, ne exterorum cuiquam in Italiam armato ingreſſus pateret: deinde ne eorum inter ſe quiſquam majores opes ſibi vendicandas tentaret. In quos autem acriter animo intendendum erat, ii Pontifex erant & Veneti. Rem Venetam avertiſſent, ſi una omnium inter ſe facta in eam conjuratione, omnes, uti in Ferrarienſi defenſione, conſpiraſſent. Quo autem Pontifex avocaretur, Romanorum procerum opera maximo ſibi uſui fuiſſet. Illis enim in duas factiones diviſis, Vrſinorum ſcilicet, & Columniorum, ſemper inter eos turbarum cauſæ, & offenſionum excitabantur: atq; cum ob oculos Pontificis illi arma inter ſe ferrent rem Pontificiam imbecillam atque infirmam reddebant. Et quanquam Pontificum quis ſuſcitaretur, qui acer (uti Xyſtus) & animi ingentis eſſet, nihilominus

nus neque fortunæ favor, neque rei gerendæ ulla peritia ab his incommodis illum liberare potuerunt. Hujus autem rei cauſa erat, Pontificum vitæ brevitas. Decennium enim vitæ, qua ſuperſtites erant æquatum, vix ad alteram factionum deprimendam ſatis erat. Atqui eorum quivis (exempli cauſa) Columnios fere ſi extinxiſſet, alter ſtatim prodibat Vrſinis infenſus, qui eos erectos curabat, nec in tempore aderat, quo penitus illos extingueret. Id itaque cauſæ erat, cur Pontificum vires in iis rebus, quæ profanæ eſſent, parvi apud Italicos Principes pendebantur.

Emerſit poſtea Alexander VI. qui unus omnium, qui unquam fuerunt pontifices, oſtendit quantum & pecuniarum & virium potentia ſacerdotum Reſpub. valeret, effecitque Valentinus tanquam inſtrumento, & Gallorum in Italiam opportuna tranſmiſſione abuſus, ea omnia, quæ in ejuſdem Valentini rebus geſtis ſuperiori oratione examinanda ſuſcepimus. Et licet Alexandri conſilium non eo ſpectaret, quo pontificiam juriſdictionem proferret: nihilo ſecius quicquid geſtum fuerat à principe Valentino, id totum ad amplificationem pontificii regni redundavit. Quod regnum poſt ejus mortem, Valentino extincto, in ejus labores omnes ſucceſſit hæres.

Subiit deinde pontificatum Iulius, reperitque Rempubl. pontificiam (quod tota ei ſubacta eſſet Flaminia, & qui Romę eſſent primarii extincti jacerent, atque Alexandri verberibus factiones illæ eſſent attritæ) mirum in modum evectam. Nactuſque eſt etiam aditum rationis congerendæ pecuniæ, quæ ante Alexandri quidem tempora erat inviſitata & nova: quæ omnia Iulius non ſolum ſequutus eſt, verum etiam obnixe curavit augenda, atque animo ſtatuit Bononiam ſuo imperio adjungere, Venetos delere, Galloſque ex

Italia protrudere. Quæ omnia illi pulchræ ceſſere ex ſententia, ac majore cum laude, quod non ad privatum quempiam, ſed ad Rempubl. pontificiam lòcupletandam, id totum curavit agendum. Parteis etiam Vrſinas, atque Columnias, in quo invenerat ſtatu, retinuit: inter quas licet eſſet, factionum ad res novas, qui ſe caput conſtitueret, tamen duo eos in officio retinebant: quorum alterum amplitudo ſacræ Reip. erat, qua deterrebantur: alterum, quod in ampliſſimi ſacerdotii ſenatum neminem ex ſuis inter pontificios purpuratos haberent: qui quidem omnium inter ipſos motuum authores eſſe conſuevere: nec unquam hæ factiones conquieſcent, dum purpureo galero inſignes habebunt. Hi enim Romæ, foriſq; partiū ſtudia fovent, quos defendere ac tueri ejus generis proceres adiguntur. Ab horū igitur ambitione, diſcordiæ, tumultuſque inter illuſtres viros enaſcuntur. Leo itaque Pont. Max. hunc dominatum nactus eſt potentiſſimum, de quo ſpes omnibus ſubiit, ut ſi armis illum extulerunt alii, ipſe tum morum integritate, tum pene infinitis virtutibus ſublimem ferat, ac inter mortales auguſtum conſtituat.

CAP. XII.

Quot ſint militaris diſciplinæ formæ, deque militibus mercenariis.

DIſquiſitis ſingulorum principatuum rationibus, de quibus initio diſſerendum propoſuimus, eorumque tum boni, tum mali cauſis, aliqua ex parte perſpectis: explicatis denique modis, quibus multi eos conſequi ac retinere ſunt conati, id mihi duntaxat fit reliquum, ut generatim ea perluſtrem, quæ vel ad offendendum, vel ad ſe defendendum, ſpectare videntur, quæque in eorum quemlibet cadere poſſunt.

Dictum eſt ſupra neceſſarium fore, ut qui principem agit, probe firma habeat fundamenta, alioquin ut corruat neceſſe eſt: præcipua vero fundamenta, quibus imperia tum nuper, tum olim parta, & ex his quæ mixta ſunt, continentur, ſunt *bonæ leges & bona arma.* Bonæ autem leges eſſe non poſſunt, ubi bona non ſunt arma: ac ubi bona vigent arma, ibi neceſſe eſt, ut bonæ etiam ſint leges: quibus in præſentia præteritis, de armis orationem inſtituam.

Arma igitur, quibus Principes ditionem ſuam tuentur, dicuntur eſſe vel propria, vel mercede conducta, auxiliaria aut mixta. Mercenaria & auxiliaria, inutilia ſunt prorſus & periculoſa. Imperio enim in armis mercenariis conſtituto, qui præeſt, nihil firmitatis, nihil ſecuritatis habet: disjecta enim ſunt, ambitioſa, nullius diſciplinæ, nullius fidei, inter amicos acerrima, in hoſtes inertia, & ignava, nullo Dei metu, nulla hominum fide tenentur: tum diu ruina profertur, dum impreſſio prorogatur. Pacis quidem tempore illi ipſi, belli vero, hoſtes tui te diſpoliant. Hujus rei cauſa eſt, in quod neque benevolentia, neque ulla cauſa in caſtris retinentur, quam ſtipendiolo quodam, in quo ſatis non eſt ad eos impellendos, ut tua cauſa mortem ſibi oppetendam putent. Cupiunt ſane in tuum exercitum allegi: aut ubi eſt cum hoſtibus congrediendum, tunc aut fuga, aut diſceſſu (te deſerto) ſibi conſulunt: id ſane nullo negotio perſuadere poſſem. Nam Italiæ præſens excidium aliunde patet non eſſe invectum, quam quod mercenaria arma ſequuta, in ipſis jam multis annis ſpem ſuam collocaverat: quæ quidem nonnihil retroactis temporibus uſui fuiſſe quibuſdam, atque valida inter ſe videbantur quidem: at præpotente extero aliquo adventante, tunc apertum fecerunt, quid vi-

rium haberent. Quapoptor Carolo regi integrum fuit Italiam gypſo occupare. Qui autem hominum errata eius mali cauſam fuiſſe aſſerebant, ii, quod res erat, affirmabant: ſed tamen non illa erant, quæ credebantur, verum ea de quib. iam dixi. Et quoniam principum erant errata, luerunt & ipſi pœnas.

Infelicitatem adhuc huius generis armorum melius oſtenſam volo. Mercenarii duces aut ſunt viri virtute præſtantes, aut non: ſi virtute excellant, iam eorum te fidei tuto committere neutiquam potes. Semper enim vel tui, cuius ſub imperio degunt, vel aliorum præter animi tui propoſitum oppreſſione, ad ſuam ipſorum amplitudinem augendam aſpirabunt: ſin vulgares & ignaui, tunc te proculdubio in ruinam trahent.

Si quis excipiet hoc idem eſſe facturos quicunque iam arma tenent, ſive ii mercenarii ſint, ſive non; Reſponderem, arma vel tractantur à Principe, vel ab aliqua Republ. Principis eſt ipſum præire, atque imperatoris obire parteis: Reipubl. vero ſuos ciues mittere: quorum ſi quem induſtria & virtute parum reſpondere videat, illum ſubmouendum curet: ſi expectationem explet, tum legibus illum, ne officii fines tranſiliat, cohibeat. Atqui re ipſa cernitur, Principes, ac Reſpublic. duntaxat armis inſtructas, maximos feciſſe progreſſus: mercenaria autem arma, aut damnum aut malum ſemper dediſſe. At hæc, maiori cum difficultate Reſpub. ſuis armis minuta adigitur, vt ſui ciuis admittat imperium, quam quæ extero milite vtitur. Roma & Sparta per multa ſecula armis inſtructa floruerunt, & liberæ manſerunt: Heluetii armatiſſimi ſunt & liberrimi.

Cuius naturæ antiquitus fuerunt arma conductitia, Carthaginenſes nobis exemplo eſſe poſſunt: qui ſtatim á primo contra Romanos

con-

confecto bello, parũ abfuit quin à militibus, quos mercede conduxerant, fuerint oppreſſi, licet ſuos ciues copiarũ haberent præfectos. Philippus Macedo à Thebanis poſt Epaminondæ mortẽ creatus imeprator, parta ex hoſtibus victoria eorũ libertatem ſuſtulit. Mediolanenſes, mortuo Philip. principe decreuerunt ſtipendiũ contra Venetos Franciſco Sfortiæ, qui ad Carauagium deuictis hoſtib. adiunxit ſe illis, vt Mediolanẽſes ſuos dominos opprimeret. Eius pater Sfortia cum Ioan. Neapolitanorũ reginæ ſtipẽdia mereret, repente illã inermẽ deſeruit, ſic ut ne regnũ amitteret, in Aragoniorũ regis ſinum coacta fuerit ſeſe conjicere. Si quis objiciat, Venetorum atq; Florentinorũ imperiũ his armis retroactis temporib. fuiſſe propagatũ, nec illud eorum præfecti in ſuam poteſtatẽ redegerint: reſpondeo Florentinos ſuã quandã fortunã in ea re fautricem habuiſſe. Quandoquidem ex eorũ ductorib. qui ſtrenui eſſent, & à quibus ſibi metuendũ fuiſſet, nonnulli adverſis prœliis ſunt uſi, nonnullis fuit repugnatum, reliquos ambitio alio devoluerat: qui infeliciter bellũ adminiſtravit, is fuit Ioan. Acuthus: cujus fides amiſſa victoria cognoſci non potuit: at nemo non fatebitur ſi victoriã reportaſſet, Florentinorũ rem ſuo arbitratu fuiſſe adminiſtraturum. Sfortiæ perpetuo Brachiani ſunt adverſati mutuo ſeſe obſervantes. Franciſcum ambitio potum in Galliam Ciſalpinã pertraxit: Brachius vero contra ſacerdotum Rempubl. atque Neapolitanorum regnum ſe convertit.

Verum ad id accedamus, quod nuper contigit. Imperiũ belligerendi Florentini detulerunt Paulo Vitellio, viro inſigni prudentia, qui ex privata fortunæ conditione, maximũ ſibi nomen pepererat: is ſi Piſas expugnaſſet, nemo inficias fuiſſet iturus, Rempub. Florentinorum eius imperiũ fuiſſe ſubituram. Nam

ſi in hoſtium parteis ſtipendia facturus tranſiiſſet, nullus erat evadendi locus: ſi vero eum retinuiſſent, illius juſſa capeſſere cogebantur.

Venetorum ſi progreſſus examinentur, facile quis intelliget eos tutiſſime ac feliciſſime tunc ſe præſtitiſſe, cum ex Veneta gente collecti eorum exercitus, bella gerebant. Qui mos eis fuit antequam ad terreſtres expeditiones ſua ſtudia converterent: quo quidem tempore patritię gentis & urbanæ plebis inſtructi armis, fortiſſime ſe geſſerunt. At ubi primum terra bellum gerere cœperunt, hanc virtutem neglexerunt, moreſque Italicos ſunt ſequuti: atque in continenti augendi imperii initio, tum quod non ita longe Reip. fines protuliſſent: tum etiam quod in magna eſſent exiſtimatione non erat quod valde à ſuis præfectis foret ſibi timendum: at propagatis imperii finibus quod Carmignola exercitus imperator factus eſt, tunc ejus erroris ſpecimen ceperunt. Nam cum illum acerrimum ducem cognoviſſent, poſtquam ejus ductu, Mediolanenſium regulum verberaſſent, illum vero remiſſiorė in bello gerendo factum cernerent, nullius amplius victoriæ eo ductore ſe fore compotes ſunt rati. Quare ne quod partum fuerat totum periret, eum miſſum facere nec volebant nec poterant. Vt tutos itaque ab eo ſe aſſererent, eum interfecerunt. Declararunt deinde ſuarum copiarum imperatorem Bartholomæum Bergomatem, Robertum Severinatem: Comitem item Petilianum, & id generis alios: quibus ducibus metuendum erat, ne detrimentum citius quam emolumentum ſuæ Reipublicæ importarent. Id quod in eo, quod geſtum eſt ad Vailam bellum, accidit; ubi unico cum hoſtibus congreſſu id totum periit, quod DCCC. annis tot laboribus fuerat quæſitum. His. n. armis lentæ duntaxat,

ſerę

ſeræ ac exiguæ fiunt rerum acceſſiones: at ſubitæ & repentinæ erumpunt jacturæ & calamitates.

Et quoniam his exemplis eo devenimus, ut de Italia nobis eſſet ſermo, quam Italiam multos annos his armis mercenariis inſtructam, ac procuratam vidimus, de his altius diſquirendum cenſui: ſi forte eorum & origine, & progreſſu perſpecto, conſilia in melius referre diſcat.

Animo comprehenſum velim, quod ubi primum Romanorum imperium ex Italia alio tranſlatum fuit, ac Pontifex in iis quę profana erant majorem indies authoritatem ſibi aſſumeret, tota Italia in plures dynaſtias diſſecta eſt. Celebriores n. urbium in ſuos primarios, quibus antea Imperatorum favore oppreſſæ parebant, arma ſumpſerant: ad quod etiam pontificii, ut inde exiſtimationem ſibi in iis quæ ſacra non erant, compararent, opem ferebant. Ex his etiam nonnullæ in ditionem, & dominatum ſuorum civium ceſſerunt. Ex quo cum Italiæ rerum procuratio in manus ac poteſtatem pontificiorum & nonnullarum Rerumpubl. deveniſſet, cumque hujus generis homines, hique cives omnino rei bellicæ expertes & ignari eſſent, cœptum eſt ab ipſis ſtipendia militibus perſolvi. Qui primus omnium huic militiæ exiſtimationē attulerit, is fuit Albericus Comenſis è Flaminia. Prodierunt ex hujus diſciplina Brachius, & Sfortia: qui ſua tempeſtate rerum in Italia arbitri fuerunt. Hos reliqui omnes ſecuti ſunt, qui ad hæc noſtra uſque tempora rès bellicas in Italia procurarunt: quarum rerum bellicarum virtutem eo notabili exitu vidimus concluſam: ut Carolus Italiam percurrerit, Ludovicus diripuerit, Ferdinandus oppreſſerit, Helvetii deformaverint.

In eum finem hunc militandi morem invexerant,

xerant, ut ſibi id nominis atque exiſtimationis conciliarent, quod peditũ copiis detractum volebant: idq; etiam eſt factũ, quod nullo imperio, nullave ditione eſſent ditati, militarique duntaxat induſtria & conatu, foret ſibi victus quæritandus: peditũ paucitas nihil nominis aſſcrebat, copioſioré exercitũ alere non poterant. Quapropter tota res militaris in equitatum per eos abiit: cuius duces mediocri numero, ali poterant, ac in honore retineri. Ita demum rediit res, ut in exercitu 20. millium hominum, vix duo millia peditũ invenirentur. In illud præterea maxime incumbendum omni induſtria contenderant, ut à ſe atque à militibus omnem laborem & metum adimerent, ne ullæ cædes fierent, capi tantũmodo utrinq; liceret, & ſine ullo pretio dimitti. In obiecta ſibi oppida noctu tormenta bellica non emitterentur: nec item qui in oppidis eſſent, in tentoria jacerent. Caſtra præterea nullo vallo, nullave foſſa cingebantur: nec illa hybernis temporibus habebantur. Hæc autem omnia in eorum militaribus, atq; ab ipſis inventis inſtitutis permiſſa erant: in eum nempe finem (ut dictũ eſt) quo laborem & vitæ diſcrimen omne devitarent: ſic, ut per eos nunc Italia captiua iaceat. ac fœdiſſime deformata.

CAP. XIII.

De auxiliariis militibus, atque de iis qui mixti, quique proprij dicuntur.

AVxiliaria arma, quæ & ipſa inter inutilia recenſentur, ſunt, cum præpotentem aliquem, ut ſuis armis nobis ſuccurrat, noſq; tueatur, accimus. Quéadmodum proximis temporibus, à Pontifice Iulio II eſt factum: qui mercenarij perſpecto ſui exercitus triſti eventu ad auxiliaria arma ſe convertit, pactuſq; eſt cum Ferdinando Hiſpaniarum rege, ut ſuis

copiis,

copiis ſibi opẽ ferret. Poſſunt quidẽ id generis arma ſua natura, & utilia, & bona eſſe: at illa in evocantem nunquam non perniciosa ſunt habita: quandoquidem iis fractis, everſum: victricibus vero, eorum te captivum ſenties.

Hi, exemplis, & ſi univerſæ pene hiſtoriæ antiqua monumenta ſunt referta, tamen ab hoc Iulii exemplo, quod adhuc recens ſit, non diſcedam: cujus conſilio nihil inconſideratius ad Ferrariam occupandam eſſe potuit, quam ſe totum alienæ potentiæ committere: ſed ejus proſpera fortuna effecit, ut tertiæ cuidam cauſæ naſceretur locus, ne ſuæ temeritatis in eligendo fructum capere poſſet. Nam fractis ad Ravennam ſuis ſubſidiariis copiis, ac irrumpentibus Heluetiis, qui præter animi, & ſui, & aliorum opinionem victores ejecerant: factum eſt, ne in hoſtium manus, qui jam in fugam ſe converterant, captivus deveniret, nec etiam in ejus auxiliarium, cum jam victoria aliis armis, non ipſorum potitus eſſet. Florentini penitus armis exuti Gallorum ad decem millia, ad Piſas expugnandas ſtipendiis conduxerant: cujus rei conſilio graviora ſubierunt pericula, quam unquam antea in omnibus eorum adverſæ fortunæ caſibus. Conſtantinopolitanus Imperator, ut vicinis hoſtibus occurreret, ad decem millia Turcarum in Græciam immiſit, qui confecto bello, illinc abire noluerunt: quod ſane futuræ ſervitutis totius Græciæ cum Chriſtianæ Reipub. hoſtibus initium dedit.

Cui itaque ſtat ſententia, ut velit non poſſe vincere, hæc arma in uſum adhibeat: nam iis, quæ mercenariæ ſunt, copiis, longe periculoſiora judicantur. Quandoquidem in iis, jam illatum omnino excidium vertitur, ut quæ in unum ſint conjuncta: atque in id maxime ſint intenta, quo aliorum, non tuo pareant imperio. Vt autem te offendant conductæ copiæ

poſt

poſt adeptam tibi per ſe victoriam. longioris temporis & majoris occaſionis indigent. Non enim omnes in unum coaleſcunt corpus, tum quod à te accitæ atque ſtipendio cum ſint affectæ, ſi tertium quempiam illis in ducem præficias, non poſſunt tantum ſibi authoritatis ſtatim conciliare, ut offenſionem tibi afferre queant. Summa illa ſit, in mercenariis ignaviam, atque negligentiam militandi periculoſiorem eſſe, in auxiliaribus autem bellicam virtutem.

Princeps igitur ſapiens ſemper hæc arma neglexit: atque ad propria procuranda animum contulit, maluitque ſuis armis vinci, quam alienis victoriam eſſe: alienis ſcilicet armis partam victoriam haud veram exiſtimãs. Nunquam verebor in exemplum Valentinum ſubjicere. Is in Flaminiam cum auxiliari exercitu, eoque toto è Gallica gente collecto eſt ingreſſus, atque eorum ope Forum Cornelium & Forum Livium cepit. Verum cum parum fida ea arma cerneret, ad mercenaria, ut quibus minus periculi ineſſe judicabat, ſe contulit: ex Vrſinis propterea & Vitelliis copias conſcripſit. Verum ex uſu & tractatione cum dubia, infida, & periculoſa offenderet, opprimenda curavit, ad ſua procuranda cum animum appuliſſet.

Quid autem diſcriminis hæc inter ſe habeant utraque armorum genera, facile perſpicuum fiet, cognita differentia inter eam Ducis Valentini exiſtimationem, quam habuit cum Gallicis tantum ſubſidiariis, aut Vrſinorum & Vitelliorũ mercenariis copiis inſtructus eſſet, & eam, qua floruit, cum ſolus propriis armis, & virtute ſeptus remanſit: hoc enim tẽpore nunquam non auctã reperiemus: nec ullius unquã magni nominis eſt habitus, niſi cum omnes eum integrum poſſeſſorem, & ſuarum copiarum dominum agnoverunt.

Nole-

Nolebam ab Italiæ ſumptis exemplis, iiſque recentibus diſcedere: nihilominus ex iis unũ eorum, de quibus ſupra facta eſt à me mentio Hieronem Syracuſanum præteritum nolim. Is (ut dixi) à Syracuſanis exercitus declaratus imperator, ſtatim ſenſit militarem illam pretio merentem diſciplinam non fore utilem: cum jam in ea duces æque eſſent comparati, atque nunc noſtri Itali. Sed tamé cum videret eos ſe nec retinere, nec miſſos facere poſſe, ad unum interficiendos curavit. Ex eo poſtea tempore neglectis alienis armis, ſuis opibus bellum adminiſtravit. Ad hoc inſtitutum exemplum ex veteri lege in memoriam revocatum volui. Cum in provocatorem Palæſtinum Goliam Saulo David dimicaturum ſeſe obtuliſſet, ei ut Saulus animos adderet, ſuis eum armis inſtruxit: quæ in humeros ubi David ſibi injecta ſenſit, rejecit, nullum eſſe cum illis, inquiens, ſui corporis ad pugnam expeditum uſum: hoſti propterea, qua eſſet ſolitus funda, & gladio congredi, ſtatuiſſe. Summa illa ſit, aliena arma, aut ex humeris decidunt aut ſunt tibi oneri, aut te conſtrictum tenent.

Carolus VII. Aloiſii regis pater, cum Galliam fortuna & virtute duce ab Anglis liberaſſet, hanc ſui muniendi propriis armis neceſſitatem ſenſit: inſtituitque per totum regnum & equitum, & peditum ordines: cujus filius Aloiſius pedeſtrium copiarum ſuſtulit ordinem, atque Helveticæ genti ſtipendia dare cœpit. Ex quo errore, quem poſteri ejus (ut nunc re ipſa conſtat) ſecuti ſunt, omnia ejus regni pericula emanarunt. Nobilitatis enim Helvetiis, viliorem prorſus omnem ſuam rem militarem effecit: peditatum vero in univerſum ſuſtulit, equitatum autem alienis armis alligavit. Militare enim cum Helvetiis cum ſint aſſueti, nunquam ſe vincere poſſe ſine ipſis exiſtimant. Hinc fit quod Gallis adverſus

Hel-

Helvetios non ſatis virium ſuppetit, & in alios ſine ipſis periclitari nolunt. Gallici itaque exercitus mixti ſunt ex mercenariis, & proprijs. Quæ quidem arma in unum conjuncta meliora ſunt iis, quam mercenaria ſimpliciter ſint, aut auxiliaria, longe tamen propriis inferiora: cujus rei exemplum ſatis ſit, quod eſt ſuperius adductum. Nam Galliarum regnum ex Caroli aucto, vel ſaltem retento inſtituto, fuiſſet invictum. At hominum minuta prudentia aliquid inceptat, quod quia boni nonnihil tunc præ ſe ferre videtur, non aperit ibi (ut ſupra de hectica febri eſt dictum) quod deliteſcit venenum. Quapropter ſapiens vere dici non poteſt Princeps, qui non niſi mala cum naſcuntur, agnoſcit: id autem longe anteverti poſſe, paucis conceditur.

Iam vero Romani imperii prior everſio ſi conſideretur, non aliunde initium ſumpſiſſe quis intelliget, quam quod Gothi mercede conduci cœperunt. Ab eo enim principio vires Romani imperii infirmiores ſunt redditæ: & quæ illi adimebatur virtus, ea Gothis tota tribuebatur. Dictum ſit igitur, nullum principatum propriis armis deſtitutũ unquam fore ſecurum: imo à fortunæ inconſtantia (quod virtute careat, qua protegatur) totum pendere. Atqui in ea ſemper & opinione & ſententia fuerunt ſapientiſſimi viri, nihil levius, nihil ea potentiæ fama infirmius, quam quæ non propria ſit ſuffulta virtute. Arma itaque propria ea ſunt, quæ conſtan aut ex iis qui tuo ſubjiciuntur imperio, aut ex civibus, clientibus ve, reliqua omnia aut in mercenariis, aut in auxiliariis numerantur.

Iam vero modus ad ornandam, diſtribuendamque domeſticam militiam facilis inventu fuerit, perſpecta ordinum, quæ à nobis ſupra poſita eſt, diſtributione, atque quo pacto Philippus Alexandri Magni pater, nec non

multæ Reſpublicæ, & Principes ſeſe armarunt ac inſtruxerunt, ad quam ordinum deſcriptionem prorſus lectorem remitto.

CAP. XIV.

Quid ad militiæ uſum habere principem conveniat.

NIhil aliud itaque ob oculos ſibi ſtatuendum ducat Princeps, nihil curæ nihil quo ſe exerceat artis, quam bellum, quam militares ordines, quam denique ipſam militarem diſciplinam. Ea enim ſola ars eſt imperantis. Eſt autem tantæ virtutis, ut non ſolum eos qui é principum ſanguine genus ducunt, ſuſtineat, verum & qui privatæ fortunæ inter mortales habentur, ad eum gradum ſublimes ferat. Contra vero perſpicuum eſt, Principes, qui magis delitias quam bellicas arteis procurarunt, principatum amiſiſſe: ejus autem amittendi prima cauſa eſt hujus diſciplinæ neglectus, ut acquirendi, ejuſdem eſt profeſſio. Franciſcus Sfortia armis inſtructus, è privato fortunæ ſtatu in Mediolanenſium principatum fuit evectus: cujus filij militiæ moleſtias atque incommoda detrectantes, é principibus ad privatam conditionem reciderunt. Nam inter alias malorum, quæ te armis denudatum circumſiſtunt cauſæ, ſubeſt etiam illa, quæ tui contemtum parit. Quod ſane ex iis præcipua eſt turpitudinis nota, quæ ſunt principi (ut dicetur) ſummo ſtudio effugiédæ. Nullus enim proportionis modus inter armatū cadit, & inermem: nec etiam ratio ipſa patitur, ut qui inermis ſit, ſecurus inter armatos ſervos verſetur, quoniam fieri non poteſt, ut inter eos recte agatur, in quorum alteris indignatio, in alteris ſuſpicio reſideat. Proinde nulla dignatione apud milites haberi poteſt princeps, qui militiæ ſit ignarus, quod ad alias (ut dictū eſt) infelicitates

accedit:

rus, quod ad alias (ut dictum eſt) infelicitates, accedit: nec tuto ſe illorum fidei committere. Nunquam propterea cogitationem ab hoc belli ſtudio avertendam exiſtimet: & pacis quidem tempore acrius in eo quam belli ſeſe exercere debet. Id autem duplici ratione efficere poteſt, re ipſa ſcilicet, & animi cogitatione. Quod autem ad rei uſum attinet, præter id quod quibus præeſt ita retinere debet, ut probe ſint ordinati & exercitati, tũ etiam venandi ſtudiis jugiter ipſe incumbat: ut & corpus laboribus aſſuefaciat, & locorum naturam addiſcat: tum quo modo aſſurgant montes: vallium item ora quo pacto aditum admittant: diffuſi campi uti pandantur: fluminum præterea naturam, & paludum intelligat, atq; in hoc ſummam judicet adhibendam curam. Quæ cognitio duplicem affert utilitatem, tum quod explorata ſibi pateat tota ejus ditionis regio, meliorem notitiam præbeat, qua parte illa defendi poſſit: tum ex illius judicio, & locorum uſu, facile ſitum alium quempiam recenter ſpeculandum ſibi propoſitum, animo complecti poteſt. Nam qui in Etruria (verbi gratia) ſiti ſunt colles, valles, camporũ æquatæ planities, flumina, & paludes, habent cum iis quæ cæterarum ſunt provinciarum, ſimilitudinem quandam: ut ex unius provinciæ ſitu in aliarum etiam cognitionem devenire poſſit. Princeps autem qui hac careat, præcipua denudatur, qua parte belli Dux inſtructus eſſe debet: Quoniam hæc hoſtem invenire, caſtris locum capere, exercitum ducere, diem indicare pugnæ: urbes denique docet cum utilitate, obſidione cingere. Philopœmenis Achæorum principis, inter alias quæ á ſcriptoribus ei tribuuntur laudes, ea una eſt, quod pacis tempore nihil quam de rebus bellicis animo obverſaret, atque campos cum amicis peragrans, ſæpius gradum ſiſteret, unaque cũ

ipſis

ipſis diſſereret. Eho quæſo inquiens, ſi forte collem hoſtes illum tenerent, noſque hic cum exercitu conſiſteremus, uter noſtrum ſuperior eſſet? Quo pacto ſervatis ordinibus, tuto eos aggredi poſſemus? cupientibus item nobis pedem referre, quo id conſilio eſſet agendũ? Contra ſi ipſi revocare gradum vellent, qua ratione inſequi poſſemus? Atque ita proficiſcens, omnia quæ in exercitu caſu evenire ſolent, illis proponebat, eorumque ſententias intelligebat, ſuam afferebat, ac rationibus confirmabat: ſic, ut ex hac jugi cogitatione nunquam poſſet inter ductandum exercitum aliquid adverſi caſus ſuboriri, cui ipſe non haberet quo occurreret remedio.

Iam vero quod ad mentis agitationem ſpectat, principi evoluendæ ſunt hiſtoriæ in illiſque præſtantium virorum res geſtas inſpicere, quidque in bello gerendo conſilii tenuerint: victoriæ item, & detrimẽti accepti cauſas diſquirere, quo & has fugere, & illas imitari poſſit. Illud in primis faciundum curet, quod olim cuidam ex præſtantibus viris factitatum eſt, qui ſi quem ante ſua tempora laudibus & gloria ornatum audiviſſet, eum ſibi imitandum propoſuit, illiuſque ſemper & res geſtas & Actiones apud ſe retinuit, quemadmodum Achillis Alexandrum Magnũ, Cæſarem Alexandri, Cyri Scipionem imitatorem fuiſſe dicunt. Atqui à Xenophonte deſcriptam vitam quicunque legerit, facile inde intelliget in Scipionis vita, quantum ei ex imitatione illa gloriæ acceſſerit, quamque in caſtitate, comitate, humanitate & liberalitate Scipio ad ea, quæ à Xenophonte, de Cyro prodita ſunt, ſeſe conformaverit. Id generis modos rerum peritus Princeps obſervare debet, nec unquam tranquillo aut pacato tempore otioſam vitam traducere: verum ſummo ſtudio eos omnes in pretio habere ut in rebus

adverſis ſibi uſui eſſe poſſint, atque fortuna ceſſante, ad omnes ejus ictus declinandos, propulſandoſque inſtructum ſe ſentiat.

CAP. XV.

De iis rebus, quibus homines, tum maxime principes aut laudantur aut vituperantur.

RELiquum eſt, ut videamus quænam inſtituta Principis eſſe debeant, quæque vitæ quotidiana conſuetudo eſt iis qui ſuo addicti ſunt imperio populis & amicis. Et quoniam multos non ignoro in hoc genere ſcribendi operam dediſſe, vereor ne & ipſe ad ſcribendum animum de eiſdem rebus ſi intendam, id arroganter eſſe factum dicant, alienam præſertim, ſi a communi aliorum ordine de hac re diſputationē inſtituam. Verum cum animus ſit ea ſcribere, quæ intelligenti utilitatem afferant, magis conſentaneum viſum eſt, veritatem rei, quam vel ejus ſimulacrum vel imaginem quandam ſequi. Et ſane complures Reſp. & principatus quoſdam animo effinxerunt, qui nunquam ſub aſpectum ullum venerunt. tantum abeſt, ut revera extiterint. Nam tantum abeſt ratio, qua homines vivunt, ab ea qua æquum eſſet ut viverent, ut qui negligit quod fit, ſequuturus quod eſſet faciendum, is ſibi ruinam potius in addiſcendo accerſit, quā quod ſuæ ſaluti conſultum velit. Qui enim ſe virum bonum omnibus partibus profiteri ſtudet, eum certe inter tot non bonos periclitari neceſſe eſt. Neceſſarium eſt itaque principi, ut perceptū habeat (ſi ſe ſaluum velit) qua ratione poſſit eſſe non bonus, idque pro rei neceſſitate, in ſuum convertat, vel non convertat uſum. Quapropter poſthabitis, quæ de principe duntaxat animo ſunt efficta, deque iis quæ vera ſunt diſſerens, dico omnes homines (cum de his eſt ſermo) principes præſertim, que deditiore in loco poſiti ſunt, harum

rerum

rerum notari aliqua ſolere: ut alius liberalis, reſtrictus & tenax alius dicatur, quidam munificus, raptor alius: nonnulli crudeles, alii clementes: aliqui fœdifragi, religioſi alii: partim effœminati & molles, contra alii viri fortes & feroces, multi humani, ſuperbi avidi alii: complures libidinoſi, caſtitate prædi-ti nonnulli: in non paucis vitæ integritas, fraus nocentiſſima in multis cernitur: moribus aſperi ſint quam plurimi, facilitate & lenitate quidam ornati, nonnulli graves & ſeveri, ex contrario qui leves ſint, diſſoluti: pietatem colant multi, contra ſunt qui plurimum adverſantur, & his ſimilia.

Nemo non fatebitur ſcio, fore rem ſummis laudibus celebrandam, ſi omnibus his princeps eſſet ornatus, quæ ex iam dictis bona exiſtimarunt. Verum cum nec haberi, nec adverſante humanæ vitæ conditione, ſervari poſſint, neceſſarium eſt uti ea prudentia, qua eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi poſſet. Caveat etiam ab iis, ſi fieri poſſit, quæ nihilominus non auferent: ſed ſi effici non poſſit, minore detrimento omitti poſſunt. Nec multum ſane laboret, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facile tueri poſſet. Nam ſi diligenter animo uſque quaque reputabitur, reperientur quædam, quæ virtutem præ ſe ferre dicantur, quæ tamen ſi ſequaris, id tuo magno malo fiet, contra vero nonnulla deprehendentur aſpectu vitioſa, quæ ſi aſſumas, in tuam & ſecuritatem, & incolumitatem ſint reditura.

CAP. XVI.

De liberalitate, & parſimonia.

INitium itaque mihi ſumẽs ab ijs, quæ inter iam dicta primũ locũ ſunt ſortita, non negarim fore optimum, ut Princeps habeatur liberalis:

beralis: nihilominus ita liberalitate uti, ut metuaris, ſane obeſt. Nam ſi ex virtute, utque par eſſet benigne quis cui gratificatur, id obſcurum jacebit, nec contrarij vitij infamia ab eo decidet. Quapropter, ut apud homines beneficentiæ nomen quis retineat, neceſſarium erit, ut nullius generis luxum omittat, adeo ut qui ſic fuerit comparatus Princeps, nunquam non opes ſuas & fortunas ſit profuſurus, adigeturque tandem (ſi beneficentiæ nomen ſibi conſervatum velit) ut mirum in modum in ſuos populos gravem ac moleſtum ſe exhibeat, nec non exactorem agat: tum demum omnia moliatur, quibus pecunias ſibi congerere poſſit. Inde initium ducitur, ut ſuis, qui ſuo parent imperio, maxime ſit infenſus, atque ad inopiam redactus, in minore apud quoſcunque habeatur exiſtimatione, ſic, ut compluribus hac ſua liberalitate læſis, paucis contra beneficio affectis, ad primum quodque incommodum permoveatur, atque ubi primum diſcriminis quid ſeſe offert, ſtatim pereat: id quod cum ipſe intelligat, & ab incepto deſiſtere cum velit, in id confeſtim avaritiæ crimen incurrit, ut habeatur reſtrictus & tenax. Proinde Princeps ſi hac beneficentiæ virtute (ſic ut omibus perſpicua fiat) ſine detrimento uti non poteſt, ſi ſapiet, parſimoniæ notam non reformidabit. Nam progreſſu temporis, cum perſpectum fuerit ex ejus parſimonia abunde ſibi vectigalium ſuppetere: eum poſſe rem ſuam ab iis qui bellum eſſet illaturi, tueri, non gravata multitudine res aggredi inſignes, tunc, inquam munificentior habebitur, ideo ut in omnes illos beneficus cenſeatur (qui pene infiniti ſunt) à quibus nihil ademerit: in reliquos autem qui pauci ſunt, dicetur fuiſſe parcus, quod in eos nihil contulerit. Ætate noſtra nihil laude dignum vidimus eſſe factum niſi ab iis qui perparci

ſunt

ſunt habiti, reliquos autem extinctos eſſe Iulius II. Pont. max. poſtquam liberalitatis nomine ad pontificatum aucupandum ſatis ſuperque cognoſceret ſe fuiſſe perfunctum illius conſervationis poſtea ſecurus abiit Galliarum regi bellum illaturus, totque bellis geſtis, nihil aut tributi aut vectigalis extra ordinem quod eſſet, eſt unquam imperatum: nam immoderatis ſumptibus ſubminiſtravit, ejus diutina parſimonia. Hiſpaniarum qui nunc regnum obtinet, ſi magnificentiæ nomine commendari voluiſſet, nunquam tot res gerere, victoriiſque potiri potuiſſet. Proinde Princeps, ne ſuos diſpoliet, utque ſeſe tueri ac ſuſtinere poſſit, ad pauperiem item, ſuique contemptum, aut ad rapacitatem ne adigatur, avaritiæ crimen parvi faciendum ducet. Nam vitiorum id eſt unum, quod minime impeditur dominandi ratio.

At ſi quis C. Cæſarem diceret ſua liberalitate ad imperium perveniſſe, alioſque complures, quod & eſſent, & haberentur liberales, ad altiſſimos honorum gradus fuiſſe evectos, dicerem te, aut eſſe jam principem, aut ad eum dignitatis gradum iter eſſe ingreſſũ. In priore ratione, hæc tua liberalitas tibi foret fraudi, in altera neceſſarium ſane eſt, ut liberalis habearis. Cæſar autem ex iis erat, qui ad Romanum imperium aſpirabant: verum eo occupato, ſi ſuperſtes fuiſſet, nec ſumptibus fuiſſet temperatum, totum illud imperium profudiſſet. Atque iterũ ſi quis diceret multos extitiſſe Principes, qui ſuis exercitibus res magnas geſſerunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum eſt principem vel de ſuis, vel de aliorum bonis ſumptus facere. Si primum, parcus eſſe debet: ſi ſecundũ, neceſſe eſt ut nullam partẽ liberalitatis prætermittat. Atqui principi in expeditionẽ exercitus educenti (qui exercitus præda, dire-

tur. Homines prætereа minore reſpectu offendunt, qui ſtudent, ut diligantur, quam qui metuantur. Nam amor quadam officii lege continetur: at homines cum omni improbitate laborent, ad quamcunque proprii commodi levem occaſionem, illam perfringunt. Contra metus, formidine perpetua inſtantis pœnæ, nunquam non animo obſervans retinetur: ita tamen ſe metuendũ exhibeat Princeps ut inde ſi benevolentia non concilietur, odium tamen vitetur. Nam ſatis pulchre cohærere poſſunt, timeri, & in odio non eſſe: quod quidem nunquam non erit, ſi ſuorum civium & populorum bonis abſtineat, & mulierum pudicitia. Quod ſi quando in vitam alicujus fuerit animadvertendum, id tunc ne vereatur facere, cum & facti ratio, & quæ deceat mãifeſta purgationis cauſa afferri poteſt.

Sed illud omnium maxime tenendum erit, ut fortunis alienis temperatum fuiſſe cognoſcatur. Nam citius parentũ cædem oblivioni dant homines, quam fortunarum ſuarum direptionem. Ad hæc eripiendi aliena nunquã non aderunt cauſæ. Qui etiam rapinis victitare incipit, perpetuo cauſas exquiret, quibus alienas opes occupet. Contra, ſanguinis effũdendi rariores ſunt cauſæ, citiuſque prætereunt, atque deficiunt. At principi jam in exercitu verſanti, atque multitudinis procurationem habenti ſtatuendum omnino eſt, ut inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Nam hujus nominis expers, nunquam exercitum conjunctum, nec ad aliquid aggrediendum inſtructum retinere poteſt. Inter alia digna omni admiratione quæ geſſit Annibal, illud quoque recenſetur, quod cum copioſiſſimum, peneque infinitis gentibus refertum duceret exercitum, in alienas terras militaturus, nulla unquam aut inter ſe aut in ipſum ducẽ fuerit ſuborta ſeditio, idque conſtanter in utraque

fortunæ conditione tum adverſæ, tum proſperæ fuiſſe factum. Quod ſane quam ab illa ejus effera ſævitia aliunde proficiſci non potuit: quæ una cum cæteris ejus virtutibus, in conſpectu totius exercitus auguſtum atque terribilem reddidit. Ad quam quidem rem cæteræ illi virtutes ſine hac ſatis non fuiſſent Cæterum ſcriptores parum conſiderate has ejus res geſtas admirantur quidem, cum ex altera parte potiſſimam earum cauſam accuſent. Cæteras autem illius virtutes ad id non ſuffecturas, facilè eſt in Scipione viro ſingulariſſimo perſpicere: nec ſolum ejus tempeſtate, verum in omni rerum quæ ſciuntur memoria, cujus exercitus in Hiſpaniis ab eo deſciverunt. Quæ res aliunde non fuerat profecta, quam ab ea quæ licentiores, quam militari diſciplinæ par eſſet, milites effecerat lenitate nimirum ejus nimia: id quod postea in ſenatu à Fabio Maximo fuit illi exprobratum Romanæ militiæ corruptorem illum appellãte. Locrenſes à Scipionis quodam legato everſos non vindicavit, nec de illius legati inſolẽtia pœnas ſumpſit, quod omnino ex illius facilitate ingenii naſcebatur, adeo ut illum excuſandum quidẽ cum ſuſcepiſſet, multos, inquit, eſſe homines, qui melius errata vitare, quam aliorũ errata corrigere noſſent. Quod quidẽ ingenium temporis progreſſu violaſſet Scipionis & nomen & gloriã, ſi cũ eo in imperio retinendo perſeveraſſet: ſed ſenatus decretis parẽti, hæc vitioſa ejus affectio non ſolum latuit obſcura, verũ maximæ gloriæ fuit.

Vt autem eo noſtra redeat oratio, ad metũ ſcilicet, & amorem, quo quis aut diligi, aut metui debeat, dico: cum homines ad arbitrium ſuum ament, metuant autem ad principis voluntatem: Princeps, qui ſapientia valet, eo quod ſuæ eſt, non alienæ facultatis, niti ſtudeat. Illud duntaxat omni diligentia

curet, ne in aliorum odium, aut offenſionem incurrat.

Cap. XVIII.

Quo pacto fides à Principe ſit ſervanda.

QVam ſit omni laude dignum in principe pactam fidem ſervare, atque vitæ integritatem ſine ullo dolo malo retinere, nemo eſt qui non intelligat.

Verum, cum ſint duo genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad poſterius, ſi non ſatis eſt uti ſuperiori. Proinde neceſſariũ eſt, ut Princeps rectum vtriuſque, & belluæ & hominis uſum teneat. Involucro quodam hæc pars principibus eſt á veteribus ſcriptoribus tradita, aſſerentibus, Achillem compluresque alios ex priſcis illis principibus, Chironi Centauro educandos, atque in ejus diſciplinam fuiſſe creditos. In eo enim quod præceptorem mixti generis, & hominis & belluæ habuiſſe dicunt, nihil quam principi fore neceſſarium docent utriuſque naturæ uſum. Cum itaque principem magni referat belluinum ingenium ſcite inducere, ei tum vulpis, tum leonis mores aſſumendi erunt. Nam leo ſibi à laqueis non cavet, lupos vero vulpecula reformidat. Quo itaque laquei ſentiantur, vulpeculam agere oportet; lupi vero quo deterreantur, leoninum ingenium eſt ſubeundum. Qui igitur leonis veſtigiis ſimpliciter inſiſtunt, ii ſane rem ipſam non tenent. Princeps propterea qui ſapientia ſit præditus, debet ea promiſſa vitare, quæ ſuis commodis contraria fore videt. Atqui homines ſi probi fuiſſent omnes, præceptum hoc plane fuiſſet inutile: verum cum improbi ſint, diligenter eorum improbitas perfidiaque erit eludenda. Iam vero nunquam hominibus defuturæ ſunt

cau-

cauſæ, quibus in violatam fidem colorem inducant. In hanc rem fere infinita poſſent recentia proferri exempla, atque oſtendere, quot pacis fœdera, quot promiſſa & conventa fuerint perfidia irrita & vana: qui vero ſagacior fuit, ut vulpinum ingenium melius exprimeret, ei felicius omnia ceciderunt.

Verum hanc naturam plurimum refert, ut quis recte norit colore veſtire, cum ſimulando, tum diſſimulando: homines enim adeo ſimplices ſunt, adeo præſentibus neceſſitatibus obſequentes, ut qui fallax, & ſimulationis artificio eruditus ſit, ſtatim ſit habiturus qui ſe illi decipiendum tradat, quo magis tales homines cavendi erunt, eorumque artificium arte fruſtrandum.

Nolim Alexandri ſexti Pontific. Max. recens exemplum ſilentio præteritum. Is nihil quam mortalium impoſtorem egit, nihil quá ad omnem malitiam & fraudem (quo hominum genus falleret) mentem ſuam exercuit. Atqui reperit ſubjectam quam tractaret materiam. In aſſeverando autem qui magis fuerit efficax, aut qui ſpecioſius juravit jusjurandum, viciſſimque qui minus pręſtiterit, nemo unquam fuit: nihilo ſecius doli nunquam nő commode ei ceſſerunt. Hanc enim fallendi artem, moreſque hominum probe callebat. Proinde non eſt quod Princeps eas omnes ſuperius deſcriptas virtutes oſtentet: ſunt enim adverſus tales diſſimulandæ ſæpenumero, callideque tegendæ. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ converſionem verſatile ingeniű Princeps habeat, eſt neceſſe, & (ut jam dictum eſt) ab eo, quod bonum eſt, ne diſcedat: at ſi neceſſitas urgeat, edoctus ſit, & malum avertere.

In id itaque Princeps ac rem curam, diligentiamque omnem adhibeat, ne quid

ex ejus ore excidet , quod quinque illis iam numeratis partibus non ſit refertum, atq; ita conſpiciendum, audiendumque exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem ſancte colere videatur. At qui nihil eſt, quod magis præ ſe ferre oporteat, quam poſtremam hanc virtutem: fere omnes homines magis ſpecie & colore rerum, quam rebus ipſis permoventur, & judicant. Nam videndi facultas, omnes attingit; attrectandi vero, paucos duntaxat. Nemo nõ videt quid præ te feras : at pauci ſunt qui, quod ſis, ſenſu percipiant. Qui quidem pauci nec audent multorum opinioni, qui defenduntur imperij majeſtate, adverſari. In hominum autem, præſertim principum actionibus, ubi nullum habetur conſtitutũ, ad quod vocentur judicium, rerum eventum plerique obſervantes expectant. Vitam igitur Princeps tueatur, curetque imperium conſervare: quibus autem id fiat rationibus, eæ, modo honeſti ſpeciem præ ſe ferant, nunquam non honore dignæ, laudibuſque exiſtimabuntur. Ducitur namque captivum perpetuo vulgus ſpecie recti, & rerum eventu, & plane nihil quam vulgus toto in orbe verſatur. Illi vero pauci ibi locum obtinent, ubi plurimi non habent: quo nitantur.

CAP. XIX.

Principi tum contemptum ſui , tum odium eſſe fugiendum.

ET quoniam inter diſſerendum de principis dotibus, quarum ſuperius mentioné fecimus, de ijs duntaxat tractatum eſt, quæ majoris viſæ ſunt eſſe momenti, reliquas nunc breviter ſub univerſa quadam tractatione diſquiram: ut Princeps ſcilicet cogitet (ut nonnihil ſuperius attigi) ea fugienda, quæ infenſum & neglectum eum reddere poſſunt. Quoties autem

tem hoc declinaverit,ſuas plane parteis abſolverit.neq;à cæteris infamiæ notis ullum,quod ſibi immineat periculum, offendet. In odium omnium maxime,ut dixi,adducunt bonorum direptio , & quo cuique temperandũ eſt, ſuarum raptus mulierum. Quotieſcunque bonis parcitur multitudinis,& honoti,præclare ſecum agi ducunt homines : & id duntaxat ſit reliquum oppugnandum , ambitio nimirum paucorum, quæ multis modis , nulloq; negotio reprimi poteſt.Spretum deinde & contemptum reddit,ſi varius,ſi levis, ſi effœminatus, ſi timidus , ſi denique habeatur animi dubius & incertus;quæ omnia tanquam ſcopulos fugere ſtudeat Princeps,adnitaturq;,ut in omni curatione & adminiſtratione rerum , animi magnitudo,ſpiritus ingens,gravitas,fortitudo eluceat : nec non apud eos qui inter reliquam ſuorum multitudinem digniores habentur,ita ſententiam ſuam,quam ſemel pronuntiârit,ratam ac firmam haberi velit,ut ab ea nunquam deduci aut dimoveri poſſe pro certo teneant : ac talem de ſe opinionem ſuſtinere ac retinere ſtudeat, ut illorũ nemo veniat,ut illũ aut decipi, aut flecti poſſe cogitet.

Ille igitur Princeps,qui talem de ſe ſententiam & exiſtimationem in hominum mentes inſerit,ſemper habetur maximi. Iam vero in eum, quem omnes magnifaciant, difficilis eſt conjuratio, difficilis oppugnatio, difficilis irruptio:modo fama ferat eum apud ſuos longe excellere,& ſumma obſervantia coli. Duplici enim metu teneri principem oportet : altero interiore & domeſtico , eorumque cauſa , quos ſuo moderatur imperio ; altero exteriore & alieno propter eos , qui potentes ſunt, extraneos. Ab hoc ſe aſſerit bellicis armis probe inſtructus, et amicis. Quæ arma ſi adſunt , nunquam non bonos amicos habebit. Domi autem firma erunt omnia, ubi firma

adverſis ſibi uſui eſſe poſſint, atque fortuna ceſſante, ad omnes ejus ictus declinandos, propulſandoſque inſtructum ſe ſentiat.

CAP. XV.

De iis rebus, quibus homines, tum maxime principes aut laudantur aut vituperantur.

RELiquum eſt, ut videamus quænam inſtituta Principis eſſe debeant, quæque vitæ quotidiana conſuetudo eſt iis qui ſuo addicti ſunt imperio populis & amicis. Et quoniam multos non ignoro in hoc genere ſcribendi operam dediſſe, vereor ne & ipſe ad ſcribendum animum de eiſdem rebus ſi intendam, id arroganter eſſe factum dicant, alienam præſertim, ſi a communi aliorum ordine de hac re diſputationé inſtituam. Verum cum animus ſit ea ſcribere, quæ intelligenti utilitatem afferant, magis conſentaneum viſum eſt, veritatem rei, quam vel ejus ſimulacrum vel imaginem quandam ſequi. Et ſane complures Reſp. & principatus quoſdam animo effinxerunt, qui nunquam ſub aſpectum ullum venerunt, tantum abeſt, ut revera extiterint. Nam tantum abeſt ratio, qua homines vivunt, ab ea qua æquum eſſet ut viverent, ut qui negligit quod fit, ſequuturus quod eſſet faciendum, is ſibi ruinam potius in addiſcendo accerſit, quã quod ſuæ ſaluti conſultum velit. Qui enim ſe virum bonum omnibus partibus profiteri ſtudet, eum certe inter tot non bonos periclitari neceſſe eſt. Neceſſarium eſt itaque principi, ut perceptũ habeat (ſi ſe ſaluum velit) qua ratione poſſit eſſe non bonus, idque pro rei neceſſitate, in ſuum convertat, vel non convertat uſum. Quapropter poſthabitis, quæ de principe duntaxat animo ſunt efficta, deque iis quæ vera ſunt diſſerens, dico omnes homines (cum de his eſt ſermo) principes præſertim, que deditiore in loco poſiti ſunt, harum

rerum

rerum notari aliqua ſolere: ut alius liberalis, reſtrictus & tenax alius dicatur, quidam munificus, raptor alius: nonnulli crudeles, alii clementes: aliqui fœdifragi, religioſi alii: partim effœminati & molles, contra alii viri fortes & feroces, multi humani, ſuperbi atq; vidi alii: complures libidinoſi, caſtitate prædi- ti nonnulli: in non paucis vitæ integritas, fraus nocentiſſima in multis cernitur: moribus aſperi ſint quam plurimi, facilitate & lenitate quidam ornati, nonnulli graves & ſeveri, ex contrario qui leves ſint, diſſoluti: pietatem colant multi, contra ſunt qui plurimum adverſantur, & his ſimilia.

Nemo non fatebitur ſcio, fore rem ſummis laudibus celebrandam, ſi omnibus his princeps eſſet ornatus, quæ ex iam dictis bona exiſtimarunt. Verum cum nec haberi, nec adverſante humanæ vitæ conditione, ſervari poſſint, neceſſarium eſt uti ea prudentia, qua eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi poſſet. Caveat etiam ab iis, ſi fieri poſſit, quæ nihilominus non auferent: ſed ſi effici non poſſit, minore detrimento omitti poſſunt. Nec multum ſane laboret, ſi in eorum vitiorum infamiam incurrat, ſine quibus dominatum non facile tueri poſſet. Nam ſi diligenter animo uſque quaque reputabitur, reperientur quædam, quæ virtutem præ ſe ferre dicantur, quæ tamen ſi ſequaris, id tuo magno malo fiet, contra vero nonnulla deprehendentur aſpectu vitioſa, quæ ſi aſſumas, in tuam & ſecuritatem, & incolumitatem ſint reditura.

CAP. XVI.

De liberalitate, & parſimonia.

INitium itaque mihi ſumés ab ijs. quæ inter iam dicta primũ locũ ſunt ſortita, non negarim fore optimum, ut Princeps habeatur liberalis:

beralis: nihilominus ita liberalitate uti, ut metuaris, ſane obeſt. Nam ſi ex virtute, ut quę par eſſet benigne quis cui gratificatur, id obſcurum jacebit, nec contrarij vitij infamia ab eo decidet. Quapropter, ut apud homines beneficentiæ nomen quis retineat, neceſſarium erit, ut nullius generis luxum omittat, adeo ut qui ſic fuerit comparatus Princeps, nunquam non opes ſuas & fortunas ſit profuſurus, adigeturque tandem (ſi beneficentiæ nomen ſibi conſervatum velit) ut mirum in modum in ſuos populos gravem ac moleſtum ſe exhibeat, nec non exactorem agat: tum demum omnia moliatur, quibus pecunias ſibi congerere poſſit. Inde initium ducitur, ut ſuis, qui ſuo parent imperio, maxime ſit infenſus, atque ad inopiam redactus, in minore apud quoſcunque habeatur exiſtimatione, ſic, ut compluribus hac ſua liberalitate læſis, paucis contra beneficio affectis, ad primum quodque incommodum permoveatur, atque ubi primum diſcriminis quid ſeſe offert, ſtatim pereat: id quod cum ipſe intelligat, & ab incepto deſiſtere cum velit, in id confeſtim avaritiæ crimen incurrit, ut habeatur reſtrictus & tenax. Proinde Princeps ſi hac beneficentiæ virtute (ſic ut omibus perſpicua fiat) ſine detrimento uti non poteſt, ſi ſapiet, parſimoniæ notam non reformidabit. Nam progreſſu temporis, cum perſpectum fuerit ex ejus parſimonia abunde ſibi vectigalium ſuppetere: eum poſſe rem ſuam ab iis qui bellum eſſet illaturi, tueri, non gravata multitudine res aggredi inſignes, tunc, inquam munificentior habebitur, ideo ut in omnes illos beneficus cenſeatur (qui pene infiniti ſunt) à quibus nihil ademerit: in reliquos autem qui pauci ſunt, dicetur fuiſſe parcus, quod in eos nihil contulerit. Ætate noſtra nihil laude dignum vidimus eſſe factum niſi ab iis qui perparci

ſunt

ſunt habiti, reliquos autem extinctos eſſe Iulius II. Pont. max. poſtquam liberalitatis nomine ad pontificatum aucupandum ſatis ſuperque cognoſceret ſe fuiſſe perfunctum illius conſervationis poſtea ſecurus abiit Galliarum regi bellum illaturus, totque bellis geſtis, nihil aut tributi aut vectigalis extra ordinem quod eſſet, eſt unquam imperatum: nam immoderatis ſumptibus ſubminiſtravit, ejus diutina parſimonia. Hiſpaniarum qui nunc regnum obtinet, ſi magnificentiæ nomine commendari voluiſſet, nunquam tot res gerere, victoriiſque potiri potuiſſet. Proinde Princeps, ne ſuos diſpoliet, utque ſeſe tueri ac ſuſtinere poſſit, ad pauperiem item, ſuique contemptum, aut ad rapacitatem ne adigatur, avaritiæ crimen parvi faciendum ducet. Nam vitiorum id eſt unum, quod minime impeditur dominandi ratio.

At ſi quis C. Cæſarem diceret ſua liberalitate ad imperium perveniſſe, alioſque complures, quod & eſſent, & haberentur liberales, ad altiſſimos honorum gradus fuiſſe evectos, dicerem te, aut eſſe jam principem, aut ad eum dignitatis gradum iter eſſe ingreſſū. In priore ratione, hæc tua liberalitas tibi foret fraudi, in altera neceſſarium ſane eſt, ut liberalis habearis. Cæſar autem ex iis erat, qui ad Romanum imperium aſpirabant: verum eo occupato, ſi ſuperſtes fuiſſet, nec ſumptibus fuiſſet temperatum, totum illud imperium profudiſſet. Atque iterū ſi quis diceret multos extitiſſe Principes, qui ſuis exercitibus res magnas geſſerunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum eſt principem vel de ſuis, vel de aliorum bonis ſumptus facere. Si primum, parcus eſſe debet: ſi ſecundū, neceſſe eſt ut nullam partē liberalitatis prætermittat. Atqui principi in expeditionē exercitus educenti (qui exercitus præda, dire-

ptionibus, tributis ſint alendi) alienaque tractanti, neceſſaria eſt hæc liberalitas, alioquin milites illum non ſequerentur. Quod autem non eſt tuum nec tui populi, id liberalius cōferri poteſt: uti à Cyro, Cæſare & Alexandro factum conſtat. Non enim id, quod de alienis bonis inſumis, tibi exiſtimationem adimit, imo cumulatiorem reddit: ſed à propriis opibus abſumptis tibi detrimentum venit. Atque nihil eſt quod magis ſeipſum conficiat, quam liberalitas, qua inter utendum facultatem utendi amittis, atq; ad egeſtatem redigeris, aut ad tui contemptum: vel ſi pauperiem judicas vitandam, tunc ad rapinas te convertis: atque ad odium tibi conciliandum. Iam vero quod omnium maxime principi eſt vitandum, illud eſt, ne aut neglectui, aut odio habeatur, ad quorum utrumque beneficentia illum facile impellit. Quare ſapientius eſt nomen *perparci* ſuſtinere (quod infamiam abſque odio parit) quam ut *beneficus* dicaris, velle raptoris nomine notari, quod quidem infamiam ſummo cum odio conjunctam contrahit.

Cap. XVII.

De crudelitate & clementia: atque ſatiusne ſit amari quam metui.

IAm ad alia eorum quæ ſupra recenſuimus devenientes, unicuique principi optabile foret, ut clemens, non crudelis haberetur: nihilominus cautio adhibenda eſt, ne hac abutatur clementia Valentinus immanis exiſtimabatur: ejus tamen immanitas totam Flaminiam in integrum reſtituit, eamque in unū collegit, atque ad pacem & fidem redegit. Quod ſane ſi probe conſideretur: Florentino populo deprehendetur illum mitiorem fuiſſe: qui ut crudelitatis nomen effugerent, ſiverunt Piſtorienſium urbem everti. Parui itaq; ducat Princeps ſævitiæ nomen, quo concor-

des

des ſuos in fide retineat. Pauciſſimis enim exemplis clementior eris, quam qui nimia lenitate permittũt, ut rerũ perturbationes ſequãtur: unde cædes aut rapinæ naſcãtur. Totã enim multitudinẽ hæ offendere ſolent, ubi illæ animadverſiones, quæ à Principe proficiſcũtur, præcipuũ quendã, & ſingularẽ tantũ lædũt. Atqui inter alios Principes, ille potiſſimũ qui novus eſt fieri non poteſt ut inclementiæ nomẽ effugiat, cũ novi dõinatus adeo periculis ſint referti. Hinc Virgilius ſub Didonis perſona ex novitate regni inhumanitatẽ excuſat *Res dura*, inquit, *& regni novitas me talia cogunt Moliri, & late fines cuſtode tueri.*

Nihilominus gravitatem quandã adhibeat, quo minus temere omnia credat, aut moveatur, aut ſibi ipſi metum injiciat: verum ita rerum adminiſtrationem prudentia & humanitate temperet, ne nimia confidentia incautũ aut diffidentia non ferendum efficiat.

Oritur ex hoc quæſtio, *ſatiusne ſit amari, quam metui, an metui, quam amari?* Vtrumque dici poſſet fore neceſſarium: verum difficile cum ſit ambo ſimul conjungi, tutius eſt (ſi altero eſt carendum) metui, quam diligi. Nã de hominib⁹ vniverſe hæc affirmari poſſunt, eos ingratos eſſe, inconſtãtes, ſimulatores, periculorum fugitantes, lucri cupidi; dũq; de eis benemeritis, ac neceſſitas procul abeſt, tui omnes ſunt ſtudioſi, ſanguinem pro te effundẽdum offerunt, fortunas, vitam, liberos. At ea premente, ut ſupra docuimus, confeſtim deſciſcunt: Princeps vero, qui omni alio apparatu nudus, eorum pollicitationibus verbotenus factis penitus nititur, in præceps defertur: quandoquidem amicitiæ, quæ non animi magnitudine & præſtantia, ſed pretio comparantur, debentur quidem meritis: at quo eas poſſideas, aut in tempore in uſum tuum adhibere poſſis minime habetur.

tur. Homines præterea minore reſpectu offendunt, qui ſtudent, ut diligantur, quam qui metuantur. Nam amor quadam officii lege continetur: at homines cum omni improbitate laborent, ad quamcunque proprii commodi levem occaſionem, illam perfringunt. Contra metus, formidine perpetua inſtantis pœnæ, nunquam non animo obſervans retinetur: ita tamen ſe metuendū exhibeat Princeps ut inde ſi benevolentia non concilietur, odium tamen vitetur. Nam ſatis pulchre cohærere poſſunt, timeri, & in odio non eſſe: quod quidem nunquam non erit, ſi ſuorum civium & populorum bonis abſtineat, & mulierum pudicitia. Quod ſi quando in vitam alicujus fuerit animadvertendum, id tunc ne vereatur facere, cum & facti ratio, & quæ deceat māifeſta purgationis cauſa afferri poteſt.

Sed illud omnium maxime terendum erit, ut fortunis alienis temperatum fuiſſe cognoſcatur. Nam citius parentū cædem oblivioni dant homines, quam fortunarum ſuarum direptionem, Ad hæc eripiendi aliena nunquā non aderunt cauſæ. Qui etiam rapinis victitare incipit, perpetuo cauſas exquiret, quibus alienas opes occupet. Contra, ſanguinis effūdendi rariores ſunt cauſæ, citiuſque prætereunt, atque deficiunt. At principi jam in exercitu verſanti, atque multitudinis procurationem habenti ſtatuendum omnino eſt, ut inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Nam hujus nominis expers, nunquam exercitum conjunctum, nec ad aliquid aggrediendum inſtructum retinere poteſt. Inter alia digna omni admiratione quæ geſſit Annibal, illud quoque recenſetur, quod cum copioſiſſimum, peneque infinitis gentibus refertum duceret exercitum, in alienas terras militaturus, nulla unquam aut inter ſe aut in ipſum ducē fuerit ſuborta ſeditio, idque conſtanter in utraque

fortu-

fortunæ conditione tum adverſæ, tum proſperæ fuiſſe factum. Quod ſane quam ab illa ejus effera ſævitia aliunde proficiſci non potuit: quæ una cum cæteris ejus virtutibus, in conſpectu totius exercitus auguſtum atque terribilem reddidit. Ad quam quidem rem cæteræ illi virtutes ſine hac ſatis non fuiſſent Cæterum ſcriptores parum conſiderate has ejus res geſtas admirantur quidem, cum ex altera parte potiſſimam earum cauſam accuſent. Cæteras autem illius virtutes ad id non ſuffecturas, facilè eſt in Scipione viro ſing[ula]riſſimo perſpicere: nec ſolum ejus tempeſtate, verum in omni rerum quæ ſciuntur memoria, cujus exercitus in Hiſpaniis ab eo deſciverunt. Quæ res aliunde non fuerat profecta, quam ab ea quæ licentiores, quam militari diſciplinæ par eſſet, milites effecerat lenitate nimirum ejus nimia: id quod poſtea in ſenatu à Fabio Maximo fuit illi exprobratum Romanæ militiæ corruptorem illum appellãte. Locrenſes à Scipionis quodam legato everſos non vindicavit, nec de illius legati inſolẽtia pœnas ſumpſit, quod omnino ex illius facilitate ingenii naſcebatur, adeo ut illum excuſandum quidẽ cum ſuſcepiſſet, multos, inquit, eſſe homines, qui melius errata vitare, quam aliorũ errata corrigere noſſent. Quod quidẽ ingenium temporis progreſſu violaſſet Scipionis & nomen & gloriá, ſi cũ eo in imperio retinendo perſeveraſſet: ſed ſenatus decretis parẽti, hæc vitioſa ejus affectio non ſolum latuit obſcura, verũ maximæ gloriæ fuit.

Vt autem eo noſtra redeat oratio, ad metũ ſcilicet, & amorem, quo quis aut diligi, aut metui debeat, dico: cum homines ad arbitrium ſuum ament, metuant autem ad principis voluntatem: Princeps, qui ſapientia valet, eo quod ſuæ eſt, non alienæ facultatis, niti ſtudeat. Illud duntaxat omni diligentia

curet, ne in aliorum odium, aut offenſionem incurrat.

CAP. XVIII.

Quo pacto fides à Principe ſit ſervanda.

QVam ſit omni laude dignum in principe pactam fidem ſervare, atque vitæ integritatem ſine ullo dolo malo retinere, nemo eſt qui non intelligat.

Verum, cum ſint duo genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad poſterius, ſi non ſatis eſt uti ſuperiori. Proinde neceſſariū eſt, ut Princeps rectum utriuſque, & belluæ & hominis uſum teneat. Involucro quodam hæc pars principibus eſt á veteribus ſcriptoribus tradita, aſſerentibus, Achillem compluresque alios ex priſcis illis principibus, Chironi Centauro educandos, atque in ejus diſciplinam fuiſſe creditos. In eo enim quod præceptorem mixti generis, & hominis & belluæ habuiſſe dicunt, nihil quam principi fore neceſſarium docent utriuſque naturæ uſum. Cum itaque principem magni referat belluinum ingenium ſcite inducere, ei tum vulpis, tum leonis mores aſſumendi erunt. Nam leo ſibi à laqueis non cavet, lupos vero vulpecula reformidat. Quo itaque laquei ſentiantur, vulpeculam agere oportet; lupi vero quo deterreantur, leoninum ingenium eſt ſubeundum. Qui igitur leonis veſtigiis ſimpliciter inſiſtunt, ii ſane rem ipſam non tenent. Princeps propterea qui ſapientia ſit præditus, debet ea promiſſa vitare, quæ ſuis commodis contraria fore videt. Atqui homines ſi probi fuiſſent omnes, præceptum hoc plane fuiſſet inutile: verum cum improbi ſint, diligenter eorum improbitas perfidiaque erit eludenda. Iam vero nunquam hominibus defuturæ ſunt

cau-

cauſæ, quibus in violatam fidem colorem inducant. In hanc rem fere infinita poſſent recentia proferri exempla, atque oſtendere, quot pacis fœdera, quot promiſſa & conventa fuerint perfidia irrita & vana: qui vero ſagacior fuit, ut vulpinum ingenium melius exprimeret, ei felicius omnia ceciderunt.

Verum hanc naturam plurimum refert, ut quis recte norit colore veſtire, cum ſimulando, tum diſſimulando: homines enim adeo ſimplices ſunt, adeo præſentibus neceſſitatibus obſequentes, ut qui fallax, & ſimulationis artificio eruditus ſit, ſtatim ſit habiturus qui ſe illi decipiendum tradat, quo magis tales hom'nes cavendi erunt, eorumque artificium arte fruſtrandum.

Nolim Alexandri ſexti Pontific. Max. recens exemplum ſilentio præteritum. Is nihil quam mortalium impoſtorem egit, nihil quã ad omnem malitiam & fraudem (quo hominum genus falleret) mentem ſuam exercuit. Atqui reperit ſubjectam quam tractaret materiam. In aſſeverando autem qui magis fuerit efficax, aut qui ſpecioſius juravit jusjurandum, viciſſimque qui minus pręſtiterit, nemo unquam fuit: nihilo ſecius doli nunquam nõ commode ei ceſſerunt. Hanc enim fallendi artem, moreſque hominum probe callebat. Proinde non eſt quod Princeps eas omnes ſuperius deſcriptas virtutes oſtentet: ſunt enim adverſus tales diſſimulandæ ſæpenumero, callideque tegendæ. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ converſionem verſatile ingeniũ Princeps habeat, eſt neceſſe, & (ut jam dictum eſt) ab eo, quod bonum eſt, ne diſcedat: at ſi neceſſitas urgeat, edoctus ſit, & malum avertere.

In id itaque Princeps ac rem curam, diligentiamque omnem adhibeat, ne quid

ex ejus ore excidet , quod quinque illis iam numeratis partibus non ſit refertum, atq; ita conſpiciendum, audiendumque exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem ſancte colere videatur. At qui nihil eſt, quod magis præ ſe ferre oporteat, quam poſtremam hanc virtutem: fere omnes homines magis ſpecie & colore rerum, quam rebus ipſis permoventur, & judicant. Nam videndi facultas, omnes attingit; attrectandi vero, paucos duntaxat. Nemo nõ videt quid præ te feras: at pauci ſunt qui, quod ſis, ſenſu percipiant. Qui quidem pauci nec audent multorum opinioni, qui defenduntur imperij majeſtate, adverſari. In hominum autem, præſertim principum actionibus, ubi nullum habetur conſtitutũ, ad quod vocentur judicium, rerum eventum plerique obſervantes expectant. Vitam igitur Princeps tueatur, curetque imperium conſervare: quibus autem id fiat rationibus, eæ, modo honeſti ſpeciem præ ſe ferant, nunquam non honore dignæ, laudibuſque exiſtimabuntur. Ducitur namque captivum perpetuo vulgus ſpecie recti, & rerum eventu, & plane nihil quam vulgus toto in orbe verſatur. Illi vero pauci ibi locum obtinent, ubi plurimi non habent: quo nitantur.

CAP. XIX.

Principi tum contemptum ſui, tum odium eſſe fugiendum.

ET quoniam inter diſſerendum de principis dotibus, quarum ſuperius mentionẽ fecimus, de ijs duntaxat tractatum eſt, quæ majoris viſæ ſunt eſſe momenti, reliquas nunc breviter ſub univerſa quadam tractatione diſquiram: ut Princeps ſcilicet cogitet (ut nonnihil ſuperius attigi) ea fugienda, quæ infenſum & neglectum eum reddere poſſunt. Quoties autem

tem hoc declinaverit, ſuas plane parteis abſolverit. neq; à cæteris infamiæ notis ullum, quod ſibi immineat periculum, offendet. In odium omnium maxime, ut dixi, adducunt bonorum direptio, & quo cuique temperandū eſt, ſuarum raptus mulierum. Quotieſcunque bonis parcitur multitudinis, & honori, præclare ſecum agi ducunt homines: & id duntaxat fit reliquum oppugnandum, ambitio nimirum paucorum, quæ multis modis, nulloq; negotio reprimi poteſt. Spretum deinde & contemptum reddit, ſi varius, ſi levis, ſi effœminatus, ſi timidus, ſi denique habeatur animi dubius & incertus; quæ omnia tanquam ſcopulos fugere ſtudeat Princeps, adnitaturq;, ut in omni curatione & adminiſtratione rerum, animi magnitudo, ſpiritus ingens, gravitas, fortitudo eluceat: nec non apud eos qui inter reliquam ſuorum multitudinem digniores habentur, ita ſententiam ſuam, quam ſemel pronuntiârit, ratam ac firmam haberi velit, ut ab ea nunquam deduci aut dimoveri poſſe pro certo teneant: ac talem de ſe opinionem ſuſtinere ac retinere ſtudeat, ut illorū nemo veniat, ut illū aut decipi, aut flecti poſſe cogitet.

Ille igitur Princeps, qui talem de ſe ſententiam & exiſtimationem in hominum mentes inſerit, ſemper habetur maximi. Iam vero in eum, quem omnes magnifaciant, difficilis eſt conjuratio, difficilis oppugnatio, difficilis irruptio: modo fama ferat eum apud ſuos longe excellere, & ſumma obſervantia coli. Duplici enim metu teneri principem oportet: altero interiore & domeſtico, eorumque cauſa, quos ſuo moderatur imperio; altero exteriore & alieno propter eos, qui potentes ſunt, extraneos. Ab hoc ſe aſſerit bellicis armis probe inſtructus, et amicis. Quæ arma ſi adſunt, nunquam non bonos amicos habebit. Domi autem firma erunt omnia, ubi firma

ſint, quæ foris geruntur, niſi aliqua pertur-bentur conjuratione. Et tamen ſi quid novarum rerum molirentur quæ foris ſunt, jam ipſe, ſi ita inſtructus eſt, & vitæ rationem talem inſtituit, qualem præſcripſimus, ſemper (modo ſeipſum non deſerat) omnem impetum feret ac ſuſtinebit: quemadmodum Nabidem Spartiatam feciſſe oſtendit.

At ab iis, quibus imperat populis, ſi quando externa quieſcant, illud timendum eſt, ne qua per eos conjuratio fiat: à qua quidem ſe facile ſecurum vendicabit, contemptu & odio vitato, populiſque per eum cumulate ſibi ſatisfactum aſſerentibus. Quod ut ſequatur (ut latius ſupra patuit) neceſſarium eſt. Atqui omnium quod maximum cõſequi poſſet Princeps in conjuratores, remedium illud unum & præcipuum eſt, odii & contemptus à multitudine vitatio. Semper enim qui in aliquem conſpirat, is ſibi perſuadet principis morte multitudini ſe ſatisfacturum. At ſi in ea fuerit opinione, ut credat id fore apud eum ſibi offenſioni, nunquam id audaciæ ſumeret, ut talia aggrederetur moliri conſilia. Conjuratorum enim quæ ſibi immineant difficultates, pene infinitæ ſunt. Re ipſa profecto cernitur, multos quidem conjuraſſe: quibus vero feliciter ceſſerit, perpauci admodum fuerunt. Qui enim conjurat, nec ſolus eſſe, nec ſocium ſibi aſciſcere poteſt, niſi ex iis, quos offenſos exiſtimat. Verum ubi primum offenſo cuipiam animi tui conſilium aperueris, facultaté concedis, qua ſibi cumulate ſatisfieri poſſit: quandoquidem detecto animi tui cogitato, in eam ipſe ſpem venit, ut omnia ſibi inde commoda polliceri queat. Hic itaque quæſtum ratum & certum cum videat, illic vero incertum, & periculis plenum, par eſt, ut aut rarus ſit amicus, aut quo tibi fidem ſervet, pervicaci odio in principem ſit affectus.

Vt autem rem ipſam ad pauca redigam, cõjuratorum partes metum duntaxat, ſolicitudinem, pœnæ formidinem, perpetuos comites habent. At à principis partibus ſtant imperii majeſtas leges; ab amicis & toto principatu defenſiones: quæ omnia adeo illũ tutum reddunt, ut ſi his popularis accedat benevolentia, fieri non poteſt, ut quis eo temeritatis erumpat, ut in illum conſpirare velit. Nam fere aſſolet, ut conjurato cum ante admiſſum facinus ſit timendum, in hac re ejus cauſa ea eſt, ut poſt patratum ſcelus, etiam ſit illi extimeſcendum: tam jam ex commiſſo ſcelere infenſam habeat multitudinem, nec propterea poſſit ſperare ullum perfugii locũ, Poſſent in hanc ſubjectam materiam infinita exempla proferri: Sed illud unum, quod patrum noſtrorum memoria contigit, ſatis mihi fuerit propoſuiſſe. Annibale Bentivolo, hujus Annibalis qui nunc eſt, avo, penes quem ſumma rerum apud Bononienſes erat, à Canneſchis, qui in illum conjurarunt, interfecto, nec ulla ex ſe quam Ioanne tunc in cunis agente relicta prole, ſtatim à patrato homicidii ſcelere excitata eſt multitudo, quæ totam Canneſchorum familiam cæde ſuſtulit. Quod ſane à populari illa in Bentivolam gentem, qua illam complectebantur benevolentia, profectum eſſe conſtat. Quæ quidem tanta fuit, ut cum nemo ad principatum regendum ſupereſſet, indicio accepto, quod Florentiæ eſſet, qui è Bentivolorum gente genus duceret, ad illud uſque tempus fabri filius habitus, eo illum accerſitum profecti ſunt Bononienſes, eique ſuæ civitatis adminiſtrationem detulerunt: quam quidem tamdiu eſt moderatus, quoad Ioannes ad ætatem imperio regendo idoneam perveniſſet. Dico itaque conjurationes omnes principi parvi faciendas eſſe, ubi populi in eũ fuerit propẽſa volũtas: at eo infenſo,

ſenſo, & qui ſui hoſtili odio flagret, omnia ſunt & ab omnibus timenda.

Principatus præterea, qui bene ſunt conſtituti, principesq; ipſi omni diligenti cura ſtatuerunt, ne eorum viri primarij ſua cauſa ad deſperationem adigerentur: nec quicquam quo multitudinem æquam ac tranquillam retinerent, negaretur: nam hæc omnium graviſſima eſt, quam tractet Princeps materia.

Inter ea regna, quæ hac noſtra ætate bene conſtituta ſunt, quæque prudenter procurata, Galliarum regnum annumeratur: in quo multa ſunt ſapienter præſcripta, à quibus regis & libertas, & ſecuritas pendet: quorum primum eſt ipſe Senatus, ejuſque authoritas. Quandoquidem qui illud regnũ inſtituit, cognita potentum ambitione, eorumq; inſolentia, cenſuit aliquo freno eſſe corrigendam: cæterum animadvertens quo odio eſſet multitudo in potentiores metu duntaxat innixo, cupiens eos ſecuros reddere, noluit id muneris regis eſſe proprium, ut omni apud regni proceres liberaretur invidia, ſi multitudini faveret: & apud multitudinem, ſi procerum partes complecteretur. Ob id tertium quendam conſtituit judicem, qui ſine Regis invidia proceres cæderet, & tenuiores tueretur. Nihil melius, nihil ſapientius hoc decreto eſſe potuit: nec regni, aut ipſius Regis potior ſecuritatis cauſa. Hinc alterum, quod notandum eſt, elici poteſt: ut nimirum *ea Princeps alijs procuranda decernat, quæ invidiam parere poßint: ſibi vero quæ grata ſint reſervet.* Concluſum denuo ſit, exiſtimationem ſuorum procerum principi in pretio eſſe habendam, ita tamen ne populi ſibi odium conciliet.

Compluribus fortaſſe videri poſſunt, huic meæ opinioni pugnantia exempla, cũ ex Romanis multorum imperatorum uita, & morte perſpecta, aliquem invenerint, qui, etſi egre-

gie vixerit,& ingentem animi magnitudinem ſe tulerit, imperium tamen amiſerit: aut s,qui in illum conſpirarunt,fuerit interfectus. Cupiens itaque ad hæc,quæ objici poſſent, reſpondere, nonnullorum imperatorum mores & ingenium diſquiram, & cauſam cur perierint, examinabo, quam cauſam non diſſimilem his, quæ propoſita ſunt, oſtendam. Tum ea conſideranda proponam,quæ res geſtas illorum temporum legentibus digun ſūt, quæ notentur. Mihi vero ſatis eſſe velim,eos omnes imperatores oratione complecti, quibus imperii ſucceſſio obvenit,à Marco Philoſopho ad Maximinum uſque initio ducto,qui quidem hi recenſentur: Marcus,ejuſque filius Commodus, Pertinax, Iulianus, Severus, & Antonius Caracalla ejus filius,Macrinus,Heliogabalus,Alexander & Maximinus.

Illud principio obſervandum eſt, cum unicum certamen duntaxat in omni procuratione principatus cernatur, potentiorum ſcilicet ambitio, & populorum inſolens ingenium, Romani Imperatores tertia quadam afficiebantur difficultate, quod illis ferenda eſſet militum crudelitas & avaritia: idque cum difficile eſſet, cauſam exitij multis attulit. Nam factu haud facile eſt, militum & populorum votis ſatisfacere. Hi enim qui etam & otioſam vitam traducere cupiunt, ob idque principes, qui modeſti ſint, complectuntur: milites vero eorum ſtudioſi ſunt, qui bellicoſo animo,inſolenti,crudeli,& rapace ſunt inſignes. Quæ omnia in populos cupiebant ab imperatoribus exerceri, quo ſibi duplicatis ſtipendiis, avaritiam & ſevitiam ſuam explere poſſent. Hinc factum eſt, 'ut qui talem de ſe natura, vel arte partam opinionem imperatores, non afferrent, qua utrumque hominum genus freno compeſcerent, ij ruina oppreſſi interibant. Atqui eorum maxima

pars

pars (illi præſertim, qui tanquam novi principatum inibant) perſpectis utriuſque generis diverſis ingeniorum naturis, eo animum inclinarunt, quo militibus gratificarentur, injurias populi contemnerent. Quod quidem conſilium neceſſarium erat. Nam eum principes vitare non poſſent, quin in aliquorum odium incurrerent, illud in primis contendendum erat, ne multitudinem ſibi infenſam facerent: id autem ſi obtinere non poſſent, in id omnium maxime incumberent, ut ejus multitudinis offenſionem declinarent, quæ eſſent potentiorum.

Hac de cauſa Imperatores, qui ob principatus novitatem ſtudiis & favore extra ordiné opus habebant, militibus libentius, quam populis ſeſe adiungebant. Id tamen vel damnum, vel commodum illis afferebat, ut Princeps ipſe dignitatem ſuam & auctoritatem retinendi peritus erat. Ab his cauſis profectũ eſt, ut Marcus, Pertinax, Alexander, viri modeſtioris vitæ, & juſtitiæ cultores, crudelitatis hoſtes, humanitate & comitate præditi, triſteis exitus ſint conſequuti, præter unũ Marcum, qui quidem longe honoratior vixit, & idem obiit. Imperii. n. ſucceſſio hæreditario jure ei cum obtigiſſet, non erat cur aut militibus, aut populis acceptum ferret. Tanto preterea virtutum comitatu, quæ illum venerandum & auguſtũ effecerant, ſeptus cum eſſet, ſemper quoad vixit, utrumque ordinem, ab omni odio, & ſui contemptu liber, intra officii fines continuit. At Pertinax repugnante exercitu fuerat ad imperium evectus: qui exercitus, cum ſub Commodo aſſuetus eſſet diſſolute vivere, non poterat id genus honeſtæ vitæ, ad quod illum cupiebat adduci, æquo animo ferre: hinc odio ſibi eorum conflato, cui odio ſui neglectus (quod jam ſenex eſſet) cum acceſſiſſet, inter initia delati imperii conci-

concidit. Hinc & illud animadvertere licet, honeſtæ æque ac turpis vitæ factis odium conciliari. Quocirca Princeps imperium qui ſalvum velit, cogitur nonnunqnam eſſe non bonus: quandoquidem ſi ea multitudo; quæ ſit populi, aut militum, aut optimatum, cujuſque opera ad imperium ſuſtinendum ſe indigere cognoſcat, fuerit depravata, obſequi ejus ſtudio, atque illi morem gerere neceſſe eſt. Quo quidem tempore, quæ factu forent honeſta principi vehementer eſſent contraria.

Sed veniamus ad Alexandrum, in quo vis tanta extitit probitatis, ut inter alias laudes, quæ illi tribuuntur, illa accenſeatur, quod toto illo 13. annorum ſpatio, quo imperium fuerat moderatus, nemo unquam indicta cauſa fuerit interfectus. Nihilominus tum effœminati animi fuerit habitus, & qui maternis conſiliis ſineret ſe duci, ob idque in contemptum delapſus, ab exercitu in eum conſpirante fuit interfectus.

Nunc viciſſim mores & ingenium Commodi, Severi, Antonini Caracallæ, & Maximini examinantes, atrociſſimos illos deprehendemus, rapinis inhiantes. Qui ut militum cupiditatem explerent, à nullo injuriarum genere, quod in populos committi poſſet, fuit ab illis temperatum. Omnibus tamen, Severo excepto, triſtes obtigerunt vitæ exitus. Severus enim tanta excelluit animi virtute, ut militum animos in ſe propenſos poſtquam continuiſſet, tametſi populi eſſent à ſe duriter oppreſſi, potuerit tamen imperium feliciter, ſemperque retinere. Illius namque virtutes ita illum in conſpectu cum exercitus, tum reliquarum gentium ſuſpiciendum efficiebant, ut hi attonitis quodammodo hærentes animis, & ſtupore perculſi, illi vero ejus reverentia tacti æque quieſcerent.

Et

Et quoniam hujus viri res geſtæ præclaræ fuerunt, paucis oſtendam, quam pulchre vulpeculpę perſonam, & leonis in uſum ſuum induerit: quorum ingenia & naturam, principi imitanda (ut dixi) exiſtimo.

Severus cognita Iuliani imperatoris ignavia, perſuaſit exercitui, cujus ipſe in Illyrio ductor erat, optimum fore, ut Romam Pertinacis imperatoris cædem vindicaturi proficiſcerentur: à prætoriana enim militum cohorte fuerat interfectus. Sub hac itaque ſpecie, ne ad imperium aſpirare videretur, exercitus contra Romam movit: ac prius in Italiam tranſmiſit, quam de illius ex Illyrio diſceſſu fuerit reſcitum. Cum autem Romam deveniſſet, Senatus metu adductus, imperatorem illum, Iuliano vita functo, declaravit. Poſt hæc principia duo ſupererant Severo ad ab olutum imperium occupandum: alterum in Aſia, ubi Niger exercituum Aſiæ præfectus, imperatorem & ipſe ſe ſalutare juſſerat: alterum in occidente ab Albino, qui viciſſim de imperio occupando animo cœperat agitare. Verum cum perſpiceret periculoſum fore ſi ſe in utrumq; hoſtē declararet, ſtatuit Nigrum adoriendum, Albinum verum dolo circūvenire: ad quē propterea literas dedit: cum ab ſenatu imperii procuratio fuiſſet ſibi delata, ſe ſtatuiſſe eam dignitatē utriq; communem fieri: atq; Cęſaris titulo ad illū miſſo, ex Senatus decreto illum ad imperii procurationē collegam ſibi adjunxit. Quæ omnia ab Albino pro veris bona fide fuerunt accepta. At Severus, devicto atq; interfecto Nigro, orientiſq; rebus probe compoſitis, Romā reverſus, contra Albinum, (quod beneficii à ſe accepti immemor in ſuam cædem per proditionē perpetrandam eſſet molitus) apud ſenatum conqueſtꝰ eſt: ob idq; ſibi fore neceſſariū, ut eo ſe conferret, & de illius ingratitudine meritas pœnas ſumpturus

pturus: inde in Galliam ad illum profectus, una eum imperio vitam illi ademit.

Qui itaq; hujus viri res geſtas exacte animo reputabit, eum leonem ferociſſimũ dicet, vulpeculamq; maxime ſubdolam: adverſuſque eum & timorem, & reverentiam ab omnibus fuiſſe adhibitam: & ab exercitu nec ſpretum, nec contemptũ unquam fuiſſe intelliget: deſinetque mirari, ſi homo nouus cum eſſet, tandiu imperitũ retinere potuerit. Nam ſumma ejus dignitas & exiſtimatio ſemper illum ab omni populorum odio, quod ex rapinis in ſe concipi potuiſſet, vendicarunt.

Ejus filius Antoninus, æque ac ipſe pater, vir præſtantiſſimus habitus eſt: ac multis rebus excelluit, quæ illum in omnium gentium conſpectu majeſtate conſpicuum reddebant, & exercitui ſumme gratũ. Erat enim vir plane bellicoſus, omnium laborum patientiſſimus, & qui omnem ciborũ lautitiam, vitæq; mollitiẽ univerſam ſummopere aſpernaretur. Quod ſane militum animos erga ſe benevolos, ac propenſos efficiebat. Nihilominus tanta extitit ferocia, & inaudita ejus crudelitas (nam præter alias, eaſq; multiplices, præcipuaſque cauſas, majorem populi Romani partem, Alexandrinam vero univerſam multitudinem cæde ſuſtulit) ut omnium pene mortalium in ſe concitarit odium: cœperatq; iis etiam terrori eſſe, qui illum medium ſepſerant, ſic, ut à centurione in medio ſui ipſius exercitus fuerit interfectus.

Qua in re illud conſiderandum venit, id generis cædes, quæ ab obfirmati & obſtinati animi propoſito accidunt, vitari à principe non poſſe. Qui enim inſtructus eſt ad mortẽ contemnendam, ei factu perquam proclive id fuerit. Verũ hoc mortis genus minus eſt principi timendum, quod longe rariſſimũ ſit. Videndum eſt duntaxat, ne quempiam ex iis gravi

gravi aliqua injuria laceſſat, quorum opera ipſe utatur, quoſq; ad imperii procurationem circa ſe retineat. In quod erratum Antonius prolapſus eſt, qui centurionis prædicti fratrē contumelioſiſſime interfecerat, eiq; quotidie minabatur: nihilominus inter ſui corporis ſtipatores retinebat. Cujus quidem conſilii ratio temeraria erat, atq; (uti poſtea accidit) in ea pereundum fuit.

Sed ad Commodum noſtra redeat oratio. Is nullo fere negotio imperium retinere poterat. Iure enim hæreditario, quod Marci filius eſſet, obtigerat: ſatiſque fuiſſet ſi paterna veſtigia inſtitiſſet, quo univerſis populis fuiſſet etiam cumulatiſſime ſatisfactū. At animo truculento cum eſſet, & effero, totum ſe convertit ad exercitus, quem licentiorem effecerat, gratiam retinendá, quo ſuas poſſet in populos exercere rapinas. Cæterū dignitatem, & amplitudinem ſuam cum nec tueretur, nec conſervaret, atq; in theatra cū gladiatoribus decertaturus ſæpenumero deſcendiſſet, aliaque ſordidiſſima indigniſſimaque imperii majeſtate admiſiſſet, deſpicabilé prorſus in militū conſpectum atq; abjectum ſe præbuit: atque cum partim odio omnibus eſſet; partim neglectui: in eum conſpiratū eſt, & interfectus.

Reliquum eſt, ut de Maximini ingenio diſſeramus. Is bellicoſiſſimus fuit, atque Alexandri, de quo jam ſuperius narravimus mollicies, cum ſummo eſſet omnib. faſtidio, hoc vita functo, illum ad imperiū evexerunt: quod tamen non diu retinuit. Nam duo illum infenſum ac contemnendū effecerant. Alterū quod ignobiliſſimus eſſet. Paverat enim oviū gregem in Thracia, quæ res ubique gentium erat notiſſima, atque ob id omnes illum abhorrebant, alterum erat, quod cum ingreſſi ſui principatus Romam profectioné ſuam diſtuliſſet, atque in poſſeſſionem imperii veniret,

opi-

opinionem quod crudeliſſimus eſſet, attulit. Nam & Romæ, & per totam imperii ditioné, à ſuis præfectis multiplici immanitate ſævitú fuerat graviter: ſic, ut totus pene orbis ira in eum, tum ex generis obſcuritate permotus, tum odio, quod efferati eſſet ingenii metuens, primú Aphrica, deinde Senatus una cum univerſo populo Romano, atque Italia tota in illum conſpirarunt. Ad hæc exercitus ipſe, qui ad Aquileiam cum eſſet in caſtris, expugnationem difficiliorem nactus, illiuſq; ſævitiæ pertæſus, totque in illum hoſtes cum cerneret, minus illum timens interfecit.

Omittam de Heliogabalo, Macrino ac Iuliano dicere, qui contempti, ſpreti, atque abjecti cum eſſent, ſtatim fuerunt oppreſſi. Sed ad hujus propoſitæ rei narrationé totam peroraturus accedam: Qui noſtrorum temporum ſunt Principes, minus dico hac difficultate premi, quam militibus in imperii ſui adminiſtratione teneantur extra ordiné ſatisfacere. Nam etſi illorum aliqua eſt habenda ratio, id tamen paulo momento definitur, cum nemo horum principú collectos in unum exercitus habeant, qui una cum gubernatione, & provinciarú procuratione, uti imperii Romani exercitus, conſenuerint. Quare ſi tunc militibus citius, quam populis erat ſatisfaciendú, id erat quod milites, quam populi potentiores eſſent: nunc vero longe magis eſt neceſſarium, ut populis mos geratur (ſemper Turcarum Imperatorem, & Ægypti Syriæque Sulthanum excipio) quam militibus. Populi namq; copiarum exercitibus potentia (Turca excepto) facile præſtant. Hic enim Turcarum imperator peditú XII. millia, equitum autem XVI. ſemper qui ſe circumſtent, cum retineat, à quibus regni ſecuritas, & robur pendet, neceſſarium eſt, ut populorum neglecta, quæ habenda eſſet, ratione, ſibi propenſos foveat.

Huic perſimile eſt Sulthani regnum: quo in militum manu conſtituto, neceſſarium eſt, ut & ipſe nulla populorum habita ratione, eos ſibi in amicitia firmos complectatur. Atqui illud videre licet, hoc Sulthani regnum longe diverſum à cæteris principatibus eſſe. Accedit namque quam maxime ad Chriſtianorum pontificatum, quem nec hæreditarium, nec novum appellare poſſumus. Principis enim jam demortui, qui liberi ſuperſunt, nec teſtamento relinquuntur hæredes, nec principatuum domini: ſed ille, qui in eum gradum per eos, penes quos eſt eligendi poteſtas, eligi ſolet. Qui mos una cum tempore cum inveteraverit, recens dominatus dici non poteſt. Nulla enim earum difficultatum affligatur, quibus novi obnoxii patent. Nam & ſi novū eſt imperium, illius tamen dignitatis decreta antiqua ſunt: atque in eum finem facta, ut illum tanquam hæreditarium admittant, & complectantur dominum.

Verum ad noſtrum redeamus inſtitutum. Si quis, inquam, ea quæ jam ſnpta expendimus, animo reputabit, facile intelliget ab eo, quod odio flagrarint, nec non quod contempti & ſpreti fuerint imperatores illi, eorum calamitatem eſſe profectam. Perſpicuum & illud fiet, qui factum ſit, quod eorum nonnulli, adminiſtrandi rationem quandam ſequuti, cui contrariam alii cum inierint, in utraq; tamē parte ejuſde adminiſtrandæ rationis reperti ſint, tum quibus felix, tum quibus triſtior contigerit vitæ finis. Inutile namq; fuit, & noxiū pertinaci, & Alexandro principes novi cum eſſent, Marcū imitari voluiſſe, non ſecus atq; Caracallæ, Commodo, & Maximino pernicioſum, Severi voluiſſe veſtigiis inſiſtere. Non enim tanta præditi erant virtute, quæ ad eorum veſtigia implenda ſatis eſſet. Quapropter novus Princeps in imperio retinendo non

poteſt

poteſt Marci res geſtas imitari: nec etiam neceſſarium eſt, ut quæ Severus egit, ipſe curet præſtanda: verum eas Severi parteis complectatur, quæ ad imperium confirmandum fuerint neceſſariæ: à Marco autem eas mutuetur, quibus imperium jam ſtabilitum & confirmatum, digne ac glorioſe tueri ac ſuſtinere poſſit.

CAP. XX.

Sint ne arces, & quæ ad dominatum retinendum, à principibus plerunque fieri ſolent, utiles, an noxiæ.

QVo tuto dominatum retinerent nonnulli principes, populos, qui in eorum ditionem conceſſerant, armis ſpoliarunt: Alii in factiones diſciſſas urbes continuerunt: inimicitias in ſeſe fouerunt quam plurimi: arces item fuerunt qui extruxerint, ubi nonnulli ſuas jam extructas everterunt. Nam pauci in id animum intenderunt, ut qui ſibi initio principatus initi, ſuſpecti eſſent, eos in ſuam ipſorum amicitiam adiungerent. Quare etſi de his omnibus definita ferri ſententia non poteſt, niſi ad præcipuam quandam horum principatuum formam deducatur, quæ eſſet tractanda quæſtio: tamen perinde univerſam de iis orationem inſtituam, atque ſubjectæ rei materia patietur.

Nunquam itaque eſt factum, ut qui novus ſit Princeps, arma ſuis detraxerit: imo inermes nactus, ſemper armis inſtruendos curavit. Ea enim arma quibus inſtruuntur, jam tui juris eſſe cœperunt. Qui tibi ſuſpecti habentur, ij fideles evadunt: in fide autem qui hactenus perſtiterunt, confirmantur. Iam quibus imperio præes, tui adhærentes fiunt. Et quoniam quæ in tuam poteſtatem ceſſit multitudo, univerſa amari non poteſt, ſi de iis qui jam armis ſunt inſtructi, bene merearis, ſecurius

rius cum reliquis agere potes, & diverſitas illa inter adminiſtrandum, quam liberaliorem erga ſe agnoſcunt, eos tibi devinctos reddit: reliqui qui ſunt, excuſationé pro te defendendo afferunt: judicantes neceſſarium fore, ut qui periculorum plus ſubeunt & oneris, eos etiam videri plus jure meritos eſſe. Verũ cum illis arma detrahis, jam illis injurius eſſe incipis, atque oſtendis, quod animi tui vel abjectione, vel in eos exigua fide illis omnino diffidas: quarum utraque opinionum odium in te concitant. Cum auté ſine armis eſſe nequeas, ad mercenariam militiam te convertis, de qua cujus virtutis eſſet, ſupra diſſeruimus. Quæ & ſi bona eſſet, non ea tamé eſt virtute, quæ te à præpotentibus hoſtibus, & ab ea quá ſuſpectam habeas, multitudine tueri poſſit. Quocirca novus Princeps (ut dixi) in novo, cui præeſt, principatu, nunquam non deſcripta ac diſpoſita habebit arma. Harum rerum exemplis hiſtoriæ pene omnes ſunt refertæ.

At principe nova aliqua provincia aucto, quo veluti pars veteri ſuo adiungatur imperio, tunc neceſſarium eſt, ut ſic parta provincia, armis exuatur, in qua illi excipiantur, qui in ea occupanda ſui ſe ſtudioſos declararunt: qui quidem tamen temporis progreſſu & occaſionibus molles reddendi ſunt & effœminari: atque ita ſeſe comparet Princeps, ut totius ditionis arma in iis militibus collocentur, qui proprii ſint, & qui in veteri principatu vitam apud illum traducunt.

Majores noſtros, & qui ſapientes habebantur, ſolitos dicere accepimus, *Piſtorienſium civitatem factionibus, Piſas vero arcibus retinendas eſſe.* Hinc factum eſt, ut in nonnullis, quæ eorum ſubjiciebantur imperio urbibus, diſſidia fouerint, quo earum poſſeſſioné facilius retinerent. Recte hoc factũ eſſe poterat, dum Italia ſurſum deorſũ quodammodo ferebatur:

rebatur: at hoc tempore id præceptũ præſcribi poſſe non arbitror. Nam quod diſſidia aliquid commodi ex ſe unquã pariant, certe nõ puto: imo neceſſarium eſt, ut ad hoſtium acceſſum, urbes factionibus diſtractæ, ſtatim amittantur. Semper enim debilior pars viribus externis ſeſe adjunget: cum altera nec tueri, nec ſe ſuſtinere poſſit. Veneti ſuperioribus rationibus adducti (ut ego exiſtimo) Guelforum factiones, & Gibellinorum in civitatibus ſui imperii alebant: & tametſi nunquam permittebant, ut in cædes faciendas irrumperent, nihilominus hujuſmodi diſſenſiones fovebant, ut ſic controverſiis occupati populi, haud in illos motum aliquem excitarent. Quod ſane, uti poſtea patuit, ex ſententia illis non ceſſit. Nam ad caſtellum, quod *Vaila* appellatur fractis, ſtatim partiũ altera audentior facta, omne imperium illis ademit. Hæ rationes igitur adminiſtrandi, principis imbecillitatẽ arguunt: quandoquidem viribus potens imperium, nunquam id generis urbiũ diſtractiones feret. Pacis quidẽ tempore duntaxat uſui eſſe poſſunt, cum per eas facilius, qui in tua ſunt poteſtate, homines regi poſſint: at bellum ſi inſtet, tunc ſuam declarat id genus conſilii fraudẽ. Haud dubie ſuperandis difficultatibus, & quæ ſtruuntur rebus adverſis, clari evadũt principes: ob id fortuna cum aliquem præſertim principem novũ evehendum curat: quique majorẽ, quam qui hæreditario jure principatũ tenet, neceſſitatẽ habet hoſtes illi excitat, expeditiones parat: quo illas ex oblata occaſione ſuperet, atque quos ad aſcendendũ gradus hoſtes attulerunt, per eoſdem altius evolare nitatur. Quare multi ſunt, qui ſentiunt, ut rerũ peritus Princeps ſi quando occaſio datur, aſtu aliquid inimicitiarũ in ſe alere debeat, ut illis oppreſſis, major illius nominis ſubſequatur & dignitas & ãplitudo.

Nacti

Nacti ſunt majorem fidem & utilitatẽ principes, præſertim novi in iis, qui in principatu ineundo judicabantur ſuſpecti, quam in iis, quibus maxime initio confidebant. *Pandulfus Petruccius* Senenſium princeps per eos magis principatũ adminiſtrabat, quos ſuſpectos habuit, quam per quoſuis alios. Verum de hac rerum adminiſtrandi ratione quod ex ſubjectæ rei natura varia ſit, haud quaquam fuſius diſſerere poſſum. Illud duntaxat dictũ velim: velim: ſi homines, qui initio principatus hoſtes fuerunt, ejus generis ſunt, ut quo ſe ſuſtineant auxilio indigeant, nunquam non principi factu perquam facile fuerit, eos ſibi amicos conciliare: ipſi vero eo magis coguntur principi inſervire, quo opinionẽ de ſe inique conceptam, factis delendam eſſe cognoſcunt. Ita fit, ut major inde fructus ad principem redeat, quam ab iis, qui nimia à ſecuritate illi inſervientes res illius negligunt.

Cæterum poſtquam res ipſa poſtulat, prætermiſſum nolim, quo minus in memoriam renocem principi, cui nuper provincialium favore parta eſt aliqua provincia, ut probe conſideret, quæ cauſa impulerit, ut ei faverent, atque ſtudium illud in ſe, niſi à naturæ quadam propenſione profectum eſſe cognoſcat (ſed quod tantum illa rerum prior adminiſtrandi ratio non placeret) negotii plurimum & difficultatis erit, eos in amicitia retineri poſſe: ut enim illis ſatisfaciat, fieri non poteſt. Atque hujus rei cauſa per ea exempla, quæ ex vetuſtis & recentioribus rebus colligi ſolent, probe perſpecta & examinata, longe facilius eos Princeps intelliget in ſuam amicitiam pertrahi poſſe, qui in primo illo dominatu quieſcebant, & qui proptera hoſtes in ſe fuerunt, quam eos, qui quod illis diſplicebat, in ſuam amicitiam inclinarunt, atque ad eam provinciam occupandam ſtudium ſuum omne,

omne, & favorem ei præſtiterunt. Conſuetudo invaluerat apud principes, ut quo tutius principatum obtinerent, arces erigerent, quæ tanquam habenis & frenis compeſcerent illos, qui in ſe aliquid molirentur: atque ad ſe repentinum quemque impetum ſecurum haberent, quo ſe reciperent, perfugium. Equidem conſilium hoc, quod iam pervetuſtum & uſitatum ſit, improbatum nolim. Nihilo ſecius ætate noſtra vidimus Nicolaum Virellium duas, quæ Tipherni erant arces, ut ditionem illam retineret, diruiſſe. Guidus Vbaldus Metaurenſium Princeps, in principatum unde à Valentino fuerat ejectus, reſtitutus, omneis illius provinciæ arces funditus evertit. Illis enim ſic everſis, exiſtimavit difficilius provinciam illam iterum amitti poſſe. Bentivoli, Bononiam recuperatam cum rediiſſent, eadem conſilia ſunt ſequuti. Ex temporum itaque conditione arces ſunt, vel non ſunt uſui: ſi qua autem in parte quid boni inde ad te redit, in altera maxime lædunt. Hoc ſane ſic examinari licet.

Principi, qui populos ſuos magis quam externos timet, arces ſunt erigendæ: at qui ab externis magis quam à populis metuit, ab eo prætermitti debent. Plus enim bellorum intulit, illaturumque eſt Sfortianorum familiæ. Mediolani à Franciſco Sfortia extinctum caſtrum, quam quodvis aliud in eo dominatu admiſſum erratum. Proinde propugnaculum quovis alio firmius illud eſt, multitudinis odio carere. Nam qui in odium populi incurrit, tametſi munitiſſimas poſſideat arces, eum tamen liberare non poſſunt. Populis enim cum jam arma ceperint, nunquam deerunt qui ſuppetias ferant exteri. Nunquam ætate noſtra obſervatum eſt, principum cuiquam eas profuiſſe, præter uni Catharinæ Forolivienſium dominæ eo tempore, quo

Hieronymus ejus vir fuerat interfectus. Potuit enim per illam, quam retinebat arcē popularem impetum effugere, ſubſidium Mediolanenſium expectare, & ditionem univerſam recuperare. Temporum etiam talis erat tunc conditio, ut alienus Princeps non poſſet auxilio eſſe populo: veruntamen nec ei profuit, cum in illam Valentinus impreſſionem feciſſet, ac populus ei infeſtus, extero principi eſt adjunctus. Quare ſecurius illi fuiſſet tunc temporis, & prius in popularem offenſionem non incurrere, quam arces poſſidere. His itaque perſpectis, probabo equidem, cum qui arces condunt, tum qui de illis non admodum laborabunt: accuſabo tamen eos, qui illis confiſi, parum aut nihil ducunt populari odio premi.

Cap. XXI.

Quopacto Princeps gerere ſe debeat, quo exiſtimationem ſibi comparet.

NVlla re una magis princeps commendatur, quam rerum preſtantium tractatione, & raris exemplis inter alios elucere. Hac noſtra ætate Ferdinandum Aragonium, nunc Hiſpaniarum regem habemus. Is fere novum principem dicere quis noſſet: cum ex imbecillo rege, eo & famæ, & gloriæ proceſſit, ut inter Chriſtianorum reges facile primus evaſerit: ſiquidem ſuarum rerum geſtarum rationem ſpectabis, maximas utique, & extra ordinem nonnullas deprehendes. Initio enim ſui imperij Bæticum regnum invaſit, quæ expeditio illius fundamentum extitit. Primum eam otioſus, & ab omni, qua poſſet impedire interpellatione, ſecurus confecit. Caſtellani vero regni procerum animos occupatos in ea continuit: qui in id bellum intenti, ab innovandis rebus animum avocabant: ipſe autem & authoritatem & imperium in eos

ſic

ſic nec opinantes. interim ſibi comparabat. Potuit copiarum exercitus ſacris, & populorum pecuniis alere, atque diutino illo bello ad militiam ſuam firmandam (quæ poſtea celebrem illum reddidit) fundamenta jacere. Ad hæc ut majora aggredi poſſet, pietatis nomen perpetuo prætexens, ad piam quandam ſævitiam animum conuertit, ſemiiudæorum ſecta è toto regno ejecta. Hoc exemplo nihil aut mirabilius, aut rarius eſſe potuit. Hoc etiam pallio tectus, Aphricam eſt aggreſſus, in Italiam expeditionem confecit: omnium poſtremo Gallias eſt adortus, atque ita ſemper ingentia facta contexuit, quibus populorum animos ſuſpenſos, & admiratione obſtupefactos, atque rerum eventu occupatos detinuit. Hæ autem omnes illius res geſtæ, ita aliæ ex aliis enatæ ſunt, ut nullum quieſcendi, nullum ad eum oppugnandum ſpatium hominibus reliquerit.

Plurimum item refert, principem rara de ſe exempla in urbana adminiſtratione præbere: & quæ proxime iis accedat, quæ Bernardi Mediolanenſis fuiſſe dicuntur, cum ſe occaſio alicujus ſeſe offert, qui aliquid præter morem, & civilis vitæ conſuetudinem, vel honeſte, vel turpiter geſſerit, rationemq; invenire ad illum vel præmio cohoneſtandum, vel ſupplicio afficiendum, de qua multum diuque loquantur homines. Illud in primis diligenter ſtudeat Princeps, ut in omni vitæ ſuæ ratione, famam exiſtimationemque de ſe magni & excellentis viri excitet. Eo etiam nomine maxime commendatur Princeps, ubi proprie vereque amicus, vel inimicus fuerit: hoc eſt, ſi abſciſſo omnium rerum reſpectu, fautorem alicui in quempiam alterum ſeſe declarat. Quod conſilium utilius ſemper erit quam velle in neutram partium inclinare.

Nam ſi inter ſe duo potentes confligant,

tuam qui attingant regionem qualeſcunque illi fuerint, ſive quod altero debellato ſit tibi à victore timendum, ſive non, utilius ſemper foret in utraque hujus rei conditione, ſi te patefacto apertum bellum geras. Siquidem primo loco niſi te aperias, ſemper ejus, cui victoria ceſſerit, eris præda, maxime cum victi, tum voluptate, tum jucunditate, nec ullum jus, ullamue rationem habebis, qua aut defendi aut recipi poſſis: nam belli victor ſuſpectos amicos, quique in rebus adverſis auxilio ſibi eſſe nolunt, negliget: qui autem domitus jacet, is cum tu armis arreptis ejus aleam ſequi nolueris, te recipiet nunquam. In Græciam Antiochus tranſmiſerat, ab Ætolis, ut inde Romanos expelleret inductus: legatos ad Achæos Romanorum amicos miſit, hortaturos ut neutram in partem inclinarét. Viciſſim Romani eis ſuadebant, ut arma pro ſe caperent, res ad Senatum Achæorum deliberanda deducta eſt: ibi Antiochi legatus, ut neutram partium ſequerentur, eis ſuadebat: contra Romanus legatus excipiens; Id, inquit, quod optimum, atque ex uſu veſtræ Reipublicæ maxime fore iſti dicunt, ne vos ſcilicet hoc noſtro bello implicemini, nihil eſt quod vobis magis ſit contrarium. Quandoquidem ſi abſque gratia atque exiſtimatione ulla bello abſtiteritis, victoriis præmium relinquemini. Nunquam non eveniet, ut qui tibi haud amicus eſt, non contendat à te, ut neutrius partis eſſe velis, at amicus qui eſt, id à te petet, ut arreptis armis palam prodeas. Principes vero qui ſunt animi dubii, ut qui cernunt præſentia pericula vitent, ſæpenumero eam ſequuntur viam, qua neutri habeantur ex quo etiam fit, ut non raro periclitentur. Verum cum Princeps audacter alterius partis fautorem ſeſe aperit, ſi is, cui ſe adjunxt, victor evaſerit: tametſi præpotens habeatur,

beatur, & ad ejus arbitrium relinquatur, nihilominus jam beneficii vinculum eſt illi injectũ & amor propterea jam intercedit conciliatus, homines præterea non adeo inhoneſti ſunt & iniqui, ut tanto ingratitudinis exẽplo illum oppreſſum velint. Ad hæc, victoriæ ipſæ non ita feliciter parantur, quin victor aliquam cogatur habere rationem præſertim juſtitiæ & æquitatis. Porro ſi is, cui adhærendum judicavit, victoria cadat, recipietur tamen ab eo, & quoad illi fuerit facultas, nunquam non aderit ſuppetias laturus. Deinde in ſocium tute adſcribis ejuſmodi fortunæ, quæ iterum facile erigi poteſt.

Secundo loco, ſi illi qui armis congrediuntur, tales ſunt, ut tibi ab altera partium, quæ victoriam ſit conſequuta, non ſit timendum, majoris etiam prudentiæ fuerit, ſi te eorum alteri adjunxeris. Nam unius auxilio fretus, ad alterius excidium accedis, qui alter ab altero, ſi ſaperet, ſervandus erat ſic, ut adepta victoria tuæ relinquatur voluntati, nec fieri poteſt, quin tuo ſubſidio fultus, victor evadat.

Hic autem principi cavendum eſt, ne, ut dixi, alterum offenſurus, ducat ſocietatem eſſe ineundam, niſi neceſſitas cogat, cum eo, qui ſe potentiorem agnoſcit. Illius enim arbitrio (quod plane principibus omnibus obnixe fugiendum) relinquitur tractandus. Societatem Veneti cum Gallis coiverunt contra Mediolanenſium principem, quod tamen ne fieret, vitari poterat: id autem poſtea attulit eis calamitatem & exitium. At ſi evitari non poteſt, uti accidit Florentinis, cum Pontifex & Hiſpani Ciſalpinam Galliam ſunt adorti: tunc enim in alteram partium ob eas quas commemoravimus cauſas, deſcendere non recuſet.

Nec illud unquam quiſquam ſibi perſuade-

ar, ut in iis rebus certum conſilium capi poſſit iom omnia ambigua cogitet capeſſenda. Quãdoquidem in rerum ordine id maxime cernitur, ut quo quis ſtudioſius diſcrimen unum declinare contendit, eo magis in alterum incurrat. Verum ibi prudentia conſpicua fit, ubi quis diſcriminis naturam proſpicit, atque iniquæ rationis quod eſt, id tanquam commodum ad rem præſentem arripit. Virtutum præterea amator haberi ſtudeat Princeps: at in unaquaque artium excellentes viros honoret. Ad hæc civibus ſuis animos addat, quo ſperent ſe tranquille ſua negotia, tum in mercaturis, tum in agris colendis, nec non in quocunque hominum, vel ſtudio, vel commercio exercere poſſe, ne ab agrorum cultu, eorum alteri direptionis opinione, alteri ab inſtituenda nova aliqua mercaturæ ratione tributorum magnitudine deterriti, abſtineant: quinimo præmia iis conſtituat, qui aut hæc faciunt, aut civitatem & ditionem quacunq; ratione augendam putabunt. Statutis item anni temporib⁹ populos detineat ludis, & ſpectacuiis occupatos. At cum civitas omnis in artificum manũ, aut in tribus ſit diſtributa, eorum cœtus Princeps in honore curet apud ſe habẽdos: unaq; cum ipſis nonnunquã congregetur, atq; humanitatis, & magnificentiæ ſpecimen de ſe illis dare ſtudeat: ſuæ tamen dignitatis majeſtatem, perpetuo ac conſtanter retineat. Hæc enim nulla in re, neq; ullam ob rem prætermitti, aut negligi debet.

CAP. XXII.

De iis qui Principibus ſunt à ſecretis.

NOn eſt minimi momenti in miniſtrorum delectu habendo principis acre judicium, cum ad eorum electionem, illius de prudentia judicium fiat. Prima enim o-

mnium,

mnium, quam de principe ducunt homines conjecturam, ab iis potiſſimum capiunt, quos circum illum verſari cognoſcunt. Qui ſi rerum periti & fide præditi ſunt prudens & ipſe exiſtimari poteſt, quod optime noverit eos judicare fore viros idoneos, potueritque eos prudenter ſibi fideles retinere: ſecus autem ſi fuerit, nunquam non perperam de eo judicari poterit. Primum enim erratum, quod admittit Princeps, in eorum delectu habendo maxime cernitur. Nemo erat, qui Antonium Venafrum Pandolfi Petruccii Senenſium principis miniſtrum cognoſceret, non arbitraretur. Pandolfum ſummæ prudentiæ virum, cum apud ſe talem retineret adminiſtrũ. Cæterum cum triplex hominũ ſit ingeniorum natura; unum per ſe intelligit; alterum, cum fuerit ei præmonſtratum; tertium, quod ne admonitum quidem, nedum per ſe id præſtare poteſt. Primum illud maxime excellit: quod huic additur, excellit quidem: at quod tertium eſt, prorſus inutile. Neceſſe itaque erat, ut Pandolfus, ſi non primum, ac certe ſecundum obtineret gradum. Quoties enim quis, ea quæ fiunt, quæq; dicuntur, recta & prava ſuo quodam aſſenſu dijudicare poteſt: tametſi inveniendi aut excogitandi rationem non habeat; ab adminiſtro tamen, quæ gerantur recte turpiterve, facile percipit: & illa quidem effert, hæc vero deprimendo corrigit. Adminiſter, deinde, cum illum falli poſſe diſfidat, in ſua perſtat probitate. Iam vero ut adminiſtri agnoſci poſſit ingenium, modus ille affertur minime fallax: cum illum ſibi magis deprehendis quam tibi proſpectum velle, quique in omnibus rebus gerendis ſuam quærit utilitatem, hic ſi comparatus, nunquam probi adminiſtratoris fungetur officio, nec unquam illi fidere poteris. Qui enim alterius prin-

 cipatum

cipatum in manu habet, nunquam de ſe, ſed de principis commodis cogitare decet: nec quid aliud, quam quod in rem illius cadit, illi in mentem revocare. Viciſſim principis eſt, quo illum virum in probitate contineat, de adminiſtratore ſuo cogitare, honoribus & divitiis, ſibi illum devinciendo, honorum item, atque obeundorum munerum communione jungendo, ut multiplici, tum honore, tum divitiarum copia cumulato cauſam afferat, ne alios, aut honores, aut divitias expetat, & quæ illi ſunt obeunda multiplicia munera, adigant illum, ut rerum viciſſitudinem reformidet, cum ſine principis favore cognoſcat ſe conſiſtere non poſſe. Cum igitur ſic fuerint comparati, & princeps, & miniſter, facile alter alteri fidere poſſunt: ſecus autem, nunquam non pernicioſus fuerit vel uni, vel alteri exercitus.

Cap. XXIII.

De ratione fugiendi aſſentatores.

EAm partem, atque errorem illum prætermitti nolim, à quo vix Principes, niſi ſumma præditi prudentia, & acri præmuniti in deligendo judicio, ſe tueri poſſunt, nimirum de aſſentatoribus: de quibus fugiendis monimenta fere omnia referta ſunt præceptis. Homines enim adeo in rebus ſuis ſibi indulgent, adeoque ſe falli ſinunt, ut vix ab hac hominum peſte ſibi cavere velint. Vt autem ſe defendant, periculum eſt ne in contemptum cadant. Nam nulla alia ratione ab aſſentationibus ſe vendicare quis poteſt: quam ut homines intelligant, ſe non offenſum iri, ſi tibi libere veritatem dicant. At ſi hoc ab omnibus fieri liberum fuerit, jam tua imminuetur exiſtimatio. Princeps propterea qui ſapit, tertium quendam modum conſtituet, & eos in ſuo principatu eligendos curabit, qui re-

rum

rum uſu periti ſunt, iiſque duntaxat integrum ſit veritatem loqui, deque iis rebus, de quibus ipſe interrogabit, ut præterea nihil in medium afferant, quod deliberandum videatur: de omnibus tamen eos ſciſcitari debet, eorumque audire ſententias: verum ex eorum conſiliis, quid ſibi viſum fuerit, per ſe poſtea conſtituat, atque cum unoquoque eorum ita ſe comparet, ut omnes intelligant, quo liberiores fuerint in dicendo, eo apud ſe acceptiores fore, ſeque præter ipſos neminem eorum auditurum, qui rem jam deliberatam perſequi audeat, ſeque à ſua ſemel ſuſcepta ſententia, nulla vi depelli poſſe: ſecus autem qui fecerit, aut præceps fertur adulatorum cauſa, aut ſæpius de ſententia diſcedere cogetur propter ſententiarum multiplicem varietatem: inde exigua naſcetur, quæ de eo poſtea habenda erat, exiſtimatio. Proferam ad hoc inſtitutum recentis memoriæ exemplum.

Lucas ſacerdos, é Maximiliani hoc tempore Imperatoris familia, ſemel cum de eo verba faceret: Maximilianus, inquit, à nemine conſilium capit, nec tamen quod cupit, unquam efficit. Hoc ſane inde fiebat, quod diverſam à præſcripta rationem tenebat. Suorum enim conſiliorum tacitus eſt, nemini ſui animi ſecreta detegit, neminem in conſilium advocat: at ubi primum in exequendo ejus conſilia aperiuntur, tunc ab iis, qui illum circunſtant contradici ſolet: ipſe vero, ea qua eſt ingenii facilitate, ſtatim à ſententia diſcedit. Hinc fit, ut quod die extruit uno, altero convellat: nec quid ſibi velit, aut quid animo verſet intelligi poteſt, nec etiam in ejus deliberationibus ullum fundamentum agi poteſt. Quapropter Princeps de omnibus rebus ſemper conſilium capiat, ad ſuam tamen, non aliorum voluntatem; imo omnium animos, à dandis ulla de re conſiliis ſe non rogi-

tante prorſus avertat. Ipſe vero in conſultando creber eſſe debet, rerumque conſultandas quas propoſuit, præbeat ſe viciſſim veritatis patientem auditorem. Quin ſi quempiã novit inter conſiliarios, qui aliquo ad ſe reſpectu eam reticeat, ea de re maxime ſuccenſeat.

Quoniam vero nonnulli ſunt, qui arbitrantur principem, prudentiæ de ſe qui opinioné afferat, ſapientem exiſtimari, non quod ejus ſic ferat naturæ præſtantia, ſed quod virorum prudentum, qui illum circumſtant, optimis fulciatur conſiliis. Hi ſane ſic opinantes ſciant propterea ſe maxime falli. Quoniam hæc regula certiſſima eſt, generatimque traditur: *Principi qui per ſe non ſapit, recta ei conſilia non facile dari poſſe.* Fortuito quidem & caſu quodam ita contingere poſſet, cum una duntaxat ſe totum regendum traderet, hac ratione optime regi poſſet: verum ad exiguum, breveque tempus duraturus eſſet in principatu: nam ſtatim moderator ille ab imperio principem exturbaret. Si vero plures quam unum in conſilium Princeps imperitus rerum adhibeat, nunquam inter ſe cohærentia habebit conſilia: nec ipſe per ſe idoneus erit, ut illa conciliet. Eorum autem, qui ſunt ei à conſiliis, de propriis commodis unuſquiſque cogitabit, ipſe vero nec eos cognoſcere, nec corrigere poterit: qui autem illis meliores futuri ſint, non facile inveniri poſſunt: nam nũquam non uſu tibi veniet, ut homines in te improbi ſint, niſi aliqua cogantur vi, ut ſint probi. Illud itaque maneat, neceſſarium eſſe: *Recta conſilia à quocunque proficiſcantur, à principis prudentia, non autem principis prudentia à rectis conſiliis derivetur.*

Cap. XXIV.

Qui factum ſit, nonnullos Italos principes ſuo eiectos eſſe principatu.

Si

SI quæ jam dicta ſũt prudenter obſerventur, fiet ut novus Princeps antiquæ videatur ſucceſſiſſe hæreditati, eaq; ipſa ſtatim illũ ſecuriorem firmioremq; in principatu conſtituẽt, quam ſi in eo conſenuiſſet. Non enim principis rerũ adminiſtrationem intentiori animo obſervant homines, quam ejus, qui hæreditario jure imperat. Quæ rerum procuratio, ſi virtute excellere conſpiciatur, facilius homines ſibi conciliat, magiſque illos ſibi devincit, quã ipſa ſtirpis antiquitas. Potius enim præſentib⁹, quam præteritis rebus capiuntur homines: atq; in iis ſi commoda inveniunt, eorum fructu contenti, facile conquieſcunt: imo omnem defenſionem pro principe ſuſcipiũt, modo ipſe cæteris in rebus ſibi non deeſſe velit. Hoc modo duplicatam gloriam conſequetur: tum quod novum principatum inſtituerit, tum quod eundem bonis legibus, armis, amicis, bonis denique inſtitutis decoraverit armaveritque: quemadmodum duplicatam ignominiam reportabit, qui principum ſanguine natus, imperitia rerum illum amiſit.

Nunc ſi qui ſunt, qui velint eos principes, qui in Italia hac noſtra ætate principatũ amiſerunt, conſiderare, uti Neapolitanũ Regem, Mediolanenſium principẽ, & id generis alios, animadvertet in eis communem quendam in parandis armis (ut ſupra fuit expoſitum) defectum. Deprehendetur præterea eorũ nonnullos multitudini fuiſſe inviſos: vel ſi illam amicam habuerunt, ab iis tamen, qui potentiores eſſent, neſciverunt ſe ſecuros reddere. Nunquam enim ſine harum rerum maxima imperitia, ea imperia amitti ſolẽt, quæ tantum viriũ habeant, quantum ſat eſt ad exercitum in aciem proferendum. Philippus Macedo (non Alexandri Magni pater, ſed qui à T. Quintio ſuperatus fuit) habebat non ſatis amplũ principatum, ad Romanorum, & Græciæ totius

magnitudinem, qui illum invaſerant: nihilominus cum eſſet vir bellicoſus, multarumque rerum uſu peritus, ad retinendos populos maxim eidoneus, & qua ſe ſecurum à potentioribus redderet rationis gnarus, plures annos contra eos bellum ſuſtinuit, & licet nonnullarum civitatum poſſeſſionem amiſerit, regnum tamen retinuit. Quapropter hi noſtræ ætatis principes Itali, qui diu principatum tenuerunt, non eſt quod fortunam incuſent, ſi illum amiſerint, verum ſuam ipſorum ſocordiam. Nam cum tranquillis temporibus de ejus mutatione nunquam cogitarint (quod commune eſt omnium hominum vitium, qui tempeſtatem dum tranquillitas adeſt, parvi ducunt) adverſis temporibus irrumpentibus nulla defenſionis cura, ſed turpi fuga ſibi conſulere cogitarunt: ſperaruntque populos, victorum inſolentiæ permotos faſtidio, ſe revocaturos. Quod ſane conſilium, cum cætera deſunt, bonum eſt: at turpiſſimum videri debet ob id unum, reliqua neglexiſſe remedia. Nunquam enim concidendum eſt ea ſpe, ut inventurum putes, qui te poſtea erigat. Id quidem aut nunquam accidit, aut ſi fit, cum turpis ſit tui illa defenſio, nihil ſecuritatis habet, nec à te pendet. Vnæ illæ defenſionum bonæ, certæ ac conſtantes ſunt, quæ à te tuaque virtute prodeunt.

CAP. XXV.

Quantum in rebus humanis fortuna valeat & de ratione, qua illi obſiſti poſſit.

HAud illud mihi obſcurum eſt, ejus ſententiæ complures eſſe, ac olim fuiſſe, ita rerum humanarum procurationem à fortuna omnino, ab ipſoque Deo teneri, ut ab hominum prudentia nulla ratione corrigi queat: imo nullo poſſe occurri remedio. Ob id exiſtimari

ſtimari poſſet, in iis rebus non multum laborandum eſſe, ſed quo fortuna impellit, eo ſe ferri permittendum. Hæc opinio majori perſuaſione his noſtris temporibus, propter rerum multiplicem converſionem, recepta eſt, quodque nunquam non viſæ ſint, quotidieque videantur mutationes, extra omnem humanam, quæ capi poſſet, conjecturam. Hoc ego nonnunquam animo cum cogitaſſem, aliqua ex parte eo inclinaveram ſententiæ. Sed ne arbitrium noſtrum extinguatur, eam opinionem ſequor, ut alteram noſtrarum rerum partem fortunæ arbitratu judicem procurari, alteram vel paulo minus nobis adminiſtrandam relinqui. Fortunam enim montano flumini omnia proſternenti comparare ſoleo: quod cum præceps fertur, in agros effunditur, arbores ſternit, convellitque domos; hinc terræ multum abripiens, alio idem illud regerit, omnia item præ ſe agit, omnia ejus conſpectum fugitant, omnia illius furori cedunt, ſublata omni qua poſſet ratione reprimi: nihilominus cum tali feratur ingenio, nihil impedit, quo minus homines pacatioribus temporibus poſſint obicibus, aggeribuſque proſpicere, ut iterum exundans canalibus defluat, aut impetu repreſſo, tam effuſe pernicioſeque non feratur. Idem accidit de fortuna, quæ vim ſuam exerit, ubi nulla adeſt ad reſiſtendum inſtructa virtus: eo ſuos impetus convertit, ubi nullos aggeres, nulla impedimenta, quibus ſibi obviam iri poſſit, novit eſſe extructa. Iam vero Italiam harum converſionum ſedem, & quæ his motum excivit, ſi quis conſideret, facile intelliget illam vaſtam quandam, & ſine aggeribus, ſine obicibus deſertam terram: quæ, ſi qua deceret patria virtute ſuffulta eſſet, uti Germaniam, Hiſpaniam, Galliam cernimus: hæc inundatio, aut in illam non irrupiſſet,

aut tot enormibus mutationibus ut fecit, non redundaſſet. Atq; de ratione qua fortunæ obſiſti poſſit, hæc ſint dicta. Sed ut ad ea quæ ſpeciatim dici poſſunt, arctius orationé dirigam, dico, hunc vel illum principé hodie videri feliciter agere, cras vero præcipitem ferri; cum tamé, nec animum, nec ingenium mutatũ videre poſſumus: quod ex iis, quas ſupra fuſius diſquiſivimus, cauſis primum proficiſci arbitror; nimirũ, quod qui fortunæ tutus incumbit, is princeps ad illius converſioné ruinam edit. Illum etiam felicem exiſtimo; cujus in adminiſtrando conſilia, temporũ conditioni reſpondent: viciſſimque infelicem illũ puto à cujus rerum gerendarum procuratione tempora diſcrepare vidétur. Conſtat enim homines in iis rebus, quibus ad finem deducuntur (quem finem ob oculos propoſitum habent, nempe gloriam & opes) non una ratione deliberare. Nonnulli circumſpecte quodam modo alii impetu, complures vi, arte multi, ſunt qui patienti animo, effrenato quam plurimi & unuſquiſque his modis inter ſe repugnantibus eo pervenire poteſt. Alterum præterea è duobus videmus cui in agendo obſervatio eſt, quo deſtinavit perveniſſe, alterũ nequaquam. Viciſſim, ex duobus alteris videmus utrunque contrariis ſtudiis æq; felices fieri. Que res aliunde nõ manat, quam à temporũ conditione quæ cum eorum agendi modis vel conſentit, vel repugnat. Hinc oritur quod jam dixi, duos aliquando fore, qui pugnantibus conſiliis aliquid conantes, ad eundé pene exitum veniunt utriq;. Ex duobus item in quippiam æq; incũbentib. altera ad finé deducitur, alteri negatur Hinc etiam bonorum viciſſitudo derivatur. Nã ſi cui in reb. ſuis procurandis, reſpectu, & ſedato animo ſeſe gerenti, tempora & rerum ſtatus ita circumoluantur ut ejus adminiſtrãdi ratio cũ illis conſentiens ſit bona, feliciter

omnia

omnia contingent: at ſi tempora & res ipſæ commutentur, & repugnent cum rerum procuratione, is ſtatim perit: quoniam in agendo rationem ille non mutavit. Nec quiſquam reperitur, qui ea prudentia ſit prædītus, ut ſciat cum hac temporũ natura vel congruere, vel cõſentire tũ quod ab ea, ad quod natura uniuſcujuſq; impellit, deviare non poteſt, tũ quod non facile ſibi perſuaderi patitur, ut rectum ſit ab ea ratione diſcedere, in qua perpetuo curſu inſiſtens, nunquam non ſecum feliciter ſit actum. Quapropter qui ex circumſpectione agit, is dum tempus adeſt, ut impetu feratur ad agendum, impelli non poteſt: hinc illius caſus erumpit: quod ſi cum temporum & rerum conditione naturam illam lectam commutaſſet, eadem & fortuna perſtitiſſet. Iulius II. Pont. Max. in unaquaque re, quam ſuſcepiſſet agendam effrenate ſe geſſit, reperit & temporum, & rerum ſtatum adeo cum ejus agendi ratione conſentientem ut ſemper felicem exitum fuerit conſequutus. Perpendatur inceptum illud primum de expeditione Bononienſi: Ioannes Bentivolus ejus urbis Princeps adhuc vivebat. Veneti illam expeditionem ægre ferebant; inter Hiſpaniarum æque ac Galliarum Reges de ea re ſermones habebantur: ipſe tamen ea, qua erat excitus ferocia, præſens ad eam expeditionẽ conficiendã profect⁹ eſt. Quo motu ſuſpenſos reddidit, ac ne quid rerum novarũ tentarent, in officio continuit & Hiſpanos, & Venetos: hos quidem metu, illos vero ſpe recuperandi totum regnũ Neapolitanũ. Parte alia Galliarum Regem ad ſe traxit: qui Rex, cum videret illum iam ad arma paratum, cupiens in ſuam illum amicitiã adjungere, quo facilius Venetos opprimeret, exiſtimavit fieri non poſſe quin illũ aperta afficeret injuria, ſi ſuas ei denegaſſet copias. Iulius itaq; ferox in illo motu ad finẽ uſq; perduxit.

duxit: quæ nemo unquam Pontificum, quacunque humana prudentia perducere potuiſſet. Nam ſi aliquot profectione ex urbe Roma protraxiſſet dies, quoad ſcilicet omnia rite fuiſſent decreta & ſancta, ut ſane quivis Pontificum judicaſſet faciendum, omnem illius expeditionis felicem ſucceſſum amiſiſſet. Galliarum enim Rex ſexcentas commentus eſſet tergiverſandi vias, reliqui infinitis pene illum obruiſſent terroribus. Omittam reliquas ejus res geſtas, quæ cum his prorſus ſimilitudine quadam cohærent, omnes ex animi voto ei contigerunt. Vitæ autem brevitas impedimento fuit, quo minus quæ iis contraria ſubſequi potuiſſent, experiretur. Nam ſi in ea incidiſſet tempora, quibus accurata conſideratione fuiſſet agendum ejus exitium pariter fuiſſet ſubſequutum, Quandoquidem nunquam ab eo, ad quod ingenio feroci impellebatur, recedendum putaſſet.

Stet itaque ſententia, ſi cum fortunæ viciſſitudine pulchre conſentit hominum obſtinata in procurandis rebus ratio illa, & modus, felices dicentur. Contra, ſi cum illa diſſidet, miſeri ſunt. Satius tamen eſſe judico ferocem eſſe, quam circumſpectione duci. Fortuna namque fœmina eſt; & ut quis eam ſibi ſubjiciat, neceſſe eſt ut fuſte eam ſubagitet, atq; inſtiget. Nemo non videt eam libentius ab iis, qui ardentiores, quam ab illis, qui in agẽdo frigidi ſunt, pati ſe vinci. Proinde, qua fœmina eſt, ea juvenum amicitiam amplectitur. Minus enim rerum rationem habent, & ad omnia ſunt ferociores, ſic, ut & in ipſam etiam fidentiori animo imperium exerceant.

Cap. XXVI.

Adhortatio ad Italiam à Barbaris liberandã.

Qvamobtrem perſpectis omnibus, quæ à nobis ſupra ſunt expoſita, animoque verſanti,

ſanti, nunquid Italiæ temporum curſus talis eſſe nunc videretur, ut novo aliquo principe ad honores excitato aliquam adhuc ſubeſſe vim & facultatem oſtenderetur, qua cuipiam viro, virtute & prudentia præſtanti, occaſionem offerret, ut aliqua inter illius gentis homines vivendi forma per illum conſtituta, cum ſibi honores: tum Italicæ genti commune aliquod afferret emolumentum. Tot tantæque utilitates viſæ ſunt mihi & opportunitates concurrere, ut quod aptius hoc extiterit tempus, plane ignorem. Atqui (ut dictum eſt) Moſis virtus ut perſpicua fieret, neceſſe erat Iſraeliticum populum in Ægypto captivum teneri: & ut Cyri magnitudo animi illuſtris eſſet, oportuit Perſas Medorum ſævitia premi: ad illuſtrandum item Theſei excellentiam, magni referebat Athenienſium gentem vagam offendere, atque diſperſam. Sic hoc tempore, quo Italici ſpiritus virtus aliqua excitata eluceret operæpretium erat Italiam eo miſeriarum redigi, in quo nunc miſerrima jacet: atque duriori ſervitio teneri, quam Hebræi, aſperiori ſervitute premi, quam Perſæ, longius latiuſque diſpergi, quam Athenienſes, nullo duce, nullo ordine, flagris cæſa, bonis diſpoliata, in parteis diſciſſa, undique excuſſa, atque omne calamitatum genus perpeſſa. Et quanquam ad hoc uſque tempus emicuit, qui hanc virtutem nonnihil ſpiraret, ſic ut inde judicium facile fieri poterat, illum ad eam redimendam à Deo fuiſſe ordinatum, nihilominus perſpectum eſt in ſummo illo ſuarum rerum curſu, quo pacto fuerit à fortuna tandem rejectus: ſic, ut ceu ſine vita jacens, expectat, quis ſibi dari poſſit, qui ſua vulnera ſanet, atque Ciſalpinæ Galliæ direptionibus, incendiis, vaſtationibus nec non Regni Neapolitani Etruriæque expilationibus, & tributis finem imponat, eaſque plagas curet, quæ

jam

jam ex longo tempore, in fiſtuloſum morbum abierunt. Iamq; illam Deum opt. max. precã-tem cernimus, ut alleget, qui à preſenti Barbarorum immanitate & inſolentia ſe redemptam curet. Perſpicitur etiam, quam pronam quam paratam, quam denique expoſitam ſe præbeat, ut ad aliquod vexillum convolet, illud ſequutura, modo qui illud proferat excitatum videat. Nec hoc quidem tempore quépiam circumſpicit, quem hujus redemptionis ducem, authoremque conſtitui poſſe ſperet, quam illuſtrem tuam Mediceorum familiam: ſuarum cum virtutum ſplendore, & fortuna ita evecta ſit, atque à Deo opt. max. Pontificeque Reipub. (cujus ipſa nunc principatum tenet) favore ſit illuſtrata. Idque illi non admodum arduum eſſe poterit, ſi ob oculos eorum virorum, de quib. ſupra mentio facta eſt res geſtas, & vitæ rationem expoſitam habebit. Et licet rari fuerunt, & admirabiles, mortales tamen & ipſi fuerunt, atque minor hac ſe illis obtulit occaſio. Quæ enim aggreſſi fuerant egregia facta, nec juſtiora nec faciliora extiterant, nec ipſe Deus ſeſe illis amantiorem quam nobis exhibuit. Hic juſtitia ſumma eſt. Nam id bellum eſt juſtum, quod eſt neceſſarium: & ea arma pietatem redolent, cum nulla alia in re, quam in illis ſpes omnis vertitur. Hic ſumma rerum diſpoſitio eſt, quæ maxima ubi cernitur, nulla difficultas, quæ magua eſſe poſſit ineſſe videtur, modo inſtituta & legum formam ab iis ducat eſſe petendam, quos tanquam finem, ad quem collimet propoſitos habet. Ad hæc multa extra ordinem etiam ſine exemplo hic adſunt Dei opt. max. ductu, ſingulariter propoſita. Aditus maris patet: nubes viæ ducem ſe præſtitit, petra aquam effudit: manna cælitus effluxit, omnia tandem ad amplitudinem familiæ tuæ convolant: quod reliquum eſt ſuarum eſt partium:

non

non omnia ſibi agenda aſſumit Deus, ne nobis noſtrum eripiatur arbitrium nec ea pars gloriæ, quæ nobis obvenit.

Non eſt quod quis admiratione ducatur, ſi Italorum, quos ſupra recenſuimus, nemo potuit efficere, quod effectum dari nunc, ab illuſtri tua familia quis ſperare poteſt: tametſi in tot Italiæ converſionibus, & bellorum adminiſtrationibus militaris ejus virtus extincta eſſe videatur. Quando quidem id inde adeo factum eſt, quod bellicæ artis priſca illa inſtituta & ordines, illis temporibus, minime congruerent, nec quiſquam hactenus prodiit, qui nova ſciret invenire, quæ conſtitueret. Nihil eſt, quod tantum nominis recens ad honores emergenti homini concilient, quantum novarum legum conſtitutio, & bellicæ diſciplinæ novarum rationum adinventio. His enim probe firmatis, & præſtantiam quandam præ ſe ferentibus auguſtum illum, & ſuſpiciendum reddunt. In Italia autem nulla deeſt facultas, quo minus quælibet vivendi forma introduci poſſit. Hic plurima in membris virtus, modo in iis, qui capita eſſe dicuntur, non deeſſet. Singularia certamina, & qui armis fiunt ſingulares congreſſus, tanquam in ſpeculo contemplari licet, quantum Itali cæteris omnibus præſtent viribus, corporis agilitate, & animi præſtantia. Sed tamen cum in aciem prodeundem eſt, nuſquam apparent. Id autem quicquid eſt, totum ex capitum imbecillitate oritur. Qui enim rerum periti ſunt, nemo eſt qui iis parere velit, rerum & ipſi omnes multarum uſum ſe tenere arbitrantes. Nec hactenus extitit, qui & virtute & fortuna eo magnitudinis & authoritatis proceſſerit, cui reliqui omnes loco cederent. Hinc fit, ut in tanto temporum curſu, in tot bellis per hos 20. annos elapſos geſtis, nunquam non turpiter exercitus,

ercitus, ſi quando totus ex Italica gente fuiſſet conflatus, de ſe periculum fecerit: Hoc ſane teſtatur primo, quod ad Tarium flumen geſtum eſt bellum: deinde ad Alexandriam, ad Capuam, Genuam, oppidum Vailam (quod appellant) Bononiam denique, & Meſtrem. Si itaque ſedet hoc animo illuſtri tuæ familiæ, ut eos viros virtute præſtantes ſequi velit, qui ſuas provincias liberarunt: omnium primum illud ducat neceſſarium, tanquam omnium rerum gerendarum fundamentum, domeſticam ac propriàm militiam eſſe comparandam. Nam qui magis iis ſint fidi, magiſue certi ac idonei, profecto non eſt quod quis ſperare poſſit. Et licet ſinguli boni ſint, in unum tamen coeuntes meliores fient, cum proprium & germanum principem imperantem, ſeque honorantem & conſervantem, ſibi obtigiſſe intelligant. Quo igitur ab exteris ſe tueatur, permagni refert, ut iis armis ſe inſtruendum comparet. Et quamvis Helvetiorum & Hiſpanorum pedeſtres copiæ terrori multis eſſe videantur, nihiloſecius nec ipſa in omnibus reſpondent. Ob id medium ſi quis conſtitueret militiæ ordinem, poſſet non modo illis obſiſti, verum & ſuperandas ſperari. Equitum impetum Hiſpani ſuſtinere non poſſunt: Helvetii vero habent quod timeant peditum copias, quando æque ac ipſi pervicaces ſuis copiis ſeſe in certamine obuiam obſiſterent. Qua in re perſpectum eſt, & re ipſa conſtabit, Hiſpanos Gallicum equitatum ſuſtinere non poſſe, Helvetios autem ab Hiſpanorum pedeſtri exercitu fuiſſe fuſos. Et licet hujus poſtremi facti non ita integrum exemplum experientia conſtet, ſpecimen tamen in prælio Ravennate perſpicuum dedit, cum ab Hiſpanorum, & Germanorum (qui & ipſi eundem, quem Helvetii in acie ordinem retinent)

pedeſtri

pedeſtri exercitu concurſum eſt. Vbi Hiſpanorum copiæ, tum corporis agilitate expeditiores, tum clypeis protecti in aciem irruperant, ſic, ut ſubeuntes conferti agmini prælongas haſtas tuti eos ferirent, ſine ullo quod afferre poſſent Germani, remedio. Et niſi equitum turmæ in eos impreſſionem feciſſent, ad unum omnes ferro abſumpſiſſent. Nova igitur inſtitui poſſet militaris diſciplina, poſtquam harum utraq; natio, oſtenderunt quid cui deeſſet. Quæ nova militandi ratio equitatum ſuſtineat, & peditatum non reformidet. Id autem non armorum genere, ſed priſcorum ordinum commutatione fiet.

Hæc autem inter ea accenſſentur, quæ recens ordinata, novo principi cum exiſtimationem, tum amplitudinem conciliant. Non eſt propterea, quod hæc occaſio è manibus effluat, ut tandem Italia ſuum contempletur redemptorem. Nec facile oratione aſſequi poſſem, quo amore, qua anhela ulciſcendi ſiti, qua fidei conſtantia, qua animi pietate, qua lacrymarum vi excipiendus ab iis provinciis eſſet, quæ tantam exterorum illuviem tamdiu ſuſtinuerint. Quæ portæ illi clauderentur? Qui populi parere recuſarent? Quæ invidia ſeſe opponeret? Quis ex Italica gente obſequium illi detrectaret? Non eſt, non eſt (inquam) cui hic fœtidus barbarorum dominatus nauſeam non faciat. Aggrediatur illuſtris tua familia nobile hoc opus, eo animo, eaque ſpe, qua omnes res juſtæ ſuſcipi ſolent, ut ſub ejus inſignibus hæc patria nobilitetur, & ejus auſpiciis Petrarchæ dictum vere contingat:

Virtus in barbaricum furorem
Arma capiet, nec longum erit belli certamẽ.
Nam antiqua virtus
In Italicis animis nondum extincta jacet.

AGRIP-

AGRIPPÆ ET MÆCENATIS ORATIONVM ARGVMENTVM, Cælio S. C. Autore.

Octavius *Caſar Auguſtus potitus rerum, paceque per orbem terrarum parta conſilium de armis ponendis, ac Republica S. P. Q. R. reddenda, cum Agrippa & Mæcenate duobus intimis amicis cum quibus arcana omnia communicabat, cepit. At prior Agrippa ei principatum diſſuaſit, & ut Rempublicam Romanis redderet, ſuaſit. Mæcenas autem contra, conſilium de retinendo principatu dedit: ſed ita tamen, ut eum optimum principem, non tyrannum eſſe vellet. Caſar utriuſque conſilio audito, utrunque tum à prudentia, tum ab eloquẽtia, tum etiam à dicendi libertate commendavit: verum Mæcenatis potius, ſive quod ita ſecum ſtatuiſſet, ſive ejus oratione perſuaſus, conſilium ſecutus eſt, imperiumque retinuit. Et quanquam Agrippa contrarium conſilium dediſſet, nihilominus tamen ſic ei ſemper favit, ita illum complexus eſt, ac ſi ipſe ejus conſilii, quod ſequebatur, autor extitiſſet. Vt tamen utrique ſatisfaceret, utque majore gloria afficeretur, ac principatum ſuum hominum voluntate ac decretis, non vi & armis tenere videretur: ſeptimo conſulatu ſuo diſpoſitis in Senatu Senatoribus iis qui ad eam rem apti viderentur, ſe Reipublicæ imperium velle reddere ſimulavit, atque id voluit, obtinuit, nam partim motu, partim amore principatum poſtularunt, atque ad imperatoriam majeſtatem accipiendam eum coegerunt. Cum igitur altera oratio ſit contra Monarchiam,*

narchiam, altera pro Monarchia, ex eo harum orationum utilitas elucet. Agrippæ quidem oratio brevior eſt, ſed tamen locum nullum prætermittit, ex quo popularis Reipublicæ dignitas & principatus incommoda demonſtrari poſſint. Mæcenatis vero amplior, propterea quod ea pene omnia complectitur, quæ ad optimum principem inſtituendum requiri poſſe videantur. Quæ ſi, qui vocantur Principes hodie, vellent attendere atque exprimere, melius res humanæ haberent. Surget igitur ille Auguſtus in judicio, ut & regina Auſtri, cum hominibus noſtris, eoſque condemnabit quod is Mæcenatis prudens conſilium audierit, cum hi audire vocem filij Dei recuſent. Verum his omiſſis, duos ſummos viros de Republica contrariis ſententiis dicentes, audiamus.

AGRIP-

AGRIPPÆ AD OCTAVIVM CÆS. AVGVSTVM ORATIO, CONTRA MONARCHIAM, EX DIONE LIB. 52. Cœlio S.C. interprete.

NE mireris Cæſar, me, qui ab iſto tuo principatu tot tantiſque bonis affici poſſem, tibi hunc ipſum diſſuadere: qui ſi tibi quoque utilis & commodus futurus eſſet, ipſe eum tibi pariter optarem. Verum quando nulla inter principes principumque amicos ſimilitudo eſt, quod amici quem cupiunt fructum, à principibus ſine invidia & periculo percipiunt: in principes autem ipſos tum odia, tum pericula omnia redundant: exiſtimavi, ut in cæteris rebus, ſic etiam in hac ipſa, me non meum proprium commodum, ſed commune omnium potius reſpicere debere. Itaque animo tranquillo, quæ in hoc principatu continentur, omnia conſideremus. Ac primum in eam partem convertamus animum, in quam ratio nos ipſa ducit, Nemo enim eſt, qui hunc dominatum à nobis expetendum eſſe diceret, niſi ſit nobis utilis futurus: alioqui aut rebus ſecundis elati, & victoriis inflati videbimur, aut multo ante hoc regnum affectaſſe (quanquam patrem & noſtram erga ipſum pietatem, cauſati ſumus) aut ſenatum populumque Romanum nobis propoſuiſſe, non ut eos, ab inſidiatoribus ipſorum vindicaremus, ſed ut in ſervitutem adduceremus: quod quidem utrumque vituperabile eſt. Nam quis animadvertens nos aliud clauſum in pectore, aliud

liud promptum in lingua habere, non indignaretur? Quis non majore nos odio nunc proſequeretur, quam ſi ab initio cupiditatem noſtram præ nobis tuliſſemus, & ad principatū palam aſpiraſſemus? audere enim per vim aliquid agere, quamvis injuſtum videatur, tamen naturæ hominis conſentaneum eſſe creditur: quod, quiſquis ſe aliqua in re alicui præſtari atque antecellere ſtudet, etiam plura habere, eo cui præſtare vult, cupit. Quod ſi ei proſpere cedit, fortunæ potentiæ fertur acceptum: ſin contrarium evenit, fortunæ inconſtantiæ totum adſcribitur. Qui autem ejuſmodi quippiam per fraudes & dolos machinatur, is primum homo doloſus, & varius, & nequam habetur: quibus vitijs te implicatum eſſe, etiam ſi totius orbis imperium conſequerere, quemquam vel dicere, vel ſentire te nullo modo velle, mihi ipſe perſuadeo. Deinde ſi res ei ſucceſſit, injuſtum lucrum feciſſe videtur: ſin minus, merito tibi omnia mala accidiſſe mortales exiſtimabunt. Quæ quanquam ita ſint, tamen aliquis vitio nobis verteret, quod tametſi initio nihil de principatu cogitaſſemus, nunc tamen illum optaremus. Longe enim majore is vituperatione dignus eſt, qui præſenti fortuna vincitur, nec ſe continere, nec moderatæ fortunæ bonis uti poteſt, quam qui in rebus adverſis quempiam afficit injuria. Homines enim ſæpenumero calamitatibus, non voluntate, ad peccandum, atque ad propriam commoditatem perſequendam impelluntur: illi vero voluntate ac propoſito contra utilitatem incontinentes ſunt. Quis vero cogitaret, eos recte aliis imperaturos, aut in adverſa fortuna conſtantes fore, qui nec ulla animi ſimplicitate præditi ſunt, nec recte munera, quibus aucti ſunt, metiri poſſunt? Nos igitur, qui nihil horum ſuſtinuimus, quique nihil

 præter

præter rationem facere cupimus: ſed, quod optimum eſſe videatur, ſequuturi ſumus, de hoc ipſo conſilium capiemus, Libere tecum agam: neque enim aliter quicquam poſſem dicere. Eum enim te eſſe novi, qui mendaciis & aſſentatione audiendis minime capiaris. Iuris æquabilitas, & nomen habet ſanctiſſimum, & opera juſtiſſima. An non æquum eſt, ut qui ejuſdem & naturæ & nationis ſunt, atque iiſdem & moribus & legibus educati, quique communē corporū animorumq; uſum patriæ conferunt, alia etiā communia habeant? Neque enim decet alterum anteponi alteri, niſi propter virtutem: quod par naſcendi conditio, parem quoque diſtributionē deſiderat: quam ſi conſequitur, gaudet: ſin minus, dolorem capit. Ac cum humanum genus à diis originem habeat, atque ad eos rediturum ſit, ſurſum ſpectat, nec ſemper uni homini ſubeſſe vult: nec ferre poteſt, ut laborum, periculorum, impenſarum particeps ſit, à præmiis autem & utilitatibus excludatur. Ac tametſi hujuſmodi ferre cogatur eum odit qui vim affert, eumq; quacūque occaſione ulciſcitur. Omnes enim homines principatus cupiditate tenentur: idcirco ex parte dominatum patiuntur, nec tamen opprimi ſe ſuſtinent, atque ob id etiam iidem ipſi alios opprimere non coguntur, gaudentque iis honoribus qui ab æqualibus ipſorum eis tribuuntur, pœnas etiam laudant, quæ legibus inferuntur. Hoc igitur rerum ſtatu, bona & mala eſſe communia arbitrantes, civium neminem lædi volunt, eiſque optima quæque ſemper optant. Quod ſi quis aliqua uirtute præditus eſt, ipſemet eam & libenter oſtendit, & alacriter exercet. Si vero in alio eam elucere cernit, intrepide fovet, augere ſtudet, & magnifice prædicat. Quod ſi quis improbus ſit, eum omnes odere: ejus vero

qui

qui malis præmitur, omnes miſerentur, damnum & ignominiam quæ eorum cauſa accipit civitas: communia arbitrantur. Hæc popularis ſtatus forma eſt. At in tyrannide omnia contraria inveniuntur. Sed quid opus eſt pluribus agere? In ſumma, nemo eſt qui in ſe aliquid præclarum eſſe videri velit, quoniam ei omnes fere domini eam ob rem inimici ſunt: mores ptincipis, legem vitæ ſuæ omnes faciunt: ac quod ſine periculo ſuperare ſe poſſe cogitant, in eo elaborant, qua ratione inducti; plerique omnes privatis ſuis utilitatibus ſtudent: cæteros omnes odere, eorũque felicitatem in propriis damnis, calamitatem vero incommodis ponunt. Quæ cum ita ſe habeant, cur ad principatum appetendum moveare, non video: quippe qui præterquam quod populis moleſtus eſt, tibi quidem multo moleſtior ſit futurus. Nonne vides Vrbem, ejuſque res adhuc perturbatas eſſe? ac difficile fore populum noſtrũ, tot iam annos in libertate verſantem diſſolvere: neque minus difficile ſocios & vectigales noſtros, quorum quidem olim iam ſuis legibus utuntur, alij à nobis ipſis libertate donati ſunt, in ſervitutem redigere: cũ præſertim tot circa nos hoſtes habeamus? Atque ut eb eo quod primum, & breviſſimum eſt, exordiar, multa tibi quacunque ratione pecunia invenienda erit: quod præſentes facultates cum ad alias res, tum maxime ad alendos exercitus ſatis eſſe nullo modo poſſunt. Quę difficultas quãquam in populari ſtatu etiam invenitur: quod nulla res publica ſine ſumptu eſſe poſſit: tamẽ in eo ſtatu pleriq; multa libenter conferunt, quod quidem majorum honorum cupiditate factitant, ex eo digna pręmia capientes. Quod ſi viritim neceſſaria tributa exigũtur, ſibi ipſi in eo ſatisfaciunt, feruntq; nõ gravate, ut qui propter propriam utilitatem pendãt. In principa-

cipatu autem, omnes æquum exiſtimant principem, ut pote opibus affluentem, ſumptum omnem ſuſtinere: ejus facultates diligenter inquirentens, at non pariter ſumptuum rationes ſubducentes. Itaque invite privatim ſinguli quidquam conferunt: ſed nec libenter tributis communibus aſſentiuntur. Nam illud nemo faceret; ne ſe divitem eſſe proderet: nec etiam principi utile eſſet, ſi faceret quod ſtatim is propter opinionem, quam obtineret popularis, ſuperbia elatus, novas res agitare ſtuderet: alterum vero, nimirum in commune conferre tributa, multis grave & moleſtum eſt: præſertim cum illi detrimentum, alij emolumentum capiant. In ſtatu enim populari, qui tributum pendunt, magna ex parte militiæ navant operam: ex qua rurſum eadem pecunia quodam modo in eorum redit manus. At in unius principatu, plerunque alij ſunt qui terram colunt, qui navigant, qui Rempublicā gerunt, à quibus magna pecuniæ pars extorquatur: alij vero qui bella gerunt & præmia accipiunt. Hoc igitur unū ex iis eſt, quæ tibi negotium faceſſent. Alterum eſt quod exponam. Qui ſcelus concipit, eum puniri oportet: bona enim hominum pars caſtigari nec objurgatione, nec exemplis poſſunt: ſed omnino aut ignominia, aut exilio, aut morte mulctandi ſunt, quæ in tanto imperio tantaque hominum multitudine, ac præſertim in Reipublicæ mutatione ſolent accidere. Hi vero ſontes, ſi eos aliis judicijs tradideris, abſolventur, maxime ſi ex ijs fuerint, qui tibi infenſi eſſe credantur: tunc enim judices ſe potentes eſſe putant, ſi quando contra principis ſententiam judicent, ſi qui vero condemnabuntur, tuo impulſu eam calamitatem ſuſtinere videbuntur. Sin ipſe judex eris, te in æquales tuos multos animadvertere neceſſe erit. Quæ res ab hominis

nis felicitate aliena eſt, videreque prorſus à nonnullis ita potius quam æquitate pœnas exigere. Qui namque vim poſſunt afferre, à nemine æqua judicia facere putantur: exiſtimant enim omnes, eos imaginem atque umbram tantum Reipublic. præ ſe ferre, ac legitimorum prætextu judiciorum ſuas explere libidines. Hæc igitur in unius dominatum accidunt. In populari autem adminiſtratione ſi quis aliquod ſcelus privatim concepiſſe arguitur, is etiam ad privatos judices cauſam dicit. Sin publice peccavit, etiam ex ſimilibus ei judices, quos tulit ſors proponuntur: quo fit, ut quicquid accidit, facilius feratur: quod homines judicis nec potentia nec gratia coactum quicquam ſe ſuſtinere arbitrentur. Deinde præter eos qui alteri injuriam faciunt, plerique aut genere, aut opibus, aut alia quavis re elati, quamvis in alios improbi non ſint, tamen unius potentiæ adverſantur. Nemo autem qui hujuſmodi homines creſcere ſinit, tutus poteſt vivere: nec ſi eos coercere velit, id jure poteſt. Quonam igitur pacto hujuſmodi hominibus utere? quomodo illos tractabis? Nam ſi ſtirpem illorum delebis, ſi opes minueris, eorumque altitudinem depreſſeris, nullam gratiam apud tuos tibi conciliabis. Nam qui amari poſſis, cum nemini nec bene naſci, nec jure divitias acquirere, nec fortem fieri, nec magnanimũ, nec ſapientem liceat? Quod ſi hæc creſcere ſiveris, poſt haud facile eis uti poteris. Si namque ſolus & Rempub. & quæ ad bellum pertinent adminiſtrare poſſes, nec ullo collega aut adiutore ulla in re opus habere, alia eſſet ratio. Nunc autem omnino tibi multis ſocijs in eis adminiſtrandis opus eſt, in tanta præſertim mundi portione: parque omnino eſt, ut illi ipſi fortes & ſapientes ſint. Itaque ſi in horum manus exercitus & imperia tradide-

ris, an non te cum Republ. in extremum periculum conjeceris? fieri enim non poteſt, ut inſignis aliquis & magnus vir ſit, quin idem excellat audacia: nec infima ſervilique conditione quiſquam fere magnanimus eſſe poteſt. Vbi autem quis audere cœpit, illico in eo libertatis cupiditas odiumque principatus innaſcitur. Sin vero his nihil credideris, malueriſque vulgaribus uti hominibus, ſtatim in aliorum odium incurres, quod eis fidere nullo modo videare. Præterea hoc pacto in rebus maximis cito offendentes. Quid enim recte homo imperitus atque abjectæ fortunæ faceret? à quo hoſte non contemneretur? Quis ſociorum ei parère vellet? Quis miles tali homini ſubeſſe non indignaretur? Sed nihil opus mihi omnia mala enumerare, cum tibi notiſſima ſint, quæ ex eo ſolent evenire. Illud tantum neceſſario dicam: ſi hujuſmodi homo nihil recte gereret, tibi id majus quam hoſtibus afferret detrimentum: ſin quod opus eſt faceret, ſuperbia, propter ignorantiam ſuam inflatus, poſt tibi terrorem incuteret. In populari autem Republic. nihil tale invenitur: ſed quo ditiores & fortiores ſunt, eo ſunt honoris appetentiores idcirco augent civitatem, atque cum in eos ipſos, tum in civitatem utilitas cum lætitia redundat: niſi quis ad tyrannidem ſpectat: tunc enim ſevere in eam animadvertitur. Hæc autem ita ſe habere, ac multorum adminiſtrationem unius potentiæ anteponendā eſſe, Græciæ demonſtratur exemplis. Nam dum unius nutu omnia gerebantur, nunquam magnas res geſſerunt: poſtea vero quam in illam alteram popularem poteſtatem devenerunt, clariſſimi evaſerunt. Idem quoque aliorum exemplis demonſtrari poteſt: quorum quidam ſub tyrannis degentes, ſemper ſerviunt, ſem-

ſemperque ſuis dominis inſidiantur. Quidam vero annuos, aut paulo diuturniores magiſtratus habentes, in libertate legibus utentes propriis, perſeverant. Sed quod externis exemplis utor, cum domeſticis abundemus? Nos enim Romani, cum priore dominatu fracti eſſemus, poſtquam multa aſpera ſuſtinuiſſemus, in libertatis deſiderium venimus? quam ubi fuimus conſecuti, ad hanc magnitudinem nullis aliis quam Reipublic. freti bonis, progreſſi ſumus. Senatus enim primum cenſebat, poſt populus jubebat: exercitus præſto erat, gloriæ cupidi Imperatores: quarum rerum nulla in unius dominatu ſimilis reperietur. Has quidem ob cauſas tantopere majores noſtri odere, ut eum dominatum execrabilem & deteſtandum eſſe ſanxerint. Atque ut hæc miſſa faciamus, ſi de his quæ ad te pertinent, loqui volumus, qui tot tantiſque rebus dies ac noctes gubernandis durare: quod ſi etiam bona valetudine non fueris, qui ſatis eſſe poteris? quo autem hominis naturæ conſentaneo bono frui? His autem privatus bonis, quonam pacto beatus eris? & quanam re oblectari poſſis? quando vero ſine magna moleſtia futurus? Qui enim tam amplum habet imperium, eum multarum rerum curam metumque habere, pauciſſima vero quæ oblectent ſentire neceſſe eſt: ſemperque omni in loco moleſtiſſimas res videre & audire, facere & pati. Quas ob res quoſdam Græcos & Barbaros, ſibi oblatos principatus reſpuiſſe arbitror. Hæc igitur proſpiciens, delibera priuſquam ingrediare. Nam vituperabile eſt, ſemel ingreſſum pedem referre: imo fieri non poteſt, ut qui ſemel in eo immerſus eſt, emergat. Vide ne te fallat amplitudo poteſtatis, poſſeſſionum copia, multitudo

ſtipatorum,ſervorum turba. Qui enim multum poſſunt, multum quoque habent negotij: & qui multa poſſident, multum ſumptum faciant neceſſe eſt. Stipatorum vero caterva, propter inſidiatorum multitudinem reperta fuit: aſſentatores citius homini exitij cauſa erunt, quam ſalutis. Haſce igitur ob res, nemo quidem qui ſapiat, fieri Princeps cupiat. Quod ſi quis imperium expetendum putet, quod in eo opes ſint, quod quoſdam ſervare poſſit, multaq; bona facere, etiam mala, ſi ei videatur: hic in magno errore, verſatur. Nam improbum eſſe, aliis nocere, quam ſit diis hominibuſque inviſum, quamque periculoſum, nihil attinet dicere, quod nec tu talis es: nec ut talia poſſes, eligeres principatum. Nec mihi nunc propoſitum eſt dicere, quanta mala is faceret, qui non juſte vellet dominari: ſed potius, quæ facienda & patienda ſunt etiam eis, qui recte poteſtate uterentur. Ad id autem quod dicitur, poſſe in eo magna mortalibus bona conferri: fateor, hoc eſſe deſiderabile. Sed cum in privato homine eſt, tum honeſta, laudabilis, glorioſa & ſecura res eſt: at in unius dominatu ea res non eſt par aliis, quæ in ea ſunt, malis, adeo ut propter id ea mala eligantur, cum præſertim ejus beneficentiæ fructus in alios, malorum vero dolor in eum redundaturus ſit. Non eſt præterea ea res tam facilis, quam alij putant: quod unus omnibus egentibus explendis ſatis eſſe non poſſit: qui enim ſe dignos ducunt, qui ab eo beneficium accipiant ij fere omnes mortales ſunt, etiamſi nullum ab eo beneficium promeriti fuerint: omnes etenim homines natura ſibi placent, voluntque ab eo qui poteſt, beneficium accipere. Verũ quæ dari poſſunt, honores videlicet, ac dignitates, atque interdum etiam pecuniæ, pauciſſima ſunt, ſi cum tanta hominũ multitudine comparen-

parentur. Quod cum ita ſit, plus odii ab iis qui cupita conſequi non poſſent, conſequeretur, quam benevolentiæ ab eis qui ea obtinerent. Hi enim quaſi debita accipiant, ſe haud ſane magnam gratiam ei qui beneficium dedit debere arbitrantur: quaſi nihil preter ſpem ſuam invenerint. Præterea tardi ad gratias agendas ſunt, ne ob id beneficijs acceptis indigni videantur. Qui vero quod cupiebant conſequi non potuerunt, moleſtiam duabus de cauſis accipiunt. Primum, quod ſe privari putant re propria & ſua: (omnes enim ſuum eſſe, quod cupiunt exiſtimant) deinde quod ſi patienter repulſam ferunt ſe ipſi eo beneficio indignos eſſe videntur deputare: quod qui juſte hujuſmodi res diſtribuit, cujuſque merita diligenter videtur expendiſſe: & alios honorare, alios contemnere: idcirco ob ejus judicium aliis ſuperbia, aliis dolor, vel ex ipſorum conſcientia accreſcit. Quod ſi quis hoc metuens, ſine delectu & modo ea vellet diſtribuere, erraret omnino: quoniam improbi præter meritum honoribus affecti, deteriores fierent, ſe aut laudari quaſi boni eſſent, aut deliniri, quaſi formidabiles, arbitrati: boni vero nihilo plus quam illi accipientes, ſed ſe illis æquari cernentes, magis dolerent ob eam æquationem, quam gauderent, quod aliquod beneficium eſſent conſecuti. Quamobrem rerum meliorum uſum relinquerent, ac ſeſe potius deterioribus applicarent: quo fieret ut ex honoribus qui eos conferrent, aliquem fructum non perciperent: & qui acciperent, deteriores efficerentur. Itaque quod pleriſq; in principatu placeret, id factu eſſet difficillimum. Hæc igitur atque alia, quæ paulo ante commemoravi tecum reputans, dum licet, ſapito: ac populo arma, nationes, magiſtratus, pecuniamque reſtituito: quod quidem ſi nunc volens atque ultro feceris,

ceris, omnes mortales gloria ſuperabis, eriſque tutiſſimus: ſin, dum vis aliqua tibi afferatur expectaveris, forſitan una cum ignominia aliquid mali ſuſtinebis. Exempla ſumere potes à Mario & Sylla & Metello & Pompejo, qui initio rerum potiti, regnare noluerunt: ex quo nihil mali ſuſtinuerunt. At Cinna, & Strabo, & alter Marius & Stertori⁹ & ipſe Pompejus, poſt regnandi cupiditate incenſi, male perierunt. Difficile enim eſt, hanc civitatem, quæ tot annos libera fuit, quæque tot mortalibus imperitavit, nunc alicui ſubeſſe velle. Camillum majores noſtri, quod albis equis in triumpho uſus eſſet, relegarunt. Scipionem cum multum creviſſe viderent everterunt. Patrem tuum propter affectati regni quandam ſuſpicionem, quam miſere mulctaverint, recordare. Atqui nulli unquam his viris præſtantiores fuerunt. Haud tamen ſuadeo, ita ſimpliciter imperium deponas: ſed ut prius omnibus populi utilitatibus proſpicias: decretiſq; ac legibus Syllæ exemplo quod opportunum videbitur, conſtituas. Nam tametſi poſt illud tempus pleræq; abrogatæ fuerunt, major tamen earum pars, eaq; melior adhuc viget. Nec mihi dicas, iterum ſeditiones orituras, ne tibi reſpondeam, multo citius tyrãnide preſſos res novas molituros. Quod ſi omnia quæ quamque rẽ ſequi ſolent, reputare voluerimus, ſine ulla ratione plus metuemus diſcordias, quæ ex populari rep. exiſtunt, quã quæ ex unius dõinatu ſolent evenire: de quarũ magnitudine nihil dicere tentavi, ne rem per ſe tã aperte vituperabilẽ videar vituperare velle. Sed eã talẽ eſſe, illud unũ ſatis arguit, quod ea eſt ejus natura, ut vel bonos viros in improbos convertat.

In ſine hujus orationis, aut nihil, aut parum deeſſe videtur, in ſequenti, principium omnino deſideratur.

MÆ-

MAECENATIS ORATIO PRO MONARCHIA,

AD CÆS. AVGVSTVM, EX DIONIS LIB. LII. CAELIO S. C. interprete.

SI tibi, Auguſte Cæſar, patria chara eſt pro qua tot bella geſſiſti, & pro qua vitam impendere non dubitares: eam componere, atque in meliorem formam revocare ſtude. Libertas enim illa loquendi, faciendique quod quiſque velit, ſi eam tu in viris ſapientibus cogites, ex ea in reliquos omnes redundat utilitas: ſin in ſtultis, calamitas ad omnes permanat. Itaque qui talibus hanc poteſtatem facit, gladium puero & furioſo tradit: qui vero bonis & ſapientibus, præter alia bona etiam illud conſequitur, ut improbos vel invitos conſervet. Quamobrem æquum & juſtum arbitror, ut non nominum magnificentiam ſpectes, ſed quod ex illis evenire ſolet pervidens, populi refrenes audaciam, & gubernacula Reipublicæ ipſe cum aliis optimatibus tractes: ut qui ſapientiſſimi ſunt, conſilium dent: qui rei militaris ſcientiam habent, ordines ducant: qui vero robuſtiſſimi & egentiſſimi, pugnent, & ſtipendia capiant. Nam ſi ita fiat, quiſque ſuum munus alacriter obibit: hacque mutua utilitate fiet, ut nemo egeſtatem ſentiat: atq; hac ratione verum populi principatũ ſecuramq; libertatem obtinebunt. Illa namque imperitæ multitudinis libertas, duriſſima fortiũ virorum ſervitus eſt, atq; utriſque affert exitium: hæc autem, de qua loquor, quæ in honoribus

ſemper virtutem anteponit, quæ cuique diſtribuit pro dignitate cujuſque, eos omnes pariter qui ea utuntur, beatos facit. Ne credas me tibi ſuadere velle, ut hunc populum, hũcque Senatum ſervitute premas (hoc enim nunquam aut ego dicere, aut tu poſſes facere) ſed hæc tum tibi tum Reip. utilia forent, ut ſcilicet cum viris præſtantibus quæ agenda ſunt (multitudine contradicere aut adverſari non audente) ordinares: ut bella noſtris conſiliis diſponeres: ut cæteri parerent, ut magiſtratuum creandorum poteſtas penes nos eſſet: ut de præmiis, & pœnis nos ſtatueremus: quo protinus lex eſſet, quicquid tibi ac tuis æqualibus placeret: ut bella clam atque in tempore ſuſciperentur: ut qui aliquod munus gerere deberent, hi non ſortitione, aut ambitione, ſed virtutis habita ratione legerentur: ut ſine invidia bonis honos haberetur, & improbi ſine ſeditione plecterentur. Hoc enim pacto negotia optime diſponi poſſent, ſi nec ad populum referrétur, nec aperte tractarentur, nec cohortationibus cõmitterentur, nec ambitione periclitarentur. Ita bonis præſentibus ſine ulla moleſtia frui poſſemus, neque bella periculoſa, neque ſeditiones injuſtas feceremus: quæ omnia in populari Republ. ſunt: quod potentiores principatum appetentes tenuiores conducant, omniaque confundant. Quorum multa hujuſmodi apud nos factitata ſunt: nec ulla pręterea ratiõe his mederi poſſumus. Atq; hujus rei argumentũ eſt, quod jamdudum decertamus, atque inter nos diſſidemus. Hujus auté rei cauſa eſt, multitudo hominum, negotiorũ magnitudo. Illi enim cum multi ac inter ſe diverſi natura, & ſanguine ſint, ſtudiis quoq; & deſideriis variis feruntur: quæ jam eo proceſſère ut difficilime regi queant. Hæc autem in hunc modũ ſe habere, ex iis quæ facta ſunt, demonſtratur.

Nam

Nam dum pauci fuimus, nec dum magnopere ſupra finitimos noſtros creveramus, Remp. præclare gerebamus, ac totam fere Italiam ſubjeceramus. Poſtea vero quam extra eá profecti in multa continentis & inſularum loca tranſivimus, totumque mare, totamq; terram nomine & potentia noſtra implevimus, nullis bonis frui potuimus: ſed domi primum & intra muros diſſidere cœpimus, poſt etiam hunc morbum in exercitus tranſtulimus. Quibus de cauſis civitas noſtra inſtar navis variis gentibus oneratæ, magnaque tempeſtate diu ſine gubernatore agitatæ: nunc fluctibus fertur, modo hac, modo illac inclinans, ut quæ nullo clavo gubernatur. Ne igitur illam in hac tempeſtate contempſeris (quam n. onerata ſit, vides) nec ut frangatur permitte: putris enim eſt, nec diu ſuperſtes eſſe poterit. Sed quando dii ejus miſerti, te illi judicem & principem præfecerunt, ne deſere patriam: ut quæ nunc aliquantum reſpirat, in poſterum etiam per te ſecura perſiſtat. Meum hoc conſilium, quo tibi principatum capeſſendum eſſe ſuadeo, bonũ eſſe te multo ante cognoviſſe exiſtimo. Quod cum ita ſit, capeſſe: ſive ut melius dicam, ne deſere hunc principatum. Etenim non de aliqua re capienda nunc deliberamus, ſed potius de non amittenda: ac ut ne iterum in periculum incidam⁹. Ná quis tibi unquam ignoſcet, ſi Remp. in populi aut alterius, ut ante fuit, reliqueris manu? cum multi à te vexati fuerint, qui omnes ferme principatus cupidi ſunt: quorũ nemo erit, qui nõ propterea quæ abs te facta ſunt, ulciſci velit, quique te adverſarium è medio tollere nõ ſtudeat. Exemplo tibi Pompejus eſſe poteſt, qui amiſſa poteſtate, ſpretus & proditus fuit: & ob id cum recuperare eã non poſſet, interemptus eſt: & Cæſar pater tuus, hoc ipſum facere cum velles cæſus fuit. Quin & Marius &

Sylla

Sylla, eandem niſi ante fuiſſent mortui, calamitatem ſuſtinuiſſent. Quanquam ſunt qui dicant, Syllam hoc ipſum veritum antevertiſſe, ſibiq; manus attuliſſe. Ipſo autem vivo, multa ejus decreta jam diſſolui cœperant. Itaque multos Sertorios, Brutos & Caſſios te inventurum puta. Hæc igitur cum videas, ac per te reliqua omnia repures: ne te una cum patria velis prodere, ne callide dominatum appetere videare. Nam primum etiamſi quis hoc de te ſuſpicaretur, hujuſmodi deſiderium à natura humana alienum non eſt: honeſtaq; ſunt pro hujuſmodi re pericula. Præterea quis, quæ te in hæc negotia adduxit, neceſſitatem non agnoſcit? in qua ſi qua culpa eſt, merito iis aſcribi poteſt, qui patrem tuum necaverunt: quem niſi tam injuſte & miſerabiliter trucidaſſent, tu nec arma ſumpſiſſes, nec legiones congregaſſes, nec cum Lepido & Antonio conſenſiſſes, nec eos ipſos vitus eſſes. Ac nemo eſt, qui hæc jure & recte facta eſſe non agnoſcat. Quod ſi qua in re error commiſſus eſt, nos eum corrigere poſſumus. Quamobrem cum noſtra, tum vero civitatis cauſa fortunam quæ tibi principatum dedit, ſequamur, eique gratias agamus. Illa enim non modo domeſticis nos malis explevit, verum præterea hujus Reipub. conſtitutionem in tuo conſtituit arbitrio: ut te eam, ut par eſt, gubernante, omnes mortales agnoſcant præterita facta: & male ab improbis hominib. adminiſtratam fuiſſe, te vero bonum virum eſſe. Neque te terruerit imperii magnitudo: nam quanto majus eſt, tanto majora in eo ſunt ad id conſervandum bona. Multo enim facilius eſt, rem quampiam conſervare, quam acquirere: quod in acquirendis bonis labores & pericula ſunt adeunda, at in præſentib. conſervandis vel exigua cura abunde eſt. Nec etiam timueris, quin ſecure in eo

victu-

victurus ſis, boniſque humanis omnibus uſurus, præſertim ſi omnia voles, ut tibi jam dicam, conſtituere. Quod ſi hac de re paulo copioſius verba fecero, tibi longus videri non debebo. Id enim non dilatandæ orationis cauſa faciam, ſed ut perſpicue intelligas, facile eſſe viro ſapienti, recte & ſine periculo imperare. Primum igitur omnium opus eſſe cenſeo, eos qui in Senatu ſunt, inquiras atque diſcernas. Quidam enim indigni lecti in eum ſunt. Hi autem in quibus aliqua virtus elucet, erunt retinendi, reliqui dimittendi. Nemo autem bonus propter egeſtatem ſenatu movendus: ſed potius ei danda pecunia eſt, aliaque neceſſaria ſuppeditanda. In locum eorum qui moti fuerunt, generoſiores, meliores, & ditiores introducendi: legendique non modo ex Italiæ locis, verum etiam ſociorum & ſtipendiariorum. Hoc enim pacto multos adiutores habebis, & fortibus viris eris munitus, qui in ſingulis erunt nationibus. Itaque illæ nullam novitatem illuſtrem facient: qui vero in eis primarii erunt, te, quaſi tecum imperii participes, amabunt. Id ipſum etiam in equitibus faciendum eſt, quod qui ſanguine ſecundi quocunque in loco ſunt, itemque virtute & opibus, ii in ordinem equeſtrem adlegendi: tot, quot tibi videbitur, introductis, nulla numeri ipſorum habita ratione. Nam quo plures fortes viri tecum erunt, eò facilius omnia adminiſtrabis: quo pacto tributariis perſuadebis, te eis non quaſi ſervis, aut inferioribus nobis uti: ſed te cum ipſis, ut alia ſic etiam principatum communicare, ut eum ipſi tanquam communem conſervent. Atque ego hoc conſilium tanti facio, ut te horter, cum eis omnibus communices Rempublicam ut quoniam ipſi non æqualiter ejus ſunt participes, bonam poſt partem capiant, tanquam in

in eadem noſtra civitate habitent: hanc noſtram verè urbem & civitatem eſſe exiſtimantes, ſuas vero villas & agros eſſe. Sed de hiſce rebus deinceps accuratius, quid agendum ſit, deliberabimus, nec eis omnia ſimul concedamus. In equeſtrem autem ordinem XVIII. annos natos adoleſcentes legito, quod in hac ætate multum animi alacritas, bonaque corporis habitudo ſeſe proferat: in Senatum vero annos quinque & viginti. Namque non vituperandum & periculoſum eſt, ut nos qui ante hanc ætatem rerum domeſticarum curam nulli committendam eſſe ducimus, Reſpublicas junioribus committamus? Quæſtores, Ædiles, Tribuni xxx. annorum, Prætores creantor. Hos. n. magiſtratus patriæ conſuetudinis tantum memoria, atque etiam ne totam Reip. formam commutaſſe videare, una cum Conſulatu à te confirmandos cẽſeo. Hos autem penes te ſolum eligendi poteſtas eſto: non penes multitudinem & populum quod diſcordes inter ſe eſſent, nec in Senatus arbitrio: diſcreparent n. ſententiis: nolo tamẽ veterem illam horum magiſtratuum poteſtatem retineri, ne rurſum in eaſdem contentiones incidamus: ſed volo te dignitatem ſolum conſervare: tantumque de poteſtate detrahere, ut tamen nihil de honore diminuas, ne, qui novis rebus ſtudent, quicquam moliri queant. Quod quidem effeceris, ſi præter reliquas cautiones, eos in urbem reduxeris, & magiſtratus tempore arma eis ademeris: idq; non ſtatim, ſed temporis progreſſu, quantum cuique ſatis eſſe videatur. Hoc enim pacto, nec etiam ulli exercitibus præfecti, nominis ſui altitudine elati, novi quicquam molientur. Itaq; in vita privata aliquandiu commorari, miteſcent: qui vero ad eũ pertinebunt, conciones habento: omneſq; judicandi, magiſtratus popularis tempore cauſas, præter capitales, poteſtas eſto.

eſto. Volo enim te judices partim ex ſenatoribus, partim ex equitibus legere: ſed omnium ſumma ſita in illis ſit. Præfectus urbis ex præſtantiſſimis creetur, atq; ex illis, qui, quæ ad Rempubl. pertinent, omnia tractaverit. Id autem non ut is præfectus ſit, dum Magiſtri equitum extra urbem ſunt, ſed ut partim reliqua omnia urbana curet: partim cauſas ad alios magiſtratus rejectas, ut ante dixi, ſine appellatione cognoſcat. Iudicet etiam in urbe cauſas capitales præter quorundam, de quibus dicam, & extra urbem, uſque ad ſeptingenta & quinquaginta ſtadia. Alius quoque ejuſdem conditionis hominum legatur, cujus munus ſit de ſtirpe, opibus & moribus ſenatorum atq; equitum inquirere & inveſtigare: iſq; eos errores corrigat, qui legibus non vindicantur, qui multorum magnorumque cauſa malorum eſſent, ſi contemnerentur. In rebus autem gravioribus te conſulat. Hoc autẽ munus ſenatori, ac potius optimo cuique, ſecundum urbis præfectum, quam ex equeſtri ordine cuiquã, demandetur: iſque à tua cenſura appelletur. Te enim omnino Cenſorio muneri præfectum eſſe, neceſſariũ eſt: ex quo is Subcenſor nominetur. Sint vero duo, qui per totã vitam hoſce magiſtratus gerant, niſi forte eorum alter deterior fieret: aut morbo, aut ſenio deficeret. Et quanquam hi magiſtratus diuturni ſunt, tamen nullũ ex eo incommodum ſequetur: cum præſertim alter inermis ſit, alter paucis militibus ſtipatus: cumq; bona temporis parte in oculis tuis verſaturi ſunt. Præterea in quenquã inſurgere non auderent, ſuam debilitatem, aliorum vero quorundam potentiam agnoſcentes. His porro certum ſtipendiũ, cum propter ipſorum otiũ, tum propter horum dignitatem, aſſignari debet. Hoc meum conſilium eſt. Sed Prætores, antequam pręturam capiant, magiſtratum aliquem

liquem inter vectigales populos,quos dicam, tenuiſſe oportet. Primo atque iterũ ſint Proprætores: deinde Conſules, ſi ſe bene geſſerint, creentur: poſt ad majores dignitates admoveantur. Ita enim res conſtituas, conſulo: Italiam omnem,quæ ab urbe ultra ſeptingenta quinquaginta ſtadia diſtat,omnesq́ue reliquas partes quæ in inſulis & continenti ſunt, quæ quidem nobiſcũ conſentiunt, in gentes & nationes diſtribuito, eas præſertim in civitates, quæ ab uno idoneo viro gubernari poſſunt: ibiq; milites aliquot conſtituito, præfectos item in ſingulis locis. Vnum mitto ex ijs qui Conſules fuerint: duoſq; qui præturam geſſerint, unum, qui paulo ante ex urbe ſit egreſſus, cui cura privatarum rerum apparatuſq; neceſſariarum incumbat: alter ex ijs qui hoc geſſerint munus, cui res urbanæ curæ erunt: idemq; militum præfectus eſto, præter quam in publicis & capitalib. cauſis. Id enim præfecti conſularis tantum eſt munus. In his Centuriones quoque privatoſq́ue viros, qui primarij apud unumqumeq;eorum erunt, excipio: hujuſmodi enim viros ullius alterius judicio ſubeſſe non patiere: ne eos ita timeant, ut quicquam unquam contra te faciant. Quod autẽ dixi, oportere te militibus præficere, unum ex ijs qui Prætores fuerint, ejus generis eſt, ut ſi pauci milites in præſidijs externis ſive in aliqua urbiũ fuerint, recte id fiat: ſin vero duæ civitatis exercitus in una eadẽq; gente, ad hybernandũ collocati fuerint, quoniam ſic pluſquam duos uni duci cõmitteres, tibi non ſuaderem, ut duos illos Prætorics viros, ſingulis exercitibus ſeparatim præficeres: ſimiliter etiam civilibus & privatis rebus, ſed conſularis Dux, & hæc quæ ad cauſas, quæ de comitiis agentur, & quæ ad ipſum à ſuis prætoribus venient, cognoſcet. Mirari vero te nolim Cæſar, quod te ad Italiam, in eas

partes

partes dividendá hortor: quoniam cum ampla & frequens viris ſit, fieri non poteſt ut ab urbanis magiſtratibus recte gubernetur. Præfectũ namque urbis in Vrbe ſemper eſſe oportet: aliiſq; magiſtratibus, quæ facienda ſunt, imperare. Omnibus vero ijs qui magiſtratus extra urbem gerent, certa ſtipendia, majorib. ampliora, tenuiora inferioribus, & mediocrib. mediocria conſtituuntor. Fieri.n.nullo modo poteſt, ut in aliena regione quis ſuis ſuſtentetur facultatib. ſumptumq; incertũ faciat, & ſine modo. In ſua quiſq; provincia non minus triennio maneto: niſi quid forte injuſte fecerint: nec plus quinquennio, tum quod annui & brevis temporis, ubi aliquis quæ agenda ſunt, didicerit, prius eum dimittant, quam quod didicit demonſtrare poſſit: tum quod diuturniores magiſtratus, pleroſq; clariores efficiunt, eoſq; ad res novas agitandas inducunt. Itaque minime cenſeo, magiſtratus uni alios atque alios eſſe continuandos: nihil enim intereſt, retineat quis in una natione, an in plurib. alium ex alio, diutius quam par eſt magiſtratum. Meliores auté fiunt temporis intermiſſione, dumq; domum redeunt, & vitam privatam agunt. Igitur à ſenatorib. hęc in hunc modum adminiſtranda eſſe cenſeo. Equitum vero duo præſtantiſſimi, ad tui corporis cuſtodiam primi deliguntor: uni.n.eam committere, periculoſum: pluribus confuſione non vacaret. Duo igitur huic muneri præficiuntor; ut ſi alter male quid ſentiret, viris qui te cuſtodiant, non careas. Hi vero duo ex ijs deliguntor, qui diu militiam exercuerint: quique aliis multis muneribus præfuerint. Hi ſtipatoribus tuis, cohortique prætoriæ, cæteriſque qui in Italia ſunt militibus imperanto: eiſque capitis condemnare ſontes jus eſto, præter Centuriones alioſque qui magiſtratibus aſſignati ſunt, modo Senatorii ordinis nõ ſint.

ſint. Hi enim ab illis ipſis judicandi ſunt, ut eis uti quocunq; poſſint tempore: ut penes quos eos pœnis & præmiis afficiendi poteſtas ſit. Reliquis vero omnibus qui in Italia ſunt militibus, illi duo præſunto: alioſq; præfectos ſibi obſequentes habento. Præterea Cæſarianos, qui in tua familia ſunt, liberoſque & cæteros, qui alicujus exiſtimationis ſunt, moderantor, quoniã hæc ab eis commode apteque adminiſtrari poſſunt. Nam ſi plura quam ferre queant, eis committerentur, neceſſaria munera obire, aut omnibus eis rebus intenti eſſe poſſent. Horum autem munus eis perpetuum eſto, ut præfecti urbis & ſubcenſoris. Alius præterea præfectus vigilum legatur, itemque præfectus annonæ, aliarumque rerum, quæ in Equitum foro venalia ſunt: qui quidem viri, primi poſt eos ſint, eoque munere ad certum fungantur tempus, ut qui ex ordine ſenatorio lecti ſunt. Ærarii populi atque Imperii tam Romæ, quam alibi in Italia curam equites habento. Hi vero aliique ejuſdem ordinis viri, qui publicum gerunt munus, cæterique alii majus pro ipſorum dignitate, aut negotiorũ magnitudine, ſtipendium capiunto: idq; duabus de cauſis. Primum, quod fieri non poſſit: ut hi qui Senatoribus tenuiores ſunt, etiam Romæ ſuis facultatibus vivant: deinde, quod fieri etiam non poſſit, ut ijdem homines & facultatib. ſuis & publicis pecuniis præſint. Vtile præterea eſt, ut omnia quæ ad imperium ſpectant, à multis adminiſtrentur, multique ex eo utilitatem capiant, expertique in rebus gerendis fiant. Hac etenim ratione & populi ſubjecti ex communibus bonis varios & diverſos fructus percipiẽtes, obſequentiores erunt: & tu omnibus in rebus neceſſariis ſemper quam plurimis optimis viris uteris. In urbe autẽ, pro cujuſq; exactionis modo: extra vero urbem, in ſingulis nationibus

bus ſatis erit unus ex equitibus, aut tuis libertis, qui tot habeat milites, quot neceſſitas poſcet. Hujuſmodi enim homines erunt adjungendi, ut & tui ſervi aliquo virtutis præmio afficiantur: & tibi non deſint, per quos verum poſſis cognoſcere, ſi quid vel contra eorum voluntatem committatur. Quiſquis igitur ex ordine equeſtri in multis negotiis exercitatus, vir magnanimus fiet, adeo ut Senator eſſe poſſit: huic ætas impedimento eſſe non debebit, quo minus in Senatũ aſcribatur. Volo enim ex his etiam eligi, quamvis eorum aliqui in civilibus copiis ordines duxerint: præter eos qui alicui muneri deſtinati ſunt, ut qui vaſa aliave onera portant: horum enim aliquem turpe foret in Senatum adſcribi. Nihil etiam obſtat, quo minus in Senatum eligantur ex illis qui ab initio Centuriones fuerint; hæc de Equitibus & conſularibus cenſeo. Ac præterea etiam illud, ut dum pueri ſunt, ad ſcholas eant: ubi autem ad firmiorem ætatem pervenerint, equitare, armaque tractare diſcant, à magiſtris in hoc publico ſtipendio conductis. Hoc. n. pacto à teneris edocti & exercitati in his omnibus quæ in virili ætate agenda ſunt, poſt tibi erunt ad omnia munera utiliores. Optimum namque principem, non modo ipſum ea facere quæ decent, oportet: verum etiam ut alii omnes probi & fortes fiant, providere. Hos autem conſequere, ſi quæ volent, facere eos permiſeris. Deinde in eos qui deliquerint animadvertes: ſi modo priuſquam delinquant, eos ad ea inſtitueris, quę ſi fecerint, tum tibi, tum ſibi utiles eſſe poſſint. Illud autem inprimis cavendũ erit, ne eis ullam occaſionem præbens, ut aut divitiis, aut nobilitate, aut alia quavis re virtuti affini freti, mollitiei ſe atque inertiæ dedant. Pleriq; enim invidiam metuentes, ob hujuſmodi præſertim opera, multa ſe indigna com-

committunt, tanquam per ea tutiores futuri ſint, ob eamq; cauſam miſericordiam inventuri: quaſi injuriis idcirco afficiantur, quod eis recte vivere non liceat. Sed eorum princeps, qui ex eo detrimentum capit, ſimulque quod viris probis privetur, ex ea culpa ignominia afficitur. Tu igitur hoc haud parvi facies; nec dubitabis, hominē his moribus ideo rebus novis ſtudere non auſurum: quin potius contra omnes imperiti & vitioſi tibi ſuſpecti eſſe debent. Hujuſmodi enim homines facile ad magnas res agitandas inducuntur: primum in ſeipſos, deinde in alios. Illi autem qui liberaliter educati atque inſtituti ſunt, ad injuriam cuipiam faciendam haud impelluntur: ac præſertim ei, qui ejus educationis atque inſtitutionis curam habuit. Quod ſi quis etiam improbus ingratuſq; fieret, ei nihil cōmittes, quamobrem aliquod ſcelus patrare poſſit. Qui ſi quid novi tentarit, is ut redarguatur & puniatur efficies: qua in re nullius reprehenſionem formidabis, ſi meum conſilium ſequere, quoniam in facinoroſum animaduertens, non errabis: ut nec medicus, cum igni & ferro ſanat ægrotum: ſed illum omnes culpabunt, qui educationis atque inſtitutionis ejuſdē cum aliis factus particeps, vitæ tuæ inſidiatus ſit: hæc igitur cum Senatorib. & equitib. erunt agenda. Præſidia præterea in ſingulis nationibus habēda erunt majora minorave pro neceſſitate: quæ præſidia tum ex civibus, tum ex vectigalib. populis, tum ex ſocijs eligantur. Hos ſemper in armis eſſe oportet, ſemperque in militarib. rebus exerceri. Domicilia in locis opportunis habeant, atq; ad certum ac definitum tempus ſtipendia faciant: ita ut aliqua pars ætatis ante ſenectutē vacationi relinquatur: quæ præſidia niſi habuerimus, cum tam longe à noſtri imperii terminis ſemoti ſimus, cumq; in omni parte

ni parte hoſtes finitimos habeamus, eis uti opportune non poterimus. Quod ſi eis omnib. qui in perfecta ætate ſunt, exercere arma permiſerimus, ſemper propter hos diſſenſiones bellaque civilia conſequentur. Sin etiam omnino rem militarem interdixerimus, cum auxilium ab eis petemus, noſtro cum periculo milite tyrone & inexercitato vtemur. Hāc ob cauſam alios inermes & ſine munitionibus vivere volumus, robuſtiſſimos autem eligi & exerceri. Hi enim melius pugnabunt, ſi in ea tantum meditatione & ſtudio erunt occupati, alii vero melius agros colunt, navigabunt, aliaque pacis munera tractabunt: cum auxilia dare non cogantur, alioſq; ſuarũ fortunarum cuſtodes ac defenſores habeant. Qui vero in ætate firmiore viridioreque ſunt, quos latrociniis vivere neceſſe alioqui eſſet, in hoc pacto ſine moleſtia ſuſtentabuntur: reliquumque vitæ tempus expertes periculi ducent. Hic mihi dicet aliquis: Vnde pecunia, quæ in hoſce & alios erit inſumenda, capietur? Docebo, ſi prius unum illud te monuero: nos etiamſi in populari Republica ageremus, pecunia tamē opus habituros. Neque enim fieri poteſt, ut ſine armatis nos tueamur: hi autem ſine pecunia teneri non poſſunt. Ne igitur unius principatu nos gravari dicamus, quaſi in eo tantum pecuniarum acervis opus habeamus: nec ob eam rem ipſam fugiamus: ſed tanquam neceſſaria ſit, quacunque Reipub. forma utamur, pecuniarum coaceruatio, ita conſilium capere debemus. Cenſeo igitur, omnia bona publica vendas (hæc autem video multa bellorum cauſa eſſe: exceptis quibuſdam, quæ multum utilia tibi & neceſſaria ſunt) omnemque pecuniam quæ ex eis redigetur, fœnori moderato tradas. Hoc enim pacto agri, utpote à propriis dominis bene colentur: ex quo etiam occaſionem rei ampli-

plifi-

plificandæ invenerunt, Reique publicæ vectigal idoneum ac perpetuum conſtabit. Deinde quæ ex eo, atque ex fodinis & metallis, & quacunque alia certa ratione ſumma ſit, videndum erit. Ratio præterea non ſolum impenſarum quæ in milites fiunt, verum etiam in alias res omnes, quibus civitas bene habitatur, item quæ in tumultuarios exercitus atque alia quæ ad tempus ſolent accidere, putanda erit: & ad horum rationem ſi quid deerit, vectigal omnibus bonis quæ aliquā poſſeſſori utilitatem afferunt, imponendum. Tributa quoque ab omnibus quibus imperamus, nationib⁹ exigenda. Æquum enim & conveniens eſt, ut nulla earum immunis à tributo ſit: non privatus, non populus, ut qui ex eis utilitatem pariter cum aliis capiunt. Publicani in omnibus locis erunt collocandi, qui tempeſtiue omnia vectigalia, quæ ad illorum munus pertinebunt, exigant. Eo enim fiet, ut ipſi facilius exigant: & qui pendent, minus graventur: quia paulatim quod debebunt, ordine exponent: nec poſtea, ſi qua intermiſſio facta fuerit, totam ſummam ſimul pendere cogentur. Neque tamen me latet hæc vectigalia & tributa, ubi primum imponentur, gravia fore. Sed nec illud ignoro, ſi non fraudabuntur, credentque quod revera eſt, ſe hęc omnia pro ſalute propria collaturos, ſuisque bonis ſine periculo uſuros: nihil à præfectis & gubernatoribus, & militibus plus, quam quod conſtitutum eſt, exactum iri metuentes: tibi magnam habebunt gratiam, pauca pro multis pendentes, ex quibus fructum à re ſine ulla injuria percipiant: præcipue vero videntes te moderate vivere, nullumque ſumptum ſupervacaneum facere.

Ecquis nam eſt qui animadvertens te in propria domo parciſſimum eſſe, in rebus autem communibus liberaliſſimum, non libenter ſit colla-

collaturus, cum tuas opes cogitabit ſecuritatem & abundantiam eſſe propriam ac ſuam? Hoc igitur pacto magnam pecuniæ vim coacervare poſſis. Reliqua vero ſuadeo in hunc conſtituas modum. Hanc urbem omni ſumptu exornabis, omniq́ue genere jucundiſſimorum collegiorũ illuſtrem facies. Nam par eſt, ut qui multis imperamus, reliquis in omni genere præſtemus. Hæc enim in ſociis noſtris reverentiam adverſus nos inducunt, hoſtibus vero terrorem incutiunt. Cætera vero ſic conſtitues. Primum populi nullam poteſtatem habento: neque in conſilium ullo modo veniunto, nam præterquam quod nihil boni ſentirent, ſæpe omnia perturbarent. Quapropter cenſeo, ne populum quidem noſtrum aut in judicia, aut ad creandos magiſtratus, aut ullum in alium cœtum, ubi aliquid tractandum ſit, adhibendum eſſe. Præterea neo multitudine ædificiorum, nec magnitudine, præter neceſſitatem uti poſſe: nec impenſas in ludos multos & varios facere, ne ſtudiis inanibus conſumantur: nec inimici fiant ſtulta ambitione. Volo enim eos certas ſodalitates, & ludos, præter æquorum curſum, qui apud nos uſurpatur, habere: (non tamen tot, ut publica res, aut privatæ illorum domus detrimentum capiant) utque peregrinus aliquis apud eos aliquid impendere cogatur, cibumque perpetuum victori quibuſdam in ludis præbere. Æquum enim eſt, ut divites extra patriam aliquem ſumptum facere cogantur. Gladiatores autem præmiis, quæ ſingulis in locis inſtituta ſunt, contenti eſſe debent: niſi quis eorum Olympia, aut Pythia, aut quemvis aliorum ludorum, quibus utantur ipſi, vicerit. Hi n. ſoli nutriri debent, ne civitates fruſtra atterantur: nec quiſquam, præter dignos victoria, exerceatur, cum aliud tractare, ſibi & reipublic. utilius poſſit. Hæc igitur

plificandæ invenerunt, Reique publicæ vectigal idoneum ac perpetuum conſtabit. Deinde quæ ex eo, atque ex fodinis & metallis, & quacunque alia certa ratione ſumma ſit, videndum erit. Ratio præterea non ſolum impenſarum quæ in milites fiunt, verum etiam in alias res omnes, quibus civitas bene habitatur, item quæ in tumultuarios exercitus atque alia quæ ad tempus ſolent accidere, putanda erit: & ad horum rationem ſi quid deerit, vectigal omnibus bonis quæ aliquã poſſeſſori utilitatem afferunt, imponendum. Tributa quoque ab omnibus quibus imperamus, nationib⁹ exigenda. Æquum enim & conveniens eſt, ut nulla earum immunis à tributo ſit: non privatus, non populus, ut qui ex eis utilitatem pariter cum aliis capiunt. Publicani in omnibus locis erunt collocandi, qui tempeſtiue omnia vectigalia, quæ ad illorum munus pertinebunt, exigant. Eo enim fiet, ut ipſi facilius exigant: & qui pendent, minus graventur: quia paulatim quod debebunt, ordine exponent: nec poſtea, ſi qua intermiſſio facta fuerit, totam ſummam ſimul pendere cogentur. Neque tamen me latet hæc vectigalia & tributa, ubi primum imponentur, gravia fore. Sed nec illud ignoro, ſi non fraudabuntur, credentque quod revera eſt, ſe hęc omnia pro ſalute propria collaturos, ſuiſque bonis ſine periculo uſuros: nihil à præfectis & gubernatoribus, & militibus plus, quam quod conſtitutum eſt, exactum iri metuentes: tibi magnam habebunt gratiam, pauca pro multis pendentes, ex quibus fructum à re ſine ulla injuria percipiant: præcipue vero videntes te moderate vivere, nullumque ſumptum ſupervacaneum facere.

Ecquis nam eſt qui animadvertens te in propria domo parciſſimum eſſe, in rebus autem communibus liberaliſſimum, non libenter ſit

colla-

collaturus, cum tuas opes cogitabit ſecuritatem & abundantiam eſſe propriam ac ſuam? Hoc igitur pacto magnam pecuniæ vim coacervare poſſis. Reliqua vero ſuadeo in hunc conſtituas modum. Hanc urbem omni ſumptu exornabis, omniq́ue genere jucundiſſimorum collegiorũ illuſtrem facies. Nam par eſt, ut qui multis imperamus, reliquis in omni genere præſtemus. Hæc enim in ſociis noſtris reverentiam adverſus nos inducunt, hoſtibus vero terrorem incutiunt. Cætera vero ſic conſtitues. Primum populi nullam poteſtatem habento: neque in conſilium ullo modo veniunto, nam præterquam quod nihil boni ſentirent, ſæpe omnia perturbarent. Quapropter cenſeo, ne populum quidem noſtrum aut in judicia, aut ad creandos magiſtratus, aut ullum in alium cœtum, ubi aliquid tractandum ſit, adhibendum eſſe. Præterea neo multitudine ædificiorum, nec magnitudine, præter neceſſitatem uti poſſe: nec impenſas in ludos multos & varios facere, ne ſtudiis inanibus conſumantur: nec inimici fiant ſtulta ambitione. Volo enim eos certas ſodalitates, & ludos, præter æquorum curſum, qui apud nos uſurpatur, habere: (non tamen tot, ut publica res, aut privatæ illorum domus detrimentum capiant) utque peregrinus aliquis apud eos aliquid impendere cogatur, cibumque perpetuum victori quibuſdam in ludis præbere. Æquum enim eſt; ut divites extra patriam aliquem ſumptum facere cogantur. Gladiatores autem præmiis, quæ ſingulis in locis inſtituta ſunt, contenti eſſe debent: niſi quis eorum Olympia, aut Pythia, aut quemvis aliorum ludorum, quibus utantur ipſi, vicerit. Hi n. ſoli nutriri debent, ne civitates fruſtra atterantur: nec quiſquam, præter dignos victoria, exerceatur, cum aliud tractare, ſibi & reipublic. utilius poſſit. Hæc igitur

tur mea eſt hiſce de rebus ſententia. Equeſtres vero ludos, qui præter gymnicos fiunt, nulli alii civitati permittendos cenſeo, ne fruſtra magna pecunia inſumatur, virique miſere inſaniant: atque inprimis, ut equites noſtri bonis equis abundent. Hac ipſa de cauſa haud prorſus diſſuadeo, quo minus alibi quoque celebrentur: aliis vero moderationem adhibendam cenſui, ut homines ſpectaculis, & muſicis canticis moderate utentes majore cum tranquillitate ac ſine diſcordiis vivant.

Nemo eorum monetas & menſuras proprias habeat, ſed noſtris omnes utantur. Nemo ad te legatiouem mittat, niſi negotium quodpiam ſit, quod deciſionem tuam poſtulet: ſed omnes Præfecto ſuo, quid velint, declarent, ac per eum tibi petitiones ſuas, quas ille approbaverit, offerant. Hoc enim pacto nullam ipſi impenſam facient, nec male res ſuas gerent: ſed reſponſa integra ſine ullo ſumptu & labore habebunt. Alia quoque optime in hunc modum geres, ſi legationes hoſtium, fœderatorum, Regum & populi, in Senatum introduxeris. Nam præterquam quod honeſtum & æquum eſt ſenatum videri omnium rerum moderatorem, atque etiam ut hoſtes noſtri ſe multos adverſarios habere cognoſcant: Leges quoque omnes & decreta velim te, autore ſenatu ſancire, hac enim via imperii majeſtas magis ſtabilietur, legumque authoritas apud omnes certior erit & clarior.

Si ſenatorum quiſpiam, filiive fœminæve grave aliquod delictum commiſerint, propter quod aut ignominia aut exilio, aut morte mulctãdi ſint, Senatus judicio ſine ulla tua ſententia, permittes, eiq; judicium integrum & liberum trades: ut qui deliquerint, ab æqualibus ſuis puniantur, quo fiet, ut & tu extra odium ſis, & illi ignominiam publicam metuen-

tuentes, meliores evadant. Ea autem nunc maleficia intelligo, propter quæ leges ſunt latæ. Nam ſi quis in te convicium jeciſſet, aut de te ineptius locutus eſſet, accuſationem ne audito, neve ejuſmodi res inquirito. Turpe enim eſt, credere quenquam in te contumelioſum fuiſſe, cum tu nemini injuriam feceris, ſed potius beneficiis omnes affeceris. Soli namque improbi principes hæc credunt, ex ſua conſcientia, talia quod vera ſint, de ſe dicta eſſe exiſtimantes. Deinde dura res eſt, de eis rebus ſi vera ſunt, moleſtiã ſuſcipere, præſtat enim ab eis abſtinere. Sin falſa ſunt, ſtultũ eſt majoré anſam præbere hujuſmodi ſermonibus: ut pleriq; hoc modo fecerunt, de quib⁹ multo turpiora poſt dicta ſunt. De iis igitur qui in te cõtumelioſi fuiſſe inſimulati fuerint hæc mea ſententia eſt. Te enim omni injuria ſuperiorem atque altioré eſſe oportet, nec unquam in opinionem venire, aut exiſtimare, quenquam turpe aliquid poſſe facere: ut de te ea opinio ſit, quæ ex diis ipſis immortalibus habetur: nimirum te ſacroſanctum, atq; non violabilé eſſe. Quod ſi quis quempiã ad te detulerit, qui tibi inſidias facere voluerit (quod quidé interdum accidere poterit) tu de hujuſmodi re ne judicato, neve ſententiam ferto. Iniquum enim foret, eundem & accuſatorem & judicem eſſe: ſed tunc in Senatum ducito, ibiq; cauſam dicere jubeto: qui ſi convict⁹ fuerit, pœnas ab eo quam moderatiſſimas, ut ea injuria fidé inveniat, ſumito, nemo enim facile credet, inermé armato inſidias facere auſũ eſſe. Quod quidé ut credatur, hac una ratiõe obtinere poteris, ſi in puniẽdo abſit iracũdia & crudelitas. Hæc dico, non de eo qui exercitum habeat: hujuſmodi enim nõ diſceptatiõe, ſed armis, quaſi hoſtis, illico ulciſcendus erit. Hæc igitur, atq; hujuſmodi multa graviſſima, quæ ad publicã rem ſpectant, ſenatui permittito.

tito. Publica. n. per publicas perſonas gerenda ſunt. Eſt enim hoc omnibus fere hominibus à natura datum, ut tanquam pares ejus, qui dominus eorum eſt, ſe tractari gaudeant: laudentq; quicquid aliquis una cum ipſis decreverit, & quaſi ſuum ipſorum decretum ac voluntarium amplectantur. Itaque ut ea ad Senatum referantur, æquũ eſſe aio, ut omnes reliqui præſentes dicere ſuam ſententiã poſſint. Cum autem ex ipſorum ordine quiſpiã deferetur, tunc non omnes, niſi qui ante Senatores fuerint, aut Quæſtores, ſententiam dicant. Etenim abſurdum fuerit, ut qui ante aut Tribunus, aut Ædilis non fuerit, ſententiam in ejuſmodi hominem, aut horum aliquis contra eos qui Prætores fuerint, ferat, aut horum etiam quiſpiam contra virum Cõſularem: ſed hos volo poteſtatem in pares, ac etiam in inferiores tantum habere. Tu vero eas cauſas cognoſcito, quæ à majoribus magiſtratibus, à Procuratoribus, ad urbis Præfecto, à Subcenſore, ab Hipparchis, ab annonæ, itemque vigilum præfecto ad te rejectæ fuerint: quia nemo tam integram poteſtatem in judiciis habere debet, quin ab eo provocare liceat. Eadem de Equitibus & Centurionibus adſcriptis, deque privatis hominibus primariis, cum de infamia aut nece illorum agitur, intelligenda ſunt. Etenim hujuſmodi res à te pendere omnes debent, nec à quoquam per ſe, ob jam dictas cauſas, judicari. Ea enim judicia ab honeſtiſſimis ſenatoribus & equitibus, atque etiam à conſularibus & prætoriis viris ferri tecum debent, ut tu in eo ipſorum rationibus cognitis, eis poſt tutius uti poſſis: viciſſimque illi moribus & conſiliis tuis aſſuefacti, tales in provincias proficiſcantur. Horum autem ſententias quæ diligentiorem deliberationẽ poſcunt, ne palam rogato, ne forte ut eos decet,

eet, libere loqui non auſint: ſed ſententiam ſuam ad te, ſcedulis inſcriptam, mittant facito, quæ in tuas tantum perveniant manus, ne quis præter te eas videre poſſit: mox eas ſtatim aboleto: hoc enim pacto cujuſque ſententiam maxime perſpicies: ſi eam aliis non patefactum iri exiſtimabunt. Præterea in cubiculis, tum in literis, tum decretis civitatis, petitionibuſque privatorum hominum: itemque in aliis rebus omnibus quæ ad imperii adminiſtrationem pertinebunt, adjutores & miniſtros ex equeſtri ordine habeto, hac enim ratione facilius & ſingula procedent, & tu neque inique aliquid committes, nec offendens: nec laborem, ut ſi ſolus adminiſtrares, unquam ſenties. Facultatem te adeundi cuicunque tibi conſilium aliqua in re dare voléti, prębeto. Si enim ej⁹ verba tibi ſatisfecerint, non exiguã utilitatem capies: ſin apud te põdus non habebunt, nullam jacturam feceris. Quorum autem conſilia bonum exitum habent, eos laude honoreque afficito: quorum vero minus procedunt, eos ne vituperato, neve incuſato. Mens enim cujuſque expendenda eſt, non eventus rerum reprehendendus. Hoc ipſum etiam in rebus bellicis obſervato, neq; enim gravior cuiquã propter infelicitatem eſſe debes, nec invidere propter ejus res ſecundas: ut omnes alacriter & libenter pericula pro te adire non dubitent, cogitantes, etiamſi minus ſucceſſerit, ſe tibi pœnas tamẽ non daturos: ſi ſucceſſerit, invidiã non ſubituros. Pleriq; enim invidiã apud eos qui cum imperio ſunt, metuentes, errare, quam res ad felicem exitum adducere maluerunt, quamobrem illi quidẽ tuti fuerunt: ſed in principes damnũ redundavit. Itaque ipſe majorem ab utriſq; & deterioribus & præſtantioribus fructũ perceptur⁹, nunquam velis verbo quidem aliis, re autem tibi ipſi invidere. Dicito facitoque

toque omnia, quæcunque alios facere & ſentire volueris. Hoc namque pacto eos melius inſtitueris, quam ſi legum ſeveritate eos retinere coneris: quoniam altero eos æmulatione provocaveris, altero metum eis incuſſeris, nemo enim eſt, quin magis recte factorum exemplo in admirationem traducatur, quam ut quę legibus vetita ſunt, vitet. Omnia autem diligenter facito, nec tibi ulla in te indulgeto: ut qui certo noveris, quicquid dixeris feceriſve, illico cunctis mortalibus notum fore: ita ut ne minimum quidem delictum occultare queas. Nihil enim ſolus unquam facere poteris, quod nunquam ſis futurus ſolus, omneſque reliqui mortales libenter Principum facta inquirunt. Qui ſi ſemel animadverterint, te alia eis præcipere; alia vero agere, nihili tuas deinceps minas fecerint: ſed facta potius imitabuntur. Aliorum vitam ipſe inſpicito, haud tamen in eam diligentius inquirito: ſed ea tantum judicato, quæ ab aliis delata erunt. Nec ea tu, quæ nemo accuſavit, reſcire cura: præter delicta, quæ in Rempublicam committantur, ejuſmodi enim vel ſine accuſatore inquirenda ſunt. Alia vero ad rem privatam pertinentia, idcirco ſcire voles, ne unquam erres in miniſtro inepto ad aliquod munus vocando: tamen eos redarguere non curabis. Nam ſæpenumero natura homines ad peccandum contra leges inducit: quos ſi quis in judicium vocare voluerit, aliquem aut nullum impune abire neceſſe eſt. Quod ſi quis æquitate leges temperabit, hac forte via eos ad meliorem frugem revocabit. Leges enim etſi ſevere exigant pœnas, tamen vincere ſemper naturam non poſſunt. Quidam enim quod ſe latere poſſe putant, alii leniter admoniti fiunt meliores: illi convinci verentes, hi iterum peccare verecundantes. At ſi in lucem pertrahantur, & ignominia affici-

ficiantur,aut ultra modũ puniantur, tũ confundunt & proculcant omnes leges,naturæq; tantum ſuæ libidinẽ ſequuntur. Quamobrem haud facile eſt,omnes caſtigare:nec tamen æquũeſt permittere, ut aliqui palã ſint vitioſi. Hoc igitur meũ de delictis & pœnis conſiliũ eſt:eis exceptis quę ferri nullo modo poſſunt. Benefacta vero majorib⁹ etiã, quã res poſtulat,præmiis afficito:quod hac ratione hõines liberalitate à vitiis revocabuntur,& magnanimitate tua ad virtutem expetendam incitabuntur:Pecunię autem atque alia quib⁹ benefacta hominum remunereris,ut tibi deſint, ne metuas, nam multo pauciſſimos fore puto eos,qui tuis beneficiis digni ſint, cum tu tam amplum terra mariq; imperium habeas. Nec etiam metuas, ne quidã à te beneficiis affecti in te ingrati fiant,nihilenim tã vel ſubigit,vel conciliat aliquem, etiamſi alienus ſit aut hoſtis:quam non affici injuria, & inſuper etiam beneficiis affici.Erga alios igitur te ut in hunc modum geras ſuadeo. Quæ tibi dantur, quæ quidem aliquam præſtantiam aut elationem contineant, omnia cogita, ſive à ſenatu, ſive ab aliis deferãtur,ſive facto, ſive verbo: quod honos abs te aliis habitus, ipſis ornamento ſit: tibi vero nihil majus rependi poſſit,quam quod in te eſt. Omnino enim nemo videtur volens hujuſmodi res decreto potentiori tribuere:quod ſi quis ſuo jure ſibi omnia vendidicet, is non modo non laudatur, ſed contra potius irridetur. Itaque tu aliam gloriam, aliumq; ſplendorem ex benefactis tibi comparabis. Vt tibi imagines aureæ aut argenteæ fiant, ne permittito: propterea quod hæc non modo ſumptu onerant, verum etiam fragilia & caduca ſunt: ſed in hominum animis beneficiis alias imagines fabricari ſtudeto, quæ æternæ ſint & immortales. Templum nullũ tibi fieri ſinito:magna enim pecu-

nia in hujuſmodi res inaniter impenditur, quæ utilius in res neceſſarias inſumeretur. Magnæ namque opes non tam multa capiendo, quam pauca inſumendo comparantur. Ex his autem delubris exigua gloria comparatur; quoniam virtus eſt, quæ mortales Diis ſimillimos efficit: hominum autem decretis nemo unquã Deus factus eſt. Igitur ſi bonus fueris, æquitateq; imperaveris, terra univerſa tibi loco ſacrarii erit: omnes urbes vice templorum, omnes homines inſtar ſtatuarum, quod tu in eorum mentibus cum vera gloria perpetuo fixus hærebis. Qui vero ſecus imperant, tantũ abeſt ut ex his reb⁹ glorioſi ſint, quanquam in omnibus urbibus in altum tollantur ut potius vituperentur: quod ea vitiorũ & injuſtitiæ quædam trophæa & monimenta ſunt: quæ quo erunt diuturniora, eo diutius illorũ extabit infamia. Itaque ſi vere immortalis eſſe cupis, hæc quæ à me dicta ſunt, facito. Præterea deos patrio ritu ipſe venerator: alios ut idẽ faciant cogito. Qui peregrinos colendi ritus invexerunt, eos deteſtator, punitoq; non modo deorum cauſa (quos qui parvi facit, is nec alium quempiam Deum coleret:) verumetiam quod, qui novos iſtos deos introducunt, judicio plerunque ſunt, ſe peregrinis legib. vivere, atque ex eo conjurationes & ſeditiones exiſtunt, quæ ab unius dominatu alienæ ſunt. Ne igitur quenquam aut ſine Deo, aut veneficum eſſe patiare. Divinatio tamen neceſſaria omnino eſt. Aruſpices, augureſque certos conſtituito: quos, qui opus habebunt, conſulant. Magi nulli ſunto: quod ejuſmodi homines vera interdũ dicentes, ſæpenumero autẽ mentientes, mortales ad res novas agitandas incitant. Hoc ipſum quidã etiam faciunt, qui ſe fingunt philoſophari. Hos igitur etiam vitato. Et quanquam Arium Athenodorumq; bonos atque honeſtos eſſe homines compereris:

ris: non tamen omnes alii, qui ſe dicunt phi-
loſophari, eorum ſimiles ſunt. Quidam enim
nomine & prætextu Philoſophiæ infinitorũ
malorum cauſas, populis privatiſque homini-
bus attulerunt. Te igitur animo tranquillo
eſſe oportet, nec quidquam præter id quod
habes, optare. Quod ad apparatus attinet, te
bellicoſiſſimum eſſe volo, ne quis velit, aude-
atue tibi injuriam facere, ſi quis deprehenſus
ſit, facile & ſubito det pœnas. Et quoniam tũ
propter hæc tum propter alia, quoſdam in-
tentos eſſe ſpeculãdis & ſubauſcultandis om-
nibus ad imperium tuum ſpectantib. neceſſe
eſt, ne quid te lateat, quod aut cuſtodiam aut
correctionem deſideret: memineris omnibus
eorum ſermonibus fidem habendã non eſſe,
ſed omnia diligenter expendenda. Pleriq; n.
ſive quorundam odio, ſive quod eorum for-
tunas appetant, ſive quibuſdam gratificandi
gratia, ſive quod petunt, pecunias obtinere
nequeunt, hiſce de cauſis homines quaſi no-
varum rerum ſtudioſos, aut quaſi ſentiant di-
cantue turpe quidpiam contra Imperatorem,
deferunt. Decet igitur te, eis haud ita facile
aſſentiri, ſed omnia diligenter expendere atq;
inveſtigare. Nam ſi aſſenſionem ſuſtinueris,
nullum inſigne detrimentum ceperis: ſed ſi
cito credideris, forte errorem commiſeris,
quem poſt emendare non poſſis. Itaque bo-
nos libertoſque, & alios qui circa te ſunt,
honore afficito, ex qua re te magnum orna-
mentum, magnaque ſecuritas conſequetur.
Nullam tamen eis intolerabilem ac ſuperbam
poteſtatẽ indulgeto, ſed moderate ſe gerant,
facito, ne illorum cauſa male apud alios au-
dias. Quicquid enim boni malive fecerint
tibi aſcribetur, ipſeque talis ab omnibus ha-
bebere, quales ipſos eſſe patieris. Vt igitur
potentior quiſpiam cuipiam injuriam faciat,
eumue calumnietur injuria, ne permittito,

 ne quiſ-

ne quiſquam illorum nimiæ potentiæ accuſari poſſit, etiamſi nullum conceperit ſcelus. Qui injuriam ſunt paſſi, eos ſummo jure tuetor, ne tamen aures delatoribus facile præbeto, ſed res per ſe diligentiſſime expendito. Qui quidpiam faciunt, inveniuntve quod utile ſit, eis honorem habeto: inertes autem, tum qui rem quampiam noxiam conflarint, odito, ut recte facta propter utilitatem expetentes, male fero facta ſuppliciorum metu fugientes, in privatis meliores, in publicis utiliores evadant. Privatorum hominnm controverſias ad quam pauciſſimas fieri poterit, contrahito: eaſque quam ocyſſime diſſolvito, populorum motus cohibeto: qui ſi quod votum pro tua ſalute, proque imperio & fortuna tua nuncupare voluerint, & quempiam ad ſumptum ſupra facultates faciendum adegerint, ne annuito: omnes æmulationes quæ inter eos ſunt extirpare ſtudeto. Nomina eos uſurpare ex quibus facile in diſſenſiones inciderent, ne ſinito. Omnes enim tibi in his atque aliis rebus tum publicis tum privatis, ſi hæc non permiſeris, contemperabunt. Præterea quoniam inæqualitas ædificia alioqui bene conjuncta diſſolvit, idcirco quod conceſſurus non ſis, ab initio petere prohibeto: ac ſtatim ne quis quæ vetita ſunt, petat, adigito. De his igitur ita ſentio. Omnino autem ac generatim tibi conſulo, ne tua unquam abutare potentia: neve ſi minus ſimul omnia quæ potes, effeceris, de tua potentia aliquid decedere exiſtimes: ſed quanto major erit libertas faciendi quæ voles, tanto magis quæ honeſta ſunt velle ſtudeas, ſemper quod ages, æquumne ſit an cõtra, & quibus rebus faciendis à quibus ameris, quibuſve non ameris, tecum expendito: ut quædam facias, quædam vero omittas. Ne te tunc juſte agere putato, cum à nemine te redar-

redargui audiveris: nec unquam aliquem tam ſtultum fore, qui te velit palam reprehendere. Hoc enim nemo faceret etiam magna à te affectus injuria: quin potius contra fieri ſolet, ut videlicet multi, dum ſe minime iratos eſſe conantur oſtendere, eos laudent à quibus injuriam acceperunt. A Principe enim cujuſque animus non ex verbis, ſed ex rebus quibus veriſimile eſt aliquem ita ſentire conſiderandus eſt. Hæc & multa ſimilia quæ prætereo, te ut facias hortor: neque enim omnia ſimul comprehendi diciq; poſſunt, Repetam igitur ſummatim, quæ à me dicta ſunt, & quæ reſtant complectar. Hæc autem illa ſunt: ſi quæ alium Principem erga te velles facere, ea tu ſi ſponte feceris, nunquam errabis: omniaque ad felicem exitum perduces, magnaque cum ſuavitate, & extra periculum vitam deges. Omnes enim te tanquam parentem & conſervatorem ſuum intuebuntur: te moderatum, vita inculpata, ſtrenuum, & pacificum amabunt, cum nemini injuriam feceris: cum non rapies aliena, cum te æqualiter cũ illis geres: cum is non eris qui dives fiat alienamque exigat pecuniam: cum is non eris, qui in deliciis vitam agens, alios ad labores compellat: cum non tu libidinoſe vivens, alios caſtigabis: ſed in omnibus cum illis æquo jure vives.

Quamobrem cum tu magna ſeptus cuſtodia ſis, quod neminem unquam læſeris, nemini injuriam feceris, confide, & mihi qui hoc tibi confirmo, crede, te nunquam odia hominum inſidiaſve ſenſurum. Quæ cum ita ſint, neceſſe erit te in magnis voluptatibus vitam agere. Quæ namque major voluptas quã aliquem omnium humanorum bonorum fructum cum virtute percipere, & cum aliis cõmunicare poſſe.

Hæc itaque atque alia quæ tibi expoſui, tecum reputans, mihi credito: fortunam quæ te

 elegit,

elegit, cæteriſque omnibus principem impoſuit, ne dimittito. Quod ſi omnino principatum eligere decreuiſti, regni tamen nomen tanquam deteſtandum metuis, id ne accipito: ſed Cæſaris appellatione contentus, regiam poteſtatem apud te retineto. Quod ſi aliis titulis opus erit, tibi Romani nomen Imperatoris dabunt, ut etiam patri tuo dederunt: aliiſque te nominibus ornabunt, adeo ut omnia regni inſtrumenta ſine nullo odioſo aut invidioſo titulo re ipſa poſſideas.

ANTONII POSSEVINI
Iudicium

DE

NICOLAI MACHIAVELLI

ET

IOANNIS BODINI

Quibuſdam ſcriptis, quorum Catalogum hæc pagina indicat.

CATALOGUS LIBRORVM.

1. *De* Nicolao Machiavello, *& libro cui Antimachiavellum nomen eſt.*
2. *De* Ioannis Bodini *Methodo hiſtoriæ: Libris de Republica & Dæmonomania.*

CAUTIO DE IIS QVÆ SCRIPSIT TVM MACHIAVELLVS, TVM IS QVI adverſus eum ſcripſit Antimachiavellum, cui nomen haud adſcripſit.

DE Machiavello ſtatuendum eſt, hominem fuiſſe, cujus conſiliis qui adhibuerit fidem, facillime ſentiet, non ita multo poſt, quantuncunque ſolidum Principatum, Remp. Regnum, Imperium, conuelli & cadere. An vero poterat conſilium dari peſtilentius, quam quum Principi ſuadet, ut ſpreto alieno conſilio, ſuæ ipſius prudentiæ innitatur? Pietatem & religionem, quam etiam non habeat, præ ſe ferat? Si quid in religione falſum ſit, comprobet ac firmet, dum id proſit fovendæ qualicunque religioni? Religionem ethnicam præferat Chriſtianæ? Doctores Chriſtianæ religionis nihili faciat: De Ro. Cath. Eccleſia peſſime ſentiat? Moyſis auctoritatem & legis, vi & armis, non fide ac Deo nixas fuiſſe credat? Fortunæ & caſui felicitatem, non virtuti, & religioni veræ tribuat? Et hæc quidem ſceleratum illud Satanæ organum, priorib. duob⁹ libris, quibus de Principe agit, ſic inſipienti mundo obtruſit, ut hoc veneno epoto, plerique ſeſe ingentes politicos, & conſiliarios æſtimantes, conſtitutas optime optimorum Regnorum res, facili negotio peſſum dederint. At naturalis & divini luminis radii ſecus illuſtrant ſapientum hominum mentes, qui à Deo conditi quum ſectari eſſent ductum maiorum, qui probiſſimi & fortiſſimi fuerant, experti ſunt, pietate, ac una Catholica religi-

religione, mox conſilio, veritate, humilitate, Imperia ſtetiſſe; contrariis autem vitiis corruiſſe. Id quod pluribus hoc ſæculo ex provinciis ac Regnis quondam florentiſſimis, in oculos paſſim incurrit. Inter multas Eccleſiæ notas, una eſt (inquit Bellarminus) felicitas temporalis divinitus collata eis, qui Eccleſiam defendunt. Nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæſerunt, quin facillime de hoſtib⁹ triumpharent. Notæ ſunt inprimis victoriæ in Teſtamento veteri Abrahæ, Moſis, Ioſuæ, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiæ, Ioſiæ, Maccabæorum. In Teſtamento novo Conſtantinus, qui primus ex Imperatoribus Eccleſiam defendit, eo fere modo Maxentium vicit, quo Moſes Pharaonem. Et de eo ſic ait Auguſtinus libro 5. Civit. cap. 25. Conſtantinum Imperatorem, non ſupplicantem dæmonis, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet, univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit ac defendit; in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt; grandæuus ægritudine & ſenectute defunctus eſt, filios imperantes reliquit. De Theodoſio ſeniore ſcribit idem Auguſtinus ib. cap. 26. quod quia Catholicus erat, adeo proſpere illi omnia ſuccedebant, ut in præliis tela hoſtium in ipſos, Deo agente, retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. hiſt. cap. 24. S S. Ioannem & Philippum Apoſtolos apparuiſſe in equis albis in eodem prælio, qui pro eo pugnabant. De Honorio etiam plane Catholico, & Romano Pontifici addictiſſimo, ut patet ex ejus epiſtolis ad Bonifacium Papam, ſcribit Aug. lib. 5. civit. capit. 23. ita Deum pro illo pugnaſſe, ut uno prælio amplius quam centum millia hoſtium proſter-

nerent-

nerentur, & Rex ipſe hoſtis cum filiis caperetur, & occideretur, ex Romanis ne uno quidem vulnerato, ne dicam extincto, De Theodoſio juniore ſcribit Socrates lib. 7. cap. 18. hiſt. quod ejus exercitu pugnante cum Perſis, quum Saraceni venirent in auxilium Perſarũ, Angeli turbaverunt Saracenos, & eorũ circiter centum millia in Euphrate ſubmerſerunt. Iuſtinianus, donec catholicus fuit, feliciſſime imperavit, ita ut Italiam, & Africam, & alias multas regiones Romano Imperio reſtituerit; ut patet ex Euagrio lib. 4, hiſt. cap. 16. & ſeq. At ubi hæreticus factus eſt, & edictum proponere voluit de ſua hæreſi recipienda, mox repetina morte ſublatus eſt, & Eccleſiam magno metu liberavit; ut idem Euagrius ſcribit lib. 4. cap. ultim. Heraclius ſimiliter dũ Catholicus eſſet, præclariſſimá victoriam de Perſis reportavit, & crucé Domini recepit, quando res Romanæ deſperatæ videbantur. At poſtquam factus eſt hęreticus Monothelita, omnia infeliciter ſucceſſerunt, & ipſe novo atq; inaudito morbo extinctus eſt. Conſtat etiam ex hiſtoriis Græcorum, Zonaræ, Nicetæ, Nicephori Gregoræ Laonici Calchocondylæ Imperatores Orientis ab eo tempore, quo propter diſſidium circa Imagines ſe ab Eccleſia Romana ſeparaverunt, ſemper magis & magis decreviſſe, donec tandem Imperium amiſerunt. In Occidente vero liquet ex hiſtoriis noſtris Nauclero, Sabellico, Antonino, &c. ſemper Imperatores magis vel minus floruiſſe, prout magis vel minus Romanæ Eccleſiæ ſe filios & protectores oſtenderunt. Tempore Innocenti III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cæſa ſunt uno prælio cétum millia partim Albigeſium hęreticorum, partim eorum, qui illis favebant, ut ſcribit Æmilius lib. 6. hiſt. Francorum. Noſtris temporibus anno 1531. quinque prælia commiſerunt Helvetii Catholici cum

hære-

hæreticis Helvetiis, & ſemper Catholici vicerunt, cum tamen eſſent numero, & armis multo inferiores. Vide Cochælũ in actis Lutheri anni 1531. Carolus V. miraculo Divino victoriã reportavit de Lutheranis anno 1547. In Gallia quoque, & Belgio multas victorias Catholici de hæreticis, non ſine miraculo, reportarunt; imo vix unquam fuerunt hæretici ſuperiores, quando juſto prælio dimicatum eſt.

Sed redeo ad eaſdem labes Machiavelli, ut cognita peſtis magis caveatur. Neque enim quidquam pernicioſius effari poterat, quam quum belli juſtitiam in ea, quam quiſq; putat ſibi eſſe neceſſitatem, ſtatuat: quippe hac occaſione juſte inflammaſſe orbem univerſum Nerones, & impii quique, hæreticique omnes pro ſua libidine dicerentur; quum tamẽ belli juſtæ tantummodo cauſæ ſint defenſio, aut reſtitutio Religionis, patriæ, pacis, & aliorum bonorum magni momenti; à legitimis poteſtatibus. Nihil item magis venenatum, quam quum ait, Principi, ut omnem penitus pacis ſpem ac deſiderium præcidat inſignibus injuriis violandos eſſe adverſarios. In provinciis ſubactis Colonias ſic eſſe collocandas, ut veteres ablegentur incolæ: Quibus autem mutatio gravis eſt, omnes eſſe ſubvertendos, & familias funditus tollendas (Viden. hinc Mahometiſmum palam ſtatui?) Pravis moribus eſſe implendam ſeu provinciam, ſive civitatem, quas ſine bello velit ulciſci, Stultũ eſſe, ſi quis putet, veterũ injuriarum oblivionem induci novis benefactis. Principi tyrannum aliquem inſignem imitandum eſſe, temnendamque crudelitatis famam, dum in officio ſubditos contineat Expedire, ut metuatur plus, quam ametur. Amicitiæ haud fidendum. Si quem plectere velit, ſpecioſum aliquid eſſe prætexendum: Leonis & Vulpis induendum

inge-

ingenium: Immanitatem uno impetu, ſenſim vero exercendam beneficentiam: Factiones eſſe alendas inter ſubditos; tollendos autem de medio boni publici amantes: peſſima denique omnia, arte, dolove, & ruina ſubditorum eſſe patranda. Hæc igitur & hujuſmodi alia nebulo ille impius, naturæ, juri, religionis oſor, & Atheiſmi inu ctor: quare & blaſphemans evomuit damnatam animam.

At etſi à prudentibus ethnicis haud male, à Chriſtianis autem optime iſta omnia fuère prius refutata, quam à Machiavello collecta, fuit tamen non ita pridem inter Calvinianos, qui quum Genevam aufugiſſet, librum edidit, quem Antimachiavellum, celato ſuo nomine inſcripſit. In eo ex antiquis hiſtoriis ducit quidem argumenta, quibus Machiavellus oppugnatur: ſed ubi hic Catholicam oppugnat Eccleſiam, vel ubi occaſio ſeſe dat, facile Machiavellum blaſphemando æquat, & ſuperat. Quare quod poterat uſui eſſe, ac quicquid præmii conſequi apud Deum & homines, ſi in Machiavello confutando perſtitiſſet, utrumque perdite perditus amiſit. Quod ſane hæretici fere faciunt, dum antidotis abutuntur, non ad tollenda, ſed ad inſinuanda, & tegenda venena.

Quanto rectius Sanctus Thomas aureo opere de regimine Principum, regem Cypri docuit; Quis Rex, quæ neceſſitas ſit, ut & ipſe ratione regatur, quam natura paſſim ordinẽ ſpires in omnibus etiam quæ ſenſu carent: Qui finis, quum regimen injuſtum ſit atque perverſum, ſi privatum, non publicum commodũ quærat: Quæ ratio adminiſtrandi potior, nempe per unum: quandoquidem & hoc Deum ipſum referat, & naturam imitetur. (Sicut enim unius adminiſtratio optima eſt, quum juſta eſt: ſic ſi ſit injuſta peſſima eſt.) Quomodo regimina vel unius, vel pluri-

plurium, vertantur in tyrannidem: Quomodo hæc tollenda, vel declinanda, aut etiã interdum toleranda ſit: Quid præcipue Regem debeat impellere, ut recte adminiſtret, honoſne, vel gloria, an alia. Quoniam vero mundanus honor, & hominum gloria Regiæ ſolicitudinis non eſt ſufficiens præmium, ideo expectandum eſſe à Deo præmium. Non enim (ait ex Auguſtino) Chriſtianos Principes, quia diutius imperarunt. vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ diminuerunt, vel cives adverſum ſe inſurgentes & cavere, & opprimere potuerunt; ſed felices eos dicimus, ſi juſte imperant, ſi malunt cupiditatibus potius, quam gentibus quibuslibet imperare: ſi omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ. Tales Imperatores Chriſtianos felices interim dicimus ſpe poſteà re ipſa futuros, quum id quod expectamus, advenerit. Hæc Sanctus Thomas ex Auguſtino: quæ poſtea ſapientiſſimis rationibus firmat, dum & monſtrat, præmium Regum tenere excelſum gradum in beatitudine cœleſti; quare & bono regimini ſtudendum eſſe ob bonũ ſui ipſius, atque ob id, quod inde percipitur fructus, quum ſic quoque magis divitiæ, poteſtas, honor, & fama potius quam ex improba adminiſtratione conſequantur. Cæterum, Regem in Regno debere eſſe ſicut animam in corpore, & ſicut Deum in mundo, qui cuncta ordine, propria operatione, loco diſponit: ſic tamen ut diſtinctæ ſint adminiſtrationes, Sacerdotalis, & Regia, & ſuum unaquæque præſtet officium. At ſicut ad ultimum finem conſequendum requiritur, ut Rex ſubditos ſuos diſponat ad vivendum ſecundum virtutem, ita requiri, ut eos diſponat ad fines medios, quos explicat, rationibns additis, quibus impedimenta tollantur.

Quæ

Quæ cum ſummatim priore libro egiſſet, deſcendit ſecundo libro ad ea, quæ pertinent ad inſtituendam civitatem, ad arces ſtatuendas ad pecunias rectè comparandas, ad probos adminiſtratores (ubi & de Dominio politico, & deſpotico) ad itinera tuta, & commoda, ad juſtas menſuras, & pondera; ad pauperes ſuſtentandos, ad cultum divinum ritè, ſolideque exercendum.

Tertio libro adhuc altius atq; præſtantius docet, omne Dominium eſſe à Deo, ex conſideratione naturæ entis, & motus cujuſlibet creatæ naturæ, ac finis: Poſt quæ de antiquo Romanorum dominio, de Pontificatu Chriſtiano, de cæteris Imperatoribus, & Regibus, & aliis gradibus ſapienter diſſerit.

Quartum librum abſolvit tractatione, ea quæ ad plurium Dominium ſpectat, quod Politicum dicitur: ubi varia recenſet adminiſtrationum genera, quæ ethnici adhibuëre, quæve Socrates, Plato, Ariſtoteles, & alii de hac re attigerunt: quæ eo refert, ut conſtitutionem integram civitatis per tale regimen tradat.

Hoc igitur paucis ad optimum librum indicandum, ſatis eſt, quo rectiſſime quoque adverſus Machiavelli, & Antimachiavelli impoſturas poſſit præmuniri: quum quæ poſtea Chryſoſtomus Iavellus copioſius, & optima methodo hac de re, aliive ſcripſerunt, maxime verſanda ſunt iis, qui vel adminiſtrant, vel adminiſtrantibus conſulunt.

EX

EX LIB. III.

DE NOBILITATE CHRISTIANA, HIERONYMI OSORII EPISCOPI.

De Nicolao Machiavello.

QVin etiam impurus quidam ſcriptor atque nefarius, in libris, in quibus & ſuæ civitatis hiſtoriam, & multas quæſtiones ad Reip. ſtatum pertinentes Etruſco ſermone complexus eſt, non putavit diſſimulandum, quid de noſtrorum ſacrorum religione ſentiret. Chriſtianam religionem ſcribit, illam magnitudinem animi, quæ in antiquis elucebat, funditus ſuſtuliſſe Romani Imperii ruinam, laudis & gloriæ labem, virtutis etiam militaris interitum, huic ſanctiſſimæ ſummi & æterni Dei Religioni aſſignandum putat. Tum poſtremo, ut aliqua ex parte vitet offenſionem bonorum, id inquit non vitio Religionis, ſed interpretum, qui illam male intellexerunt, accidiſſe: cum tamen non poſſet oſtendere quæ fuerit illa perverſa interpretatio quæ tantorum malorum cauſam præbuerit. Sed ut infixo aculeo honeſte poſſet quacunque ratione diſcedere, ineptiſſimam illam medicinam juſti doloris adhibuit. Parcerem mortuo, ſi non plures nunc monumentis inquinatiſſimis, quam olim vita contemptiſſima læſiſſet. Sed quando tam indignum convicium Chriſtianæ nobilitati, illius defuncti ſcripta faciunt, non dubitabo Chriſti præſidio tectus, cum hominis conſcelerati manibus confligere. Quod tamen non ſtudio pugnandi faciam, ſed ut eorum amentiæ, atque ſceleri reſiſtam, qui in

in eadem mentis cæcitate verſantur. Late enim diſſeminatum eſt hoc malum multoſque funeſta contagione graviter infecit.

Primum igitur illud requiro, quid in noſtris hominibus videris, quod poſſet ulla ratione contemnere. Nam ſi magnitudo animi perſpicitur ex rerum humanarum deſpicientia, & ex quadam elatione, nihil niſi divinum & inclytum cogitante; nihil certe illuſtrius eſſe noſtris poteſt: qui cum ſe intelligerent, in divinam familiam vocatos, omnes res mortales infra ſe poſitas eſſe dixerunt, omniaque vitæ conſilia ad divinitatem, & immortalitatem retulerunt. Si fortitudinis eſt omnis invicta patientia; quis noſtrorum animum non admirabitur, cum viderit ipſas etiam virgines, pro Chriſti nomine acerbiſſima ſupplicia, & omnes corporis cruciatus appetiviſſe? Quantis laudibus celebratur Leæna meretrix, quod multis tormẽtis lacerata, conſcios conjurationis non indicarit? Quantis Anaxarchus eadem ipſa de cauſa? Quantis denique Syracuſanus ille Thraſo, quod nullis ſuppliciis adduci potuerit, ut ſocios conjurationis proderet? Hos certe Machiavellus ipſe (ſic enim appellatur præclarus ſcriptor, cum quo mihi res eſt) nullo modo contemnendos putabit, propterea quod expertes veræ Religionis extiterunt, quam ſolam laudis expertem eſſe vult, & conjurationis participes fuerunt, cujus experiendæ rationem in ſumma laude ponit. At quam obſcura eſt illorum conſtantia, ſi ad noſtrorum virtutem conferatur? Si enim cauſam reſpicias: illi Tyrannorum odio, à quibus læſi erant, ſupplicia perferebant; noſtri Chriſti amore, à quo divinis beneficiis ornati fuerant, tormẽta omnia levia putabant. Si cruciatus magnitudinem conſideras atque diuturnitatem in noſtros; nõ uſitata, ut in illos, ſed nova & inaudita

audita genera tormentorum inventa fuerũt, quæ diutiſſime vivorum corpora lacerarent, atque contunderent. Illi deinde in deſperatione omnium fortunarum dignitatis ſpeciẽ aliquam retinuerunt: noſtri cum ſibi utrum vellent liberum fuiſſet, non inviti tamẽ mortem claram cum ignominioſa vita cõmutarunt. Si ad numerum advertas, ridiculum eſt, pauciſſimos infinitis opponere. Hanc tu diſciplinam̃, è qua tam præclara documenta virtutis extiterunt contemnis: Hac inſtitutione, quæ infirmam etiam naturam mulierum, imbecillam ætatẽ puerorum incredibili conſtãtia armavit, quæ tantam multitudinem in laudis & gloriæ ſtudium incitavit, abjectos animos, atque demiſſos effici contendes? Quę eſt iſta mentis perverſitas, ut virtutis umbrã admireris, veram virtutem pro nihilo habendam putes? Sed nimirum illud eſt: Faciem tantum Crucis adſpicis, virtutem illam excellentem ſub ſpecie Crucis occultatam non intueris. Nec enim mens anguſta, tenebris oppleta, & ſordibus inquinata, tantæ lucis ſplẽdorem ſuſtinere ullo modo poteſt. Chriſti enim diſciplina, ut inquit Paulus, perditis & profligatis hominibus, inſcitiæ & humilitatis ſpeciem præbet; moderatis vero, divinoque beneficio confirmatis oſtendit ſapientiæ cœleſtis, atque divinę virtutis amplitudinem. Atque quemadmodum in Chriſti perſona omnes illam faciem videbant, in qua, ut erat Eſaiæ vaticinio prædictum, non erat ſpecies neque decor; non tamen omnes illam gloriam divinitatis, quam Ioannes vidit, inſpexerunt: ſic etiam multi propter ſimilem mentis caliginem, Chriſtianorum vitam inaniſſimis ornamentis nudatum deſpiciunt; illam vero excellentem Chriſtianę dignitatis lucem aſpicere nulla ratione poſſunt.

Sequitur ut etiam de virtute militari ali-

quid dicamus, quam ille Chriſtianis moribus & inſtitutis longe alienam putat. Qui convenit (inquit ille) cum iſtius virtutis celebritate gloriæ contemptio, quæ Chriſtianis omnibus præſcribi ſolet? Nemo enim niſi laudis ſtudio inflammatus fuerit, pericula ſibi ſubeunda putabit. Iam quod aſſerit, neminem, niſi qui laudis ſtudio adductus ſit, fortem fieri poſſe: non credo facile conceſſuros illos philoſophos fuiſſe, qui ſimul & de contemnenda gloria conſcripſerunt, & fortitudinis innumera præcepta tradiderunt. Nam ſi illa mutuo ſeſe perimere exiſtimarent, nunquam eſſent tam amentes, ut eadem opera homines à cupiditate laudis abducendos, & in ſtudium virtutis incitandos eſſe ducerent. Virtutem autem illam eſſe ſtatuerunt, quæ non ex vulgi rumore penderet; ſed quæ præclaras actiones ipſius honeſtatis cauſa ſuſciperet. Hic autem ſic argumentatur quaſi ſola laudis cupiditas ad virtutem acuat, & non alii multi potiores ſint virtutis & induſtriç ſtimuli, quibus bonorum animi dies & noctes concitati, pericula libenter, & ſtudioſe ſuſcipiant: nempe inſignis in patriam benevolentia, ipſius virtutis amor, egregia deinde legum, atq; Religionis obſervantia, quæ quidem omnia ſunt in Chriſtianorũ inſtitutis perfectiſſima, Quid ſi laudis etiam ſtudioſiſſimi ſunt? Tamen iſto erit quiſquam vel furore, vel impudentia, ut hoc nomine dignitatem illorum imminuere conetur? Sunt illi quidem ab inanis laudis cupiditate remotiſſimi, immortalis tamen, & veræ gloriæ cupiditate vehementer incenſi. Deſpiciunt hominum famam, ad veram tamen laudem, quæ Chriſti omnia conſpicientis teſtimonio continetur, ardenter incumbunt. Non cupiunt homines rerum ſuarum ſpectatores habere, nempe qui ſciant, ſe, Angelis inſpectantib. omnia præclara facinora

nora ſuſcepturos. Hoc magni animi eſt, hoc generoſi, atque magnifici, non pendere ex imperitæ plebis opinione, infima omnia negligere, cæleſtia tantum atque divina contemplari. Quid enim iſte dicat in Chriſtianis moribus humile atque demiſſum, non ſatis intelligo. Si ſuperbiam, & inſolentiam, ſi mores immanes, ſi animos contumaciter elatos, atque inflatos, animi magnitudinem indicare putat: fateor nihil in terris eſſe Chriſtianorum natione contemptius: nempe quæ ſumma contentione in ſtudio moderationis, manſuetudinis, lenitatis evigilet. Si vero virtutes omnes, ut etiam eruditiſſimi prodiderunt, uno conjunctionis vinculo continentur: nec ulla pugna inter illas eſſe poteſt, tantum abeſt, ut manſuetudinis atque modeſtiæ laus ſplendori fortitudinis adverſetur, ut etiam nullo modo à ſe invicem divelli atque disjungi queant. Itaque nemo vir fortis eſſe poteſt, niſi idem ſit manſuetus atque moderatus. Longe enim fallitur opinione: qui animi impetum non æquitatis, & humanitatis ſtudio, ſed cupiditate atque furore concitatum, fortitudinem appellandam potius, quam importunæ cujuſdam belluæ veritatem putat. Iſte autem præclarus auctor, qui Principes ad communis ſalutis perniciem inſtruit, qui Imperii opes non tam æquitate & clementia, quam perfidia, & crudelitate ſtabilire docet, appellet ſane quo velit nomine furorem illum, cunctam barbariem ſcelere & immanitate ſuperantem, dummodo nemo ſanus tam ſtultæ atq; nefariæ opinioni aſſentiatur. Nos vero nunquam ita amentes erimus, ut illam animi moderationem, quam ſacræ literæ appellant humilitatem, ut clementiam & manſuetudinem, cujus nobis idem auctor extitit, qui & eximiæ fortitudinis exemplum ipſam fortitudinem impedire dicamus. Nam cum

virtutes inter ſe cõglutinatæ ſint, tũ vel maxime animi moderatio, atque fortitudo. Vtraq; enim ab eadẽ animi magnitudine profecta, eandẽ propemodũ retinet dignitatẽ. Nec enim majoris animi eſt impetũ hoſtiũ ſuſtinere quã cohibere iracundiã, & omnẽ perturbationẽ reprimere, nec ulla offenſione ab humanitate, & à mentis conſtantia deturbari. Non itaq; ferme fuit vir egregie fortis, quin etiam laudem manſuetudinis ſibi adſciverit. Quanta gloria fuit illa Themiſtoclis, cum eſſet in conſilio Græcorum à reliquis ducibus conviciis indigniſſime vexatus, ille vero petulantiam illã non convicio, ſed patientia comprimendam putaret? Quid hic Periclem referam? Quid Iulium Cæſarem, & alios complures, qui non majore ſtudio virtutis Imperatoriæ nomen, quam manſuetudinis & patientiæ laudem venabantur? Contra vero, ut quiſque maxime anguſti animi eſt, atque demiſſi, ita eſt ad iracundiam & feritatem maxime propenſus. Omnes illi barbari, qui à diſciplina fortitudinis abhorrent, ita crudeles habiti ſunt, ut loquendi conſuetudo crudelitati ipſi barbariei nomen adſcripſerit. Quid de mulierum natura dicam? Quibus ut nihil eſt imbecillius, ita nihil ad injuriam perſequendam concitatius. Quod ſi modeſtia atque manſuetudo virtutis ſplendorem non excludit, ſed cum ab eadem animi magnitudine naſcatur, ipſam fortitudinem exornat: iſta tamen erit quiſquam dementia, ut Chriſtianam manſuetudinem imbecillitatem vocet, præceptis fortitudinis repugnantem? Quæ malum eſt iſta perverſitas, atque impius furor, ut ea, quorum tenuem umbram in aliis ſuſpicimus, in noſtris vero & ſumma contemnamus? Magnanimi ſemper habiti ſunt, qui contumelia lacerati, & injuria laceſſiti, ira non efferuntur. At noſtri illam diſciplinam

ſciplinam à Chriſto acceperunt, ut humanitate convicia, beneficiis injuriam ulciſcantur. Ergo dicet aliquis, cum ita manſueti ſint, nunquam impetum hoſtium à ſuis finibus depellent, neq; ſceleri armis reſiſtent, ſed quemvis furorem beneficio compenſabunt. Hoc qui dicit, minime expendit officiorum momenta: nec intelligit alia aliis perſonis, locis, temporibus, cauſis convenire. Chriſtiani ipſi, qui in privatis offenſionibus & injuriis moderationem, atque patientiam amplectuntur, iidem in publicis periculis acerrimi & vehementes publicæ ſalutis, atque libertatis vindices exiſtunt, præſertim ubi ſimul agitur dignitas Religionis. Tunc enim manſuetudinem indignum flagitium, patientiam ſcelus nefarium arbitrantur. Hac mente præditus fuit divinus ille Moyſes, quem ſacræ literæ perhibent fuiſſe inter omnes mortales mitiſſimum, qui tamen & hoſtium copias ſingulari virtute repreſſit, & læſi numinis offenſionem multorum ſupplicio placavit. Talis fuit etiam David, quem unum Divina oracula laude manſuetudinis unice cōmendãt. Hic tamen incredibili virtute maximos & fortiſſimos hoſtiũ exercitꝰ profligavit, & ingẽtes alienigenarum ſtrages edidit. Sic etiam multi Chriſtiani Principes ad omnẽ rationẽ humanitatis cōmodiſſimi, bellicæ fortitudinis gloriæ laudẽ manſuetudinis æquarũt. Quid? ipſe Chriſtus nonne ſatis exemplo ſuo nos admonuit, quatenus eſſet utendum manſuetudine, quo rurſus in loco ſeveritatis perſona ſuſcipienda eſſet, cũ ſacrilegos, qui ſacras ceremonias polluebant, flagris ſevere & acriter inſecutꝰ eſt? Non eſt igitur cur quiſquã Chriſtianã manſuetudinẽ aſpernetur, cum ita cum vera fortitudine conjuncta ſit, ut nihil poſſit eſſe copulatius. Vtraque enim ab eodẽ fonte manat, & altera alteram incredibiliter illuſtrat.

Nunc ad poſtremum egregii ſcriptoris argumentum veniamus quod totum in Religione conſiſtit, & in illis antiquis ceremoniis omni ſcelere contaminatis. Tantam enim vim habuiſſe putat hoſtiarum cædē profanam, atque pecudum ſtragem, ut repente ex timidis feros & audaces efficere. Nos itaque qui nec hoſtias cædimus, nec quadrupedum ſanguine aras cruentamus, nec exta inſpicimus, magnis ad virtutem inſtrumentis hoc religionis incommodo privati. Hic profecto neſcio, quid vel ad impietatis furorem, vel ad mentis cæcitatem, & ſtultitiam addi poſſit. Nefariam ſuperſtitionem cum ſanctiſſima Dei immortalis Religione comparare, facinus eſt inexpiabile, atque nefandum: exiſtimare autem, illum qui pecudum carnificinam intrepido vultu conſpexerit continuo fortem evaſurum, extremæ dementiæ argumentum. Cur enim iſto auctore non conquirimus omnes lanios? cur non etiam carnifices (hos enim oportet magis efferatos eſſe, à quibus hominum corpora lanientur) ad arma ſimiliter evocamus? Vt ſcilicet illa virtute, quam aut ſanguine pecudum, aut ſupplicio damnatorum adepti ſunt, in hoſtes irruant, & à nobis omnia pericula propulſent. Quid ſi oſtendo, omnia in illis gentium ſacrificiis, & ceremoniis, ad imbecillitatem, atque formidinem ſpectaviſſe, nec aliquid fuiſſe quod animum confirmare poſſet? Primū præcationes illæ priſcis atque ſolēnibus verbis inſtitutæ, quantum anxietatis habebant? In quibus ſi quid titubatum fuiſſet, ſi quid præpoſteris verbis, aut ſiniſtris ominibus effatum, putabant continuo omnes Deos P.R. iratos fore. Deinde quanta illa formido erat hominibus, anili ſuperſtitione implicatis injecta, cum non ſatis ex animi ſententia litabatur? cum exta dirum aliquod & triſtem minabantur exi-

exitum? Cum vero accidiſſet, ut multas eodem tempore hoſtias immolarent, & caſus ita tuliſſet, ut aliarum exta darent illa ſigna, quibus homines exiſtimabant, Deos omnia ſecunda promittere, aliarum verò triſtia denunciarent: neceſſe erat, ut eſſent incredibili metu ſuſpenſæ mentes illorum, qui neque ſecundis extis propter veritatem, & inconſtantiam confirmari poterant, neque rurſus dira propter religionem, qua erant penitus imbuti, cotemnere. Quid oſtenta, prodigia, aruſpicum reſponſa, quantam vim habebant ad animos debilitandos atque frangendos? Cum nihil omnino neque natura, neque fortuitò accidiſſet, quod non interpretarentur, Deorum id conſilio fieri, cladem aliquam portendentium. Itaque vel alitis involatus, vel terræ fremitus, vel dextrum fulmen, vel quævis ejuſmodi monſtra, atque conficta interdum prodigia terrorem, atque metum miſeris hominibus incutiebant. Quid autem ſoliſtima tripudia commemorem? quæ cum eſſent coacta, nec illis quidem ſuperſtitioſis hominibus, & auſpicio valde deditis firmam ſpem facere poterant. Si vero pulli caſu aliquo non paſcerentur, eaque res ad militum animos permanaret, quaſi pernicie à Diis ipſis præmoniti, attoniti religione man⁹ cum hoſte conſerebant, ancipiti formidine perturbati, atque impediti. Multis itaque in locis proditum memoriæ eſt, exercitus fuſos, atq; cœſos eſſe, quod vitio contra hoſtes educti fuiſſent. Quod quidem minime mirum eſt. Cum enim eſſent iſta religione perfuſi, ut crederét, non ſine Deorum conſilio, & numine, cladem atque peſtem denunciantiũ, pullos injectam offam neglexiſſe, ob idque omnium mentes concidiſſent, manuſque metu obtorpuiſſent, neque ſolita ſpe, atque audacia prælium commiſiſſent, neceſſe erat, ut cladem aliquam inſi-

inſignem acciperent. Inde adeo factum eſt, ut omnes illis religionibus valde dediti, quos fanaticos appellabant, in timore perpetuo, & cura mente ancipiti verſarentur. Quid? quod multi viri ſtrenui leviſſimis oſtentis permoti, magnam multis in locis timoris ſignificationem dederunt? Lacedæmonii, ut de Græcis etiam aliquid dicamus, cum bellum aliquod ſuſcepiſſent, Regeſque; ipſi in patriæ finibus de more ſacrificarent, ſi caſu non litabant, exercitus continuo domum reducebant. Cumque eſſent Lacedæmonii moribus, & inſtitutis ad duritiem atque virtutem militarem educati, tamen ea imbecillitate ducta ex ſacrorum impura religione tenebantur, ut bellum intermitterent. Iam ſi ſtrepitus aliquis auditus fuiſſet, omnia belli conſilia ab illis deſerta, jacebant.] Quid autem quæſo aliud, ut Lacedæmonios omittamus, Athenienſium opes evertit, quam anilis quædam, & miſera ſuperſtitio? Cum enim Imperator ſane fortis Nicias, & claſſi & exercitui ſimul cum Demoſthene præfectus eſſet, & Syracuſas oppugnaret, intelligeretque civitatem illam & ſuis viribus, & totius Græciæ auxilio munitam capi non poſſe: Demoſtheneſque inſtaret, ut claſſem à portu deducerent, ne præcluſo exitu ab hoſtibus, omne robur Athenienſium, quod in illa claſſe continebatur, miſere periret: id Nicias ipſe comprobabat, religione tamen impeditus, ſalutare conſilium executus non eſt. Paucis enim illis diebus Lunæ lumen, terræ, ut certis temporibus fieri neceſſe eſt, interjectu defecerat. Id Nicias oſtentum ratus, ad religionum interpretes deferendum ſtatuit. Illi nefas eſſe reſpondent intra triginta dies claſſe navigare, aut quippiam aliud moliri. Interea Siculi magnis molibus portus fauces obſtruunt, & exitum multis navibus objectis interclu-

cludunt. Claſſis igitur illa, in qua flos Atticæ juventutis, & Athenienſium robur inerat, cum jam fruſtra claſſem hoſtium perrumpere, & è portu progredi conaretur, inepta illa Niciæ ſuperſtitione miſerrime diſſipata, atque depreſſa eſt, omniſque nobilitas occiſione conſumpta. Hæc tu ſacra impia, has religiones impuras & aniles ad virtutem erudire, & inſtituere dices, quæ homines etiam impuros, & audaces, horribili formidine replebant, mentem à conſtantia deducebant, conſilia ſalutis impediebant? Eam tum gratiam Chriſto optimo maximo refers, cujus munere, atque beneficiò tam impia, tam impura, tam dementi ſuperſtitione levati, atque liberati ſumus, ut illam etiam Chriſti religioni anteponas? Nam ſi animi Chriſtianis inſtitutis informati, fracti, languidi, atque demiſſi efficiuntur: illis vero antiquis, & impuris ceremoniis, quibus divini honores habebantur impiorum hominum ſimulachris, ad virtutem incitabantur: illa certe videntur his noſtræ religionis inſtitutis omnino præferenda. At vide in quanta erroris opinione, atque amentia verſatus ſis. Qui vere Chriſtiana religione imbuti ſunt, non alitis involatu, non oſcinis cantu, non extis triſtitia manantibus permoventur: non terrę motu, non fulmine, non prodigiis ullis, aut monſtris conturbantur. Nihil eſt denique quod animum hominis Chriſtiani convellere, aut labefactare poſſit. Sic eſt enim inſtitutus, ut ſi orbem terrarū bellis ardere videat, ſi omnia ſibi pericula intendi, ſi cuncta incendia conflagrare. atque pene cōſumi, ipſe tamen optima ſpe planus conſtantiam retineat, nec ullo unquam horrore perfundatur. Primum, quia credit eſſe ſe fortiſſimis copiis conſtipatum, atque communitum. Didicit. n. è ſacris literis eſſe quoſdam cœleſtes exercitus, qui piorū

hominum ſalutem tueantur, & ab illis, cum commodum eſt omnem impetum, atque furorem hoſtium propulſant. Hoc enim ſe præſidio vallatum eſſe ſenſit Iacobus cum caſtra Dei ſe conſpicere teſtificatus eſt. Rurſus cum Syriæ exercitus Eliſæi capiti immineret, ipſiuſque miniſter formidine perterritus opem imploraret. Noli timere, inquit Heliſæus, plures enim nobiſcum ſunt. Subjungit deinde ſacra hiſtoria, Cumque oraſſet Heliſæus, ait: Domine aperi oculos pueri hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Heliſæi. Atque ne quis in paucos illud Divinum præſidium collatum eſſe putet, alibi de univerſis, qui pietatem colunt, Deumque caſte, & pure venerantur, ſic ſcriptum eſt. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. *Pſal. 33.* His igitur teſtimoniis qui firmiſſimam fidem adjungit, ſeque divino præſidio munitum eſſe credit, trepidare metu non poteſt, ſed elato animo, atque confidenti, id quod alio in loco ſcriptum eſt, uſurpabit: Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. *Pſal. 26,* Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Item illud: Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. *Pſal. 19.* Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Hæc igitur ſpes gentem Chriſtianam imbecillo animo eſſe non ſinit. Deinde immortalitatis cogitatio, atque certa gloriæ futuræ præſenſio, quãtam vim habet ad conſtantiam ſtabiliendi? Refert Cæſar, Gallos ita Druidum diſciplina, quæ perſuadere nitebatur, non interire animas, ſed ab aliis corporibus, ad alia poſt mortem tranſire, fuiſſe vehementer ad virtutem excitatos. Itaque metu mortis neglecto intrepide ſeſe in quodcunq; capitis periculum,

atque

atque vitæ diſcrimen inferebant, cum nihil aliud eſſe mortem opinarentur, quam mutationem vitæ, atque in alia corpora migrationem. Ita ne tandem? Priſci illi Galli immortalitatis opinione vaniſſima, ex inani quadam ſuperſtitione concepta, nulla pericula recuſabant: Chriſtiani qui non imbecilla opinione, ſed conſtanti fiducia credunt, ſe poſtquam ex hac vita exceſſerint, fore beatiſſimos, mortem horrebunt? Quid enim magis in Chriſtiana religione celebratum, quam omnes eos, qui coluerint juſtitiam & pietatẽ, poſteaquam è corpore quaſi è vinculis emiſſi fuerint, in cœlum evolaturos, ut immortali gloria ævo ſempiterno perfruantur? Quid deinde eſt magis animis noſtris infixum, quam fore aliquando, ut corpora, quæ jam penitus conſumpta ſunt, inſtaurentur: atque cœleſti ſplendore colluſtrata, rurſus cum animis ipſis inviolabili fœdere conjungantur: ut ſic divinitus renovati, omnibus ſummis & æternis voluptatibꝰ animo & corpore potiamur? Hoc qui perſuaſum habuerit, nunquam, mihi crede. ab iſta vita, innumeris ærumnis, atque calamitatibus inquinata, invitus & iniquo animo diſcedet. Quid autem poſtremo dicam de amore illo, quo illi, qui vere Chriſti ſacris imbuti ſunt, quotidie magis inflammantur? Illud certe perſpicuum eſt, nulla re magis incitari ac incendi animos ad omnia capitis pericula ſubeunda, quam benevolentia & charitate. Nihil eſt enim amanti difficile, nihil non ſuaue, jucundum, quod pro re quam habat caram, ſuſcipiatur. Mortem ipſam, quæ omibus horribilis eſt, & maxime pertimeſcenda, ultro etiam appetendam interdum putat, non modo contemnendam, Quod ſi tantum valet amor, leviſſimis ſæpe de cauſis inter homines conciliatus, ut contemptionem mortis etiam inducat: quid

de illius charitatis magnitudine dicam, quæ munere ſpiritus diviui, puris & integris mentibus conceſſa eſt? Ejus certe vi concitata Chriſtiana nobilitas, omnem vitæ ſuavitatem in laboribus, & periculis ponendam eſſe duxit, omnes corporis voluptates, & fluxos honores, omniumque rerum affluentiam aſpernata. Illa Chriſti cupiditate vehementer incenſa, neque minis, neque terroribus, neque inauditis ſuppliciis à pietate dimoveri potuit. Illa poſtremo faciebat, ut omnia tormenta, quæ pto Chriſto, quem unice, & ardenter amabat, patiebatur, levia, atque jucunda putaret. Quin etiam nihil videbatur Chriſtianis æque optabile, & expetendum, atque pro Dei immortalis religione vitam in ſummis totius corporis cruciatibus amittere. Quod minime mirandum eſt. Nam cum amor omnem animi cogitationem avertat à formidine; neceſſe eſt, ut ſummum, atque divinum amorem, grandis conſtantia atque divina conſequatur. Vtra igitur tandem religio ad virtutem facilius incitabit? Ea ne, quæ hoſtiarum fibris, aut alitum involatu, aut apum examine, atque confictis monſtris ſuſpenſam tenet hominum imbecillitatem? An illa potius, quæ animos ita confirmat, ut neque totius orbis converſione labefactari poſſint? Illa deinde, quæ dementi ſuperſtitione ipſam humanæ virtutis exercitationem ſæpenumero impedivit? An illa potius, quæ infirmam naturam mulierum, & teneram ætatem puerorum virtutis conſtantia roboravit? Illa poſtremo, quæ nulla firma ſpe mentes humanas confirmare poterat? An illa, quæ divini auxilii oſtenſione cettiſſima ſpe immortalitatis Dei amore, atque ſtudio, ad divinam virtutem erudivit, & ad omnium rerum humanarum deſpicientiam inſtruxit? Sed quid opus eſt hominis iſtius impuriſſimi

vel

vel impietatem, vel amentiam multis argumentis convincere, cum utrumque ſit adeo manifeſtum, ut nihil facilius deprehendi poſſit? Impietatis ſcelus, cum iſtis maculis velit aſpergere Chriſtianam dignitatem; quod nunquam feciſſet, ſi aliquam præclaram opinionem de Chriſti divinitate habuiſſet. Furoris amentia, cum tam falſis, ineptis, male cohærentibus rationibus nefariam illam ſententiam confirmet. Atque ſcio quidem me longius oratione provectum, quam fortaſſe neceſſe fuit. Hoc autem ſi quis vitioſum putabit, velim ut partim tribuat hanc veniam juſto dolori, quo ſum mirabiliter elatus: partim exiſtimet id inſtituto noſtro minime alienum fuiſſe. Cum enim de Chriſtianæ claritatis ſplendore ſermonem inſtutiſſem, Etruſcus autem ille ſcriptor, eandem impuriſſimo genere orationis obſcurare conatus eſſet: non diſſimulandum putavi, præſertim tum eorum numerum, qui vel ſcriptis illius incitati, vel ſponte ſua ejuſdem ſceleris, atque furoris affines ſunt, late & varie diffuſum intelligerem.

SCripſere vero alii adverſus *Nicolaum Machiavellum*, viri præſtantes, atque Catholici, Ambroſius Catharinus, Politus Senenſis Archiepiſcopus Compſanus, in Diſputationibus quibuſdam Romæ, anno hujus ſeculi quinquageſimo ſecundo, editis apud Antonium Bladum: inter quas una eſt, de libris à Chriſtiano deteſtandis, & à Chriſtianiſmo penitus eliminandis.

Ubi mox ſubdit alterum caput: Quam execrandi *Machiavelli* Diſcurſus, & inſtitutio ſui principis.

Ioannes item Molanus, qui octogeſimo quarto anno hujus ſeculi Coloniæ apud Godefridum Kempenſem eſt editus.

Ioannes Boterus, in libro de ratione ſtatus Italice ſcripto, & Venetiis emiſſo ſuperioribus hiſce annis apud Iolitos.

Et alij plerique. quibus Chriſtiana, & vera politica ſapientia plus ſapit, quam callida, & Atheiſmi plena verſipellis hominis.

Sed & noviſſime adverſus Nuæ militis Diſcurſus politicos, & militares altera è Belgio Tractatio prodiit in lucem à *Petro Coreto* viro Eccleſiaſtico conſcripta, quæ digna eſt, ut perlegatur.

DE

DE IOANNIS BODINI LIBRIS

Conſideratio, & Cautio.

QVod de ingenio, ſcriptiſque Bodini, qui multorum manibus teritur, exiſtimari poteſt, hoc eo magis ſcribendum eſt, quod rerum uſus, variarumque in homine ſcientiarum ſpecies incautis ſenſim inſtillat Catholicæ Religionis oblivionem, ut mitiſſime loquar. Eo vero etiam magis, quod non ita pridem commendati ſunt Italicæ genti verſi ab Interprete aliquot ejus libri tanquam viri (ut vocat) diviniſſimi, & perfecti Theologi.

Et ſcripſit quidem ille (quæ ad noſtras manus venerunt) Methodum hiſtoriæ, ac librum de Dæmonomania Latinè, ſex vero de Repub. libros Gallicè, quibus & mentionem facit libri de Imperio ab ſe editi, & aliquorum aliorum. At quoniam qui de Repub. ſunt, non integri omnino Italicè exierunt, quod qui eos purgarunt, minus forſan hæreticorum noverunt inſidias, aut aliis diſtenti negotiis, multa prætermiſerunt; ideo in primis ex ejus Methodo hiſtoriæ, unde in reliquos libros plura tranſtulit, certius inchoandum judicium eſt.

Vniverſa igitur hac tractatione hæreſim ſapit, quod Lutherum, Calvinum, Melanchthonem, cæteroſque nominet honorifice Hiſtoricos, item Peucerum, Carionem, & alios uſurpet ad faciendam fidem, qui & hæretici fuere, & turpiſſime in hiſtoriis lapſi ſunt. Quod ſi catalogus hiſtoriæ, qui methodo adjunctus eſt, ab eo ſic prodiit, quemadmodum Baſileæ editus eſt, anno hujus ſeculi ſeptuageſimo ſecundo, ſane hominem, qualis tunc fuerit,

erit, cum ea ſcribebat, manifeſte arguit, eò enim tanquam manu, ad libros quoſque hæreticos, atque peſtilentes Magdeburgenſium Centurias tractandas lectorem ducit. Cum & antea C. Ioannis Apocalypſeos auctoritatem, ſectatus Calvinum (cujus & hoc de libro, tanquam feſtivum, ſed impudentiſſimum dictum refert) non tam impudunter eleuet, quam prorſus tollat, cum tamen antiquiſſimi * Patres, totaque Eccleſia Catholica, ut ſacroſanctam, & pleniſſimam divinorum myſteriorũ Apocalypſim illam ſemper agnoverit.

** Dion Areop. cap. 3 hierar. Eccl. Iren. l. 5. Tertul. l. 4. cont. Marcionẽ. Chry. hom. 3. in Pſal. 91. & alii.*

pagin. 322
pagin. 325

Negat porro, Deum efficere poſſe Deum, quia (inquit) infinitum ab infinito fluere nequit. Quæ ratio iſti, nec Philoſopho, neque Theologo ſuaſit, nec Deum ex Deo, neque Filium ex Patre, neque Spiritum ſanctum ex ambobus procedere: nam utraque procedens perſona infinita eſt. Quod ſi quæras, unde homo iſte politicus hæc hauſerit, Ex terra ſenſibusque cum D. Chryſoſtomo reſpondebo.

Ait vero Deum eſſe cauſam mali & interitus κατὰ συμβεβηκός, hoc eſt per accidens. Et ſubdit, Cum aut ſcelerati, aut viri boni curam amittit, in quo errat: Deus enim nunquam non curat homines, & humana, licet ſubtrahat gratiam quib. ea pro ſua infinita ſapientia ſubtrahenda eſt: ac tam etiam tunc humana maxime curat.

Pagin. 23. Cum autem furioſorum actiones, inquiat, magis eſſe divinas quam humanas, non ita multo poſt inquit. Quem Deus, aut furor Divinus ad vaticinorandũ afflaverit, &c. At divinis vatibus nihil æque adverſatur, ut furor ut inſania, ut mentis perturbatio, quemadmodum optime ut D. Chryſoſtomus oſtendit: nec ipſemet Bodinus in libro de Dæmonomania negat.

Chryſ. in 12. c. epiſt. Affirmat intemperantes nihil ſcelerate ſpõte agere: itaque intemperantes Bodinus libertate,

tate ſpoliat arbitrii, quamuis liberum arbitrium non neget, eo potiſſimum libro, quem de Dæmonomania ſcripſit. *Corinth. pagin.* 23.

Pontifices, & Sacerdores ſub imperio Magiſtratuum ait contineri. Quare pluris erit ſecularis Dominus, quam Romanus Pontifex, & Principes quam Epiſcopi, hoc eſt oues quam paſtores, prævalebitque divinæ & cœleſtibus clavibus humana poteſtas.

Cornelium Tacitum impium judicaret, niſi pro ſua tuenda Religione adverſus noſtram ſcripſiſſet. Quod ſane impium per ſe eſt, neque vero à Chriſtiano ſcriptore, (qnalis haberi volebat Bodinus) probandum. *pagin.* 64.

Hiſtoriam de ænea CHRISTI Domini ſtatua è Nicephoro Calliſto, à Nicephoro Gregora, & ab Euſebio diligenter ſcripta, cujus ſtatuæ ora vim morborum omnium expultricem cuidam naſcenti herbæ tribuebat, fabulam, & nugas appellat. Sed non hominis potius audaciam, qui rem trium haud levium auctorum ſcriptis teſtatam, & in quarta Actione ſeptimæ Synodi generalis adverſus Imaginum hoſtes recitatam pernegat, non tam fabuloſam, quam perfidam appellamus. *pagin.*72.

Craſſo aere putat Dæmones egere, quo ſuſtineri queant. Sed hoc inſcitiæ potius, quam perfidiæ tribuendum eſt. *pagin.* 113

Temporib. impietatis gloriam tribuit religionis, Chriſtianis ſeculis eam adimit. Quod quam ſceleſte dicatur, ex iis, quæ contra Machiavellum obſervavimus, licebit perſpicere. *pagin.* 117

Et nonnullis anilibus Mathematicorum ſuperſtitionibus erui quadantenus veritatem poſſe profitetur. At quod tempori tribuit, id peccatis & aliis juſtiſſimis cauſis, non aſpectui ſyderum, docet liquidiſſime divina Scriptura eſſe tribuendum. *pagin.*117. *pagin.*118.

Bohemi (inquit) & Saxones, primi Romanos ritus deſerverunt. Quam ſapienter (inquit) *pagin.*121.

quit) non diſputo: Quaſi vero de eo in utramuis partem diſputari poſſit, debuerintne Bohemi, & Saxones ab Eccleſia Catholica deſciſcere.

pagin. 122. Italia (inquit) à vetere opinione ægre divelli poteſt. Vbi cum opinionem vocat fidem orthodoxam, in qua Italia non perinde nutat, ut reliquæ provinciæ Tranſalpinæ, intelligit cordatus, & Deum amans lector, quid in animo ſcriptoris reſidebat, quum hæc ſcriberet.

pagin. 123. Platonis & Xenophontis probat inſtitutum qui magiſtratibus Reip. cauſa mentiri permittunt. Atqui non id lex Dei, neque recta ratio permittunt.

pagin. 169. Ait neceſſe eſſe fingere novum Orbē. Quod ſane fingere, hominis eſt aut ficti, aut fanatici.

Negat Pontifices habere Imperium, Vocationem, Prehenſionem, Viatorem, aut lictorem. Quę præſidia, cum non ſolum ad Pontificiam auctoritatem diminuendam, verum etiam ad CHRISTI poteſtatem obſcurandam Pontificibus demat quantum in ſe eſt nō clavam de manu Herculis, ſed clavum de manu Dei conatur eripere.

pagin. 186. Optimus, inquit, quiſque vir, peſſimus civis eſt. Quare ex hujus hominis decretis, fœlicitati Reip. & optimo civium ſtatui virtus obeſſet: id quod ut ſolum cogitetur, indignum ſane eſt, ne & impium dicam.

pagin. 127. Inter falſas Religiones, quæ Regna atque Imperia everterunt, Chriſtianam etiam audaci blaſphemia numerat: cum ubi Chriſtiana Religio integre ſervata ſit, Imperia ſemper & Regna floruerint, quæve antea ſubjecta dæmonibus, & perfidis eam poſtea admiſerunt. mirabilem ilico pietatem aſſecuta, fructus edant uberrimos, quales Indiæ, ac novus Chriſtianus Orbis hodieque oſtendunt.

Aut Pontificum (ait) libidini ad uſque tem-

pora

pora ſeruit. Loquitur autem de Romanorum *pagin.*
Imperio, Romanorumque Pontificum ſacro- 140.
ſanctam: & à Chriſto ipſo traditam poteſtatem arrodit.

Genevenſem Remp. hæreſeos atque impietatis labe pollutiſſimam, homo hic virtutibus, ac pietate florentem appellat. *pagin.* 145.

Reverentiam, quæ ob divinitus imperitam poteſtatem Romanis Pontificibus defertur, irridet. At Deus qui eam ſtatuit, ac ſervat, non irridebitur. *pagin.* 253.

Pontifices graviſſimis cẽſoribus egere confirmat. At quoſnam iſte cenſores adhibebit? hereticoſne, an viros laicos politicos? Sed certe quæcunque à Dẽo ſunt, ordinata ſunt, nec ſuæ defuit ſapientiſſimus Dei filius Eccleſiæ, in qua poſuit Apoſtolos, Doctores, & alios; per quos uti & per Synodos, Pontifices maximi juvarentur, penès quos interea tamen ſtaret ſumma, & ipſamet pluſquam cenſoria poteſtas. *pagin.* 284.

Eccleſiaſticam Monarchiam beatiorem futuram eſſe exiſtimat, ſi jure legitimæ ſucceſſionis, non electionis, huic illiue traderetur. Ita igitur Chriſtus in ſua inſtituenda Rep. minus vidit, quam Bodinus, & faceſſet Eccleſia, ut ſuccedat ſynogoga, & patebunt fores amplexibus carnalibus, ut abeat cælibatus: quemadmodum fuſius infra dicemus. *pagin.* 192.

Tradit formas omnes in materia ex nihilo generari, quod tanquam Phyſiologiæ imperito ei adſcribendum eſt. *pagin.* 315.

DE IOANNIS BODINI LIBRO,

de Dæmonomania.

PORRO in libro de Dæmonomania, quo de Sortilegis, Magis, Lamiis copioſe agit, plura ſunt, quæ quum limam neceſſario requirant, ſententiis veracioribus ſupplenda eſſent omnino,

Et primo, quod tum de hoc, tum de libris de Republ. dici poteſt, quum in his omnibus Methodi ſua de hiſtoria mentionem ſæpe faciat, id prorſus expungendum eſt: quippe quæ pelliciat incautos ad tractandum librum, qui jam ipſo jure prohibitus eſt, & refertus erroribus, uti ſupra monſtratum eſt.

Adde vitium, quo alios libros aſperſit, ut vix unquam, aut certe (ut dixi) parciſſime de CHRISTO Dei Filio, tanquam de Salvatore, & IESV, loquatur in re tanta, quantam hæc tractatio requirebat. Et D. quidem Paulus, paucis epiſtolis circiter quingenties nominis IESV reverentiſſime meminit. Sciebat enim cui credebat, ũde & ſic loquebatur. Inſigniſſima item Euangelii Bodinus loca, ubi apprime decebat, omiſit; quibus locis habentur variæ nocendi artes in Dæmonibus & Principem hujus mundi ejectum fuiſſe foras à Domino, & obſeſſos ab eodem mirabili ſapientia, & auctoritate ſanatos. Nam etſi poſtea Bodinus de Chriſtiana lege, ac de Euangelio aliquid commemoravit, reliqua tamen ejuſmodi ſunt, ut dubitari poſſit, id ipſi non excidiſſe, ſed additum à piis, & catholicis viris, qui ſilentio illo Bodini offendebantur.

Verſus ſinem 3. libris.

Et materiam quoque de creatione Angelorum

rum in dubio initio rvocavit è rabbinis, quibus & hoc libro tam videtur addictus, ut ad eos ſæpius recurrat, quam ad Euangelii filii Dei Domini noſtri IESU CHRISTI. Vt etiam ſecundo libro minus caute de Sabbato loquatur: quidquid poſtea aſſutum eſt de die Dominico, tenui (ut ita dicam) filo.

Apocalypſim autem quum citat, tacet tamen eam à D. Ioanne Euangeliſta fuiſſe conſcriptam; quum & in hiſtoriæ Methodo planius, quid adverſus illum ſentiret, pronunciaſſet, ut diximus.

Nuſquam pene, niſi ſemel (ſi tamen id illius eſt) Eccleſiam Catholicam Romanam appellat, licet Theologorum ſententias in ſuas narrationes non raro conferat, & citet.

Tertii libri capite 1. & 6. quum fuſius diſſerat de ratione eiiciendi Dæmones, dæque vi eorum tollenda, quam per Magos, Lamias, Sortilegos in humana corpora, & jumenta, agroſque & domos exerunt, affert quidem aliqua, quæ pietatem ſapiunt, & vera ſunt. At reliqua, quæ Spiritu ſancto edocti Apoſtoli, & Eccleſia ſemper adhibuerunt, vel diſſimulat, vel certe liquidius explicare poterat, quod ipſe (ſi tamen ejus iſta fuerunt) nimis conciſe attigit. Quale, quod Energumeni ſiſtebantur Eccleſiæ, dum divina Euchariſtia conſecrabatur: Quodq; in Baptiſmo myſtice fit per ſanctas illas exufflatiões, & orationes. quæ uſque à temporibus Apoſtolicis habebantur: quod item fit per reliquos ſacerdotum (& quidem horum tantummodo catholicorum) exorciſmos: per invocationem nominis IESU, in quo flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: per ſignum Crucis cum invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis: per peccatorum exomologeſin, & confeſſionem coram Sacerdote: per Divorum reliquias: per ſacroſanctum Chriſti Domini ſacrificium; quod terri-

Aug. li. 1. de civit. Dei. c. 1. & l. 22. ca. 8. & de cura mortuorum c. 17.

terribiliſſimum Diuus Ioánnes Chryſoſtomus vocat φρικοδεστάτην θυσίαν, per divinæ Euchariſtiæ attactum, aut ſumptionem: per aquam benedictam. Nam & Dæmonum infeſtationem oblato Chriſti Domini ſacrificio ceſſaſſe; & Dæmones eiici, ac torqueri in memoriis, templis Martyrum, res ipſa, & Patres ſemper oſtenderunt. Vbi tota (inquit D. Auguſtinus) feriendi (in Dæmone) refrenatur immanitas, & captivandi cupiditas frangitur. Quare & S. Ignatius id vocabat catharticum, expellens malum in nobis, ac poteſtates Sathanæ: quod vermes, & ſerpentes (inquit Chryſoſtomus) exitio tradit: ut ſexcenta alia loca mittam, quibus hoc ipſum liquet in Proſpero Aquitanico, in Diuo Bernardo, & aliis. Sed & Bodinus, qui tam ſedulus eſt in recenſendis, quæ ſuo tempore contigerunt in Galliis, rem totam bona debebat fide ſuis ſcriptis inſerere, quæ anno hujus ſeculi ſexageſimo quinto accidit in Diœceſi Laudunenſi Galliæ Belgicæ, quamque ex actis publicis Bartholomæus Fajus in Senatu Pariſienſi Inquiſitionũ Præſes, ſuo libro quem Energumenicum inſcripſit, vir integerrimus retulit. Id erat de Nicola Petri Alberici filia, annos nata paulo minus ſedecim, & jam nupta Ludovico Petreio; in quam quum Dæmon intraſſet, cum in dies pejus haberet, & gravius torqueretur, conſulti ejus loci Curio, atque alii religioſi viri, ſuſpicati ſunt neſcio quid de maligno ſpiritu: qui per exorciſmos tandem, quisnam eſſet, coactus edere, ſe Beelzebulem Dæmoniorum principem palam fatebatur, nec ſe de ſua poſſeſſione deiici, vel deturbari poſſe, quam ab uno aliquo, qui tum in Regio comitatu ageret. Dictum hoc res comprobavit de nobili, ac pio Epiſcopo Laudunenſi Ioanne Burſio. Nam cum aliorum conjurationes parum, aut nihili faceret Dæmon, mulier in urbem

Ignatius in epiſ. ad Epheſ. *Chriſ. ho. 2. ad Antiochum.* *Proſper Aquit. li. prædict. c. 6. Vita S. Bernard. lib. 2. ca. 3. & in Gulielmo. Abb. S. Theodorici lib. 1. c. 10.*

Vi. Clau. Sanctên. de rebus. Euc. controverſ. repet. 2. c. 9. pag. 48.

bem Epiſcopalem deportatur menſe Ianuario; & grave certamen, ac diuturnum Epiſcopo cum Beelzebule incubuit, per continua jejunia, quotidianas & publicas ſupplicationes, atque oblationes, totieſque palam iteratas depulſiones. Media in Eccleſia Cathedrali tabulatum fuit extructum, in quo undevicies, ſpectante populo, decertarunt Epiſcopus, & Satanas, ne expelleretur, omni conatu obſiſtens, atque omnia dira minitans. Cruciabatur quidem ad ſolemnes contra ipſum imprecationes, & Crucis ſignaculum, atque aquæ benedictæ aſperſionem; ſed vix ullis vinculis, aut viribus contineri poterat, quum ad altare ſtaret Epiſcopus, & rem Divinam faceret: tum vero maxime furebat, & agitabatur, cum propius admovebatur ſacroſancta Euchariſtia, cujus virtutē, & præſentiam non ferens, quoties ſentiebat, jam ſibi opponendam, ſolebat vexare miſellæ corpus vehementius, atque repente totum contortum, ac quaſi exanime, remiſſo impetu deſtituere, quod per applicationem ſummis labris Euchariſtiæ, ſtatum naturalem, ac ſenſum recipiebat: ad diemque unum, aut ſaltem aliquot horarum ſpatium, ab omni intemperie quieſcebat. Rogabatur ſæpe Dæmon, quid ita ad Euchariſtiæ oblationem, & præſentiam expaveſceret. Reſpondebat, de ea dictum: Hoc eſt corpus meum; & ſe invitum credere, ac tremere, tandemque ſe ejus virtuti omnino ceſſurū: quod circa Idus Februarii, poſt ne quicquam furias omnes tentatas & conduplicatas, in omnium conſpectu accidit.

Obſerva hic rationes ad expellendos Dæmones.

Atqui mirum eſt, quum Bodinus identidē ad libros Inquiſitorum, & ipſius Pauli Grillandi de Sortilegis, ad Olaum quoque, & Ioannem Magnum, & alios provocet de iis, quæ in Suetia, & Livonia evenerunt, tam multa nihilominus relinquat, quæ ipſi ad obligan-

dam

dam vim Dæmonum experti fuerunt. Et certe in Livonia ubi frequens iſta Dæmonum vexatio cernitur, benedictionibus Sacerdotum (duntaxat Catholicorum) & aqua benedicta domus, agri, fructus, infantes aſperſi, mirifice (quod ipſi oculis vidimus) adverſus poteſtates harum tenebrarum præmuniuntur. Cæterum Bodinus hoc libro perſtringit è Sortilegis, & Magis, potiſſimum eos, qui commenta eſſe ac nugas effectaDæmoniorum idcirco ſpargunt in vulgus, ut ſatanæ propagetur imperium, noxiique tanti criminis judicum ſubſelliis eripi poſſint. Quamobrem Magiſtratum urget, ut memor ſit divinæ & legis,& vindictæ,quæ una in hariolos,& Magos fuerit à Deo acerbiſſima conſtituta. Sic Amorrhæos, Ægyptum decem tribus Iudæorum, quæ ſeceſſerunt in Samariam, Chaldæos,& Babyloniam,Hieroſolymam item quinquaginta poſt annos obManaſſis talia peccata
Hie. 9. igne, ferroque excidit, æcuti prædixerit. Vnde illa Dei vox per Hieremiam. Gladius ad Divinos, gladius ad Chaldæos (quippe hi maxime ſortilegi habebantur.) Addit vero inter reliqua Bodinus, Treſcalem illum inſignem Magum, cui ad enunciandos alios maleficos vita conceſſa fuit, dixiſſe trecenta fuiſſe millia, qui fœdus cum Dæmone in Regno Galliæ ſanxiſſent: inter quos præcipuos quoſdam, atque hoſce in primis aulicos, per quos tantum ſcelus latiſſime derivabatur. Quamobrem non obſcure inde colligit, tam florentis Regni prope caſum eſſe conſecutum, conſecuturum autem magis, niſi judices divinam legem in rem conferant. Quæ cum vera ſint, cur hæreticos dixit in libris de Republ. eſſe ferendos? quandoquidem non minus hi quã malefici divinis, ut Dionyſius inquit adverſus Apollophanem, contra divina utuntur.

DE IOANNIS BODINI LIBRIS

De Republica Cautio.

HOc etiam in libris Bodini de Republ. obſervatum eſt, eum de ſanctiſſima Trinitate nunquam, parciſſime autem de Chriſto Domino, idque potius ex aliorum relatu mentionem facere. Deinde cum de omnib. Reip. & Regnorum formis accurate diſſerere conatus ſit, Chriſtianæ tamen Reipub. & hierarchiæ formam non attigit, quæ à Dei filio, qui eſt æterna Sapientia, firmiſſimis uſque ad conſummationem ſeculi præſidiis conſtituta, vim imperiis & Rebuſpub. omnib. præbet, qua ſtent & floreant. Cum ipſe Dominus Ieſus non venerit legem ſolvere, ſed adimplere. Quod unum Chriſti verbum, ſi ii omnes qui Politici volunt haberi, altius perpenderent, Chriſtianamque cum omnib. adminiſtrandi formis, ſive ethnicorum Romanorum ſeu Græcorum, & aliorum Imperiorum diligenter conferrent, exclamarent ilico: Anathema prudentibus hujus ſeculi, Anathema claudicantibus, Anathema hominibus, qui divinam providentiam ore commendantes, vias ejus ſanctiſſimas negant, & veritatem in injuſtitia detinent. Tum vero de hujuſmodi ſcriptoribus, ex animo & fidenter dicerent. Narraverunt nobis fabulationes, ſed non ut lex tua. Porro divinitus de hac hierarchia ſcripſit D. Dionyſius Areopagita: quæ & ex Synodorum generaliũ formis perſpici poteſt, ac præter ſanctos antiquos Patres hoc ſeculo à Sãdero de Monarchia Eccleſiæ, atq; à Bellarmino, & aliis magna cum laude eſt ob oculos poſita. Et vero indigniſſimũ eſt Chriſtianis Senatoribus, fæces quaſq; minuta-

nutarum Rerumpub. antiquarum, & politica exempla hinc inde è ſordibus cujuſque magno conatu lambere, ac naturæ legem legi gratiæ præponere; interea vero non verſare manibus cordeque quidquid perfectiſſimum eſt in Chriſti Domini lege. Chriſtianaque ratione populos regendi. Nam & Bodinus cum ſæpe ad iſtam naturæ legem provocet, nuſquam legis gratiæ, quæ à Chriſto facta eſt, meminit, inſigni ſubterfugio, ne dicam impietatis ſuſpicione. Cum etiam qui identidem Rabbinorum Hebræorum loca citat, lucem interea quam Patres ſanctiſſimi prætulerunt, & fraudem à Rabbinis in tegenda, & tollenda veritate uſurpatam, tacendo paſſim diſſimulet. Expediebat enim, ut qui Chriſtianis laborem ſuum (ut ita dictum) laborabat impias illas iſtorum blaſphemias in Deum, & Sanctos contumelias, in Chriſtianos impedimenta Euangelii, errores contra legem naturæ, corruptelas divinarum Scripturarum indicaſſet, quod ſane nunquam fecit. Ex hoc igitur etiam factum eſt, ut cum de ſumma Principum poteſtate agat, non ſolum prætermittat inſigniſſimas notas, quibus eminet Pontificis Max. poteſtas, verum etiam tum carpat, tum gentilium ſacrificulorum poteſtati latenter oſtendat ſimilem, ac denique omnem ei poteſtati poteſtatem & juriſdictionem vel tollat, vel ſi quam agnoſcat, hanc teſtetur ab induſtria, vel humana quorundam prudentia profectam, non à Chriſto Dei filio datam, qui tamen diſertiſſimis verbis Petro claves Regni cœlorum tradidit, & poteſtatem impertiit confirmandi fratres, paſcendi oves, & ſecernendi alios, diſpenſandi divina myſteria, ſubmovendi ab Eccleſia indignos, & ſumma quæque præſtandi pro ſalute hominum, fideque ex Chriſti mandato & tuenda, & in univerſum Orbem propoganda. Hinc quo-

quoque factum eſt, ut Bodinus Epiſcopis inferioribus interdum neget poteſtatem, uſque in ſuas oves, quaſi corpori plus inſit virtutis, quam animo: & quam populi auctoritatem Principibus hujus ſeculi tradere unanimi cõſenſu potuerunt, hanc Devs ac multo majorem tradere nequiverit iis, quos univerſo populo præfecerit, & per quorum os reſponſa edere voluit, quoſque ipſimet denique populi profeſſione fidei, & unius agnitionē Eccleſiæ, quæ ſine viſibili capite eſſe non poteſt, paſſim admiſerunt. Quod ſi quis dixerit: Et tamen in Bodini Italicis de Republica libris aliquid extat, quo unius Romanæ Eccleſiæ religionem unicam eſſe veram, cui & poteſtatem adeſſe non negat? Id ſciat pie additum fuiſſe ab iis, qui librum cupiebant emendatum, cum certe cum iis quæ præceſſere, ac ſubſequuntur, illa cohærere non poſſint.

Ad hæc vero ipſa pertinent, quæ tradit de permittendis ſectis, & hæreſibus, ubi radices aliquas egerunt: Quo fallaci aſtu & hamo ſi Italia, cui liber iſte à Satana propinatus eſt, ineſcari ſe permitteret, hem quantam repente omnium rerum ruinam & confuſionem cerneremus? Et meminimus vero, cum Varſaviæ poſtrema à Magno Poloniæ Stephano Rege Comitia haberentur, hunc ipſum Regem viris Eccleſiaſticis, ex Senatorio, & equeſtri ordine delectis, animum addidiſſe, ut intrepide proponerent, quænam damna Regno Poloniæ, Publicæque illata ſunt, poſteaquam hæreſis fuiſſet permiſſa. Ea vero erant, 22. Febru.
quæ ſequuntur, quæ Poſnaniæ poſtea typis 1585.
publice ſunt data.

1. Religionis ſanctæ Catholicæ violatio, hæreſumque variarum in Regnum invectio.

2. Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ejuſque ſpiritualis gladii excommunicationis enervatio,

3. Decimarum contra jus Divinum retentio, & redemptio.

4. Prærogativarum, & libertatum diminutio.

5. Eccleſiarum profanatio, fundationum, cenſuum, proventuum, theſaurorum Eccleſiaſticorum & bonorum aliorum ademptio, & ſpoliatio.

6. Fori pro injuriis realibus & perſonalibus, tam primæ & ſecundæ inſtantiæ, quam executionis ſuſpenſio, Brachii ſecularis, remiſſarum ex tribunali Regni & aliorum ſubſelliis cauſarum nulla executio.

His autem omnibus addita fuit brevis interrogatio, & quaſi explicatio ſuperiorum capitum, hoc, qui ſequitur, modo qui quidem egregie adverſus ipſum etiam Bodinum facit.

Ad Primum.

1. *Vtrum expediat Reipub. & fas decorumque ſit* Apoſtaſias fieri.

Schiſmata, & peregrinas religiones innumeras invehi.

Deúm blaſphemari.

Chriſtum publice negari.

Hæreſibus modum nullum & finem imponi.

Atheiſmum, Paganiſmum, Saraceniſmum induci.

Injurias in Deum impune fieri.

Magiſtratum, qui Dei Maximi, & Religionis Chriſtianæ cauſam agat, & tueatur, ſicut eſt in Polonia ſtatus ſpiritualis, nullum fieri.

Ad Secundum.

2. *Vtrum expediat Reipub. & fas decorumque ſit* Sacrilegia impune tolerari.

Perjuria, incantationes, veneficia, magias, inceſtus, bigamias, & trigamias, adulteria publica homicidia abſque pœnitentia ſolemni, uſuras impune tolerari.

De

De divortiis, matrimoniis, legitimitate, exceſſibus occultis & publicis in Deum & loca ſacra nullum jus inſtitui.

Ad Tertium.

3. *Vtrum expediat Reipub. & fas decorumque ſit* Seculares ſacerdotum officia ſibi uſurpare, & decimas manipulares, & alias contra jura divina & humana à ſubditis ſuis extorquere, & in proprios uſus convertere: hæreditatem Chriſti, panem Eccleſiæ Dei, alimoniam & victum pauperum, his quibus jure, & conſuetudine debetur ſubtrahere.

Ad Quartum.

4. *Vtrum expediat Reipubl. & fas decorumque ſit* Servos Dei Sacerdotes Eccleſiæ ſanctæ, ſine honore eſſe, & contemptui haberi, ac pro gratia fidei, & Religionis una cum libertatibus publicis introductæ, & ſemper impendi ſolitæ; injuria affici, exactionibus onerari, & quodammodo exauctorari.

Ad Quintum.

5. *Vtrum expediat Reipub. & fas decorumque ſit* Ex Eccleſiis Deo dicatis, ſtabula fieri, deſolationem, & abominationem intueri, ſepulchra Chriſtianorum violari, ſine Sacramentis, & cultu divino plebem paſſim vivere, & mori pecudum more, theſauros Eccleſiarum, & ornamenta diſtrahi, & in uſus profanos contra leges Dei & Regni converti fundos, & cenſus ad laudem Dei adſcriptos adimere.

Ad Sextum.

6. *Vtrum expediat Reipubl. & fas decorumque ſit* Solos ſacerdotes ſine lege, ſine juſtitia, ſine judice, tam reales, quam perſonales injurias pati: neces, & perſecutiones Cleri impune graſſari, Sacerdotes Iudæis, Scythis, & quibuſvis obſcuriſſimis hominibus, judicem tamen, juſtitiam, & defenſionem haben-

bentibus, poſtponi, Deum in ſervis Eccleſiæ ſanctæ ſperni, & contemni.

Ad horum autem capitum diſquiſitiones propoſitas, cum nemo hæreticorum reſpondere potuerit, ſicuti nec Bodinus poſſet, perrexit quidem Rex divinam rem reſtituere, Collegiorum ad erudiendam nobilitatam inſtitutione, & Seminariorum ad excipiendas nationes varias excitatione, atque librorum Catholicorum multa editione ac diſſeminatione. & auditione publicarum Concionum, quas per decennium, ne in ipſa quidem Moſcovia (in tentoriis, & ſummo gelu) intermiſit, & denique Eccleſiaſticæ poteſtatis, defenſione, quam ipſe ſapientiſſime, ac acerrime in Senatu ſæpe ſuſcipiebat. Sed non ita multo poſt optimus Rex naturæ conceſſit, qui altiſſime retinebat animo, quod D. Auguſtinus ſcriptum reliquit, quodque cum iiſdem propoſitionibus in lucem prodiit.

Fac juſtitiam, & habebis pacem, ut oſculentur ſe juſtitia & pax. Si enim non amaveris juſtitiã, pacem non habebis. Et alterũ illud ejuſdem Patris: Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipſa veritate contra errorẽ jubẽt, quod quiſquis contempſerit, ipſe ſibi judiciũ acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum ſortem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis veritas juſſit.

Hæc igitur (quæ acerbiſſimos etiam in Galliæ Regno fructus tulere) ſi Bodinus, & alii Chriſtiano calore concoxiſſent, nunquam ad agẽdos adverſus Catholicas provincias cuniculos ſuis ſcriptis inſperſiſſẽt, præſertim quod ubi ſapientem Politicũ præſe fert, vallidis nititur rationib⁹ efficere, Religionẽ etiã ethnicis Magiſtratibus ſummæ curæ ſemper fuiſſe, nec de dogmatibus, quæ recepta ſunt, permittendam eſſe diſceptationem, quam ne Philoſophi quidem de primis ſcientiarũ principiis per-

permittant. Et vero initio libri ſui de Dæmonomania oſtendit; divinam legem eſſe accuratiſſime obſervandam, qua Sortilegi, & Magi interficiendi ſunt. Quin etiam tertio ejuſdem tractationis libro: mortem Caroli noni Regis tribuit, quod Treſcalem Magnum interimi non curavit: Divina juſtitia (inquit) exigente, ut moriantur Reges, qui noxios ejuſmodi permittunt vivere. Quod cum ita ſit, cur ex eadé lege pſeudoprophetæ, & alii, qui ſacerdotis imperio nolunt obedire, non plectantur? Cæterum, quod obiter innuit, alicubi ab Magiſtratu ſacerdotes ſapienter amandari, de deliberationibus de Rep. interſint, ſi catholico animo pronunciaſſet, ferri quadantenus poterat. Sed quoniam id ad explodendam poſtea univerſam Religionem detorquere hæretici facile ſolét, propterea iſta aperienda ſunt. Cur enim non adjecit ab eodem Magiſtratu ſapientiſſime retentam ſummis in periculis Catholicam fidem, pro qua & vitam, & Rép. quotieſcùnque fuit opus, omnibus periculis expoſuerit? Inſulas autem Catholicis muniviſſe coloniis, in quibus primi eſſent Epiſcopi, monachi. & cæteri, qui Eccleſiæ inſerviunt, quod ſcirent è ſchiſmate, ex Orientalibus hæreſibus, nil firmi in Rep. poſſe conſiſtere? Cur inquam non addidit, hæreticis notandis, puniendiſque una cum Eccleſiaſtico Magiſtratu, bis ſingulis hebdomatibus Remp. diligentiſſime incumbere? Neminem vero pene è tanta nobilitate, licet plurimi circumquaque mundũ provinciaſque hæreticas obeant, in hæreſim incidiſſe Lutheri, Calvini, aut ſimilium? Cur denique Italiæ, & aliarum provinciarum exempla non propoſuit, in quibus quoniam iſta hæreſeos tolerantia non fuit, unius fidei populi ſunt, qui alioquin (uti contigit in Galliis, & in Germania) & diſſecti eſſent in ſexcentas partes, & plura centena millia,

 vel

vel in hæreſim, vel in os gladii, & inferni ruiſſent.

Cap. 6. Atqui tanto mirandum eſt magis ea ex Bodini pectore manaſſe, cum verſus finem ſexti de Repub. libri hæc habeat verba. Maximum diſcrimen eſt inter eos Iudices, qui qualibet in re legibus aſtricti ſunt, vel quibus juſtitiæ adminiſtratio ſine legibus licet. Alterum vero in facto ſitum eſt, alterum in jure, æquitate, ratione: præcipue vero cum aliquid ejus ſit ponderis, ut tradita antiquitus lex declarãda ſit, quemadmodum dixi, Prætori. At divina lege hoc ad magnum Pontificem refertur, aut ad eum qui à Deo ſummus Iudex de-
„ lectus eſt, vel hiſce abſentibus, ad Levitas (hoc
„ eſt Sacerdotes.) Id quod deinceps ſub ultimis
„ Aſmoveanæ familiæ Principibus tranſlatum
„ eſt ad Senatum. Hic mos erat in Ægypto, &
„ Gallia, ubi Sacerdotes, & Druides erant ju-
„ ſtitiæ cuſtodes, tanquam omnium in mundo
„ rerum ſacratiſſimæ rei: primuſque Druidum
„ Præſes (inquit Ammianus) lapidem appenſum ad collum geſtabat, in quo veritas erat inſculpta. In Aſia quoque, ac majore Africæ partæ viget eadem conſuetudo, ut Sacerdotes Iuſtitiam adminiſtrent, & magnus Pontifex leges exponat, deque difficilioribus, & majoribus cauſis decernat. Sic magnus in Turcia Pontifex Muphti, & Sophianus in civitate Tauris, ac Tartari ſuum Smarcandæ habent; Regibus autem Feſſæ, Caroani, Telmeſſeno ſuus unicuique eſt: ut intelligatur æquitatem, defectu legum adminiſtrandam eſſe ab Iudicibus, & viris peritioribus. Hæc igitur Bodinus, de quo quæro, cur Chriſtiani Pontificatus nullam hic mentionem facit? Videlicet, perfidis quibuſque aliquod divinæ legis veſtigium reliquum fuit, quod per Bodinum prorſus Chriſtianis ſublatum fuerit, ut à mille & ſexcentis annis quoddam quaſi juſti-

juſtitium ſecutum ſit. Latet ergo ſerpens in iſtis de Republica Bodini libris: Ac tamen adhuc (proh peccatorum noſtrorum demerita) repere paſſim permittitur, & tractatur manibus & animis, abſque ullo tanti veneni antidoto.

At vero (ut ad Bodini alia redeam) cum Galliæ Regnum optimo genere adminiſtrandi conſtitutum aſſerat, cumque inter Reipublicæ formas primas deferat partes Monarchiæ, in eo autem Regno inquiat triginta quinque ſive Cardinales, ſive Epiſcopos fuiſſe Cancellarios, totidem in Anglia; ſane intelligit, adminiſtrationi Chriſtianiſmi Regni, quod per undecim ſecula duravit, tantum abfuiſſe, ut adhibita Sacerdotum conſilia obfuerint, ut per eos potiſſimum ſteterit. Et in Polonico Regno haud inficiatur Archiepiſcopum Gneſnenſem ſolere eſſe Cancellarium. Quod quamuis ita non ſit (nam & modo è proceribus qui non ſunt Eccleſiaſtici, vel, ut ipſi vocant, ſpirituales, alius eo munere fungitur) Archiepiſcopus tamen ille primum in Senatu locum obtinet, ac Rege demortuo, Regni habenas ſuſcipit, quas moderatur cum reliquo Senatu, donec Rex alter ſuffectus ſit: Epiſcopique omnes Regni & Senatores ſunt, & in dextera Senatus parte conſident. Procancellarius item regni Epiſcopus eſt; cæteri vero qui in ſiniſtra parte ſedent, Caſtellani, Palatini, & reliqui nobiles, minimè Eccleſiaſtici ſunt. Quo ordine ſi Reſpublica illa caruiſſet, profecto jamdiu eſt, cum ab hæreticorum ictibus concidiſſet. Quin etiam Hungaria, illa quidem, quæ à Cæſare adhuc obtinetur, eandem per Eccleſiaſticos Præſules adminiſtrandi rationem retinet. At & Germanico in Imperio, quod Bodinus inquit eſſe Ariſtocraticum, è ſeptem Electoribus primas tenent Archiepiſcopi in Senatu,

qui & Electores vocantur, Ne quid dicam de aliis Regnis, ubi conſiliorum præſides ſunt, & maxima quæque adminiſtrant ſine ullo
Lib.3.c.7. verſ. ſinem. Reipublic. periculo. Porro mendacium eſt, Theodoſium Magnum Arianos cum Catholicis; & Valentinianum ſuſtinuiſſe, cum graviſſima edicta in eos tulerint. Et meminiſſe
Lib.4.c.3.
Lib.4.c.7. debuerat, quod alibi ipſe dixit, ex antiquitate petens. SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO.

Singulare autem certamen, quod duellum dicitur, permittendum eſſe judicat, præſertim in capitalibus cauſis, quibus aliunde non adſint certi teſtes ſed aliter, & juſtitiæ ratio,
Concil. Trid. ſeſ. 23. c. 19. & Chriſtus Dominus per Eccleſiam ſuam docet, cum dicat, Deteſtabilem duellorum uſum
„ fabricante diabolo introductum, ut cruenta
„ corporum morte animarum etiam pernici-
„ em lucretur ex Chriſtiano Orbe penitus ex-
„ terminandum; Imperatores, Reges, Duces,
„ Principes, Marchiones, Comites, & quoſcun-
„ que alios Dominos temporales, qui locum ad
„ monomachiam inter Chriſtianos conceſſe-
„ rint, eo ipſo eſſe excommunicatos, & juriſ-
„ dictione, & dominio civitatis, caſtri, aut lo-
„ ci, in quo, vel apud quem duellum fieri per-
„ miſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privatos
„ intelligi, & ſi feudalia ſint, directis Dominis
„ ſtatim acquiri. Qui vero pugnam commiſe-
„ rint, & qui eorum Patrini vocantur, excom-
„ municationis, ac omnium bonorum proſcri-
„ ptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incur-
„ rere, & ut homicidas, puniendos, & ſi in ipſo
„ conflictu deceſſerint, perpetuo carere Eccle-
„ ſiaſtica ſepultura. Illos etiam, qui conſilium
„ in cauſa duelli, tam in jure, quam in facto de-
„ derint, aut alia quacumq; ratione ad id quen-
„ quam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excom-
„ municationis, ac perpetuæ maledictionis
„ vinculo teneri.

Maximum (inquit) & forſan præcipuum, Rerumpub. fundamentum eſt naturalem civium ſtatum, ingenio civium; edicta vero & leges, naturæ hominum, temporis, ac locorum accommodare. Quod ſi ita omnino ſit, non erit æqua via Domini, neque permanens naturæ lex, nec commune gratiæ donum, neque una Eccleſia, quando per hunc, pro tempore, loco, perſonis, tanquam regula Lesbia, matanda ſit. Quin etiam pro ætate cujuſque non erit eadem lex, quippe juventuti remittendæ erunt habenæ quæ ſenectuti contrahendæ: Addo etiam pro conſtitutionibus corporum: quippe ſanguineis cholericis, phlegmaticis, melancholicis univerſale inſtitutum, vel Decalogus haud erit præſcribendus. Nam & quoniam ſub diverſis cœli regionibus, & climatibus diverſa ingenia ſunt, putat ille cothurnum uniuscujuſq; pedi mutandum. Quanto igitur rectius (quidquid Bodinus alter ſentit) inquit Baldus, jus & æquitatem naturalem non eſſe incluſam, nec alligatam locis. Rectiſſime autem Chriſtus, qui omnibus gentibus eadem præcepta, Sacramenta, formam item Chriſtianæ Reip. & Eccleſiæ iiſdem pene legibus & Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, Sacerdotiis, Religioſis ſanxit. Tam videlicet vivida vis Spiritus ſancti eſt, & tam valida divinæ ſapientiæ, ac gratiæ virtus, quæ efferas gentes manſuefecit; naturæque lapſus erexit, & humanam ipſam carnem edentes illexit ad cœleſtis Euchariſtiæ eſuriem, & in unum vagos facili negotio collegit. Et denique quod omnibus ſeculis, hoc vero potiſſimum apparuit, novum ipſum Orbem ad eundem vitæ Chriſtianæ tenorem adduxit; quamcunque ad mundi partem vergat. Vt certe, quando aliud non eſſet, quo mentes noſtræ excitarentur ad talem Reipub. formam ſuſcipiendam, eſſet hoc unitum ad

Lib. 4. cap. 1.

Baldus.

Lib. c. 1. captivandum in obſequiũ fidei intellectum.

Anglos ait fuiſſe inhoſpitales, quique cum aliis nationibus degere non poſſent, ut etiam Antverpiæ ſecretum ab illis domicilium haberent, poſtea tamen, ubi cum Gallis pacem inivęrunt, ſuaviſſimiſque eorum Reginæ, ac pacificis modis tractati ſunt, cicures factos, & mites: Gallos contra, qui nulli nationi humanitate cederent, poſt bella civilia deperdidiſſe naturam, & mores avitos. Sed & hic in utraque hac re cæcutiit Bodinus. Primum, quod nunquam Angli crudeliores fuerunt, quam cum Catholicam fidem exuerunt, aut Eccleſiam perſecuti ſunt. Miſſis ſuperiorum temporum eventis, quæ Anglici hiſtorici, Bedaque perſecuti ſunt; an ne diriora unquam tormenta commenti ſunt antiqui Eccleſiæ perſecutores, quam quæ adverſus ſuos adhibuerunr, quoniam Catholici veram religionem colebant, & optimorum Regum, totiuſque regni ſæpe promulgata edicta ſervabant? Non temperatum ſacris locis, non virginibus innoxiis, non religioſis, qui inermes arma ſpiritualia pro populo ſtrinxerant, non Reginæ ipſi Scotiæ, qui caput ſuperiorib. annis amputatum eſt. Extant paſſim hac de veriſſimæ hiſtoriæ: Sed & Sanderi librum de ſchiſmate Anglico, qui reipub. conſultum velint, attente legant. Inde enim occaſiones, & cauſas, caſuſque Regnorum, & mutandi homines in feras facillime noſcent. De Gallis autem, nego quod Bodinus inquit. Ex tot enim civitatibus, & provinciis, ubi adhuc Catholica Relio viget (nam & primariæ omnes urbes catholiciſſimæ ſunt) vix aliquem inveneris, quin antiquum obtineat, & mitiſſimos ſapiat mores. At quos tranſuerſos non civilia bella, ſed hæreſis egit, hoſce ſi intelligat, ut nomini Divino, ſic veræ pietati eſſe rebelles, Regnoque truces, & efferos evaſiſſe

ſiſſe non inficior. Nam ſi quis in Calvinianum acutius inſpexerit (licet neque loquentem audiat) ex oculis tamen torue aſpicientibus, ex male ſana nimirum reclamante conſcientia ſtatim id agnoſcet.

Fuit ne unquam (ait) Ludovico noſtro Regi ſancto Princeps quiſquam virtute, pietate, integritate par? Hæc ille, quæ & alibi ſæpe, cum de Carolo VII. & aliis quibuſdam Galliæ Regibus commemorat. At præſtabat, ſapientem Politicum addere, hæreticos ab eo Rege Albigeos ejectos, unde Calviniani virus ſuum ſuxerunt: Eccleſiam unam Catholicam Romanam conſtantiſſime omnes eſſe tutatos: vixiſſe ſummo cum Dei metu, cæteros vero quoſque Galliæ Reges ſemper Catholicos fuiſſe, optimos autem quoſque iiſdem artibus reſtituiſſe in priſtinum ſtatum quotieſcunque conciderat, Regnum: hæc videlicet vera fuiſſe Reipublicæ fundamenta, non mentiente qui dixit: Quærite regnum Dei, & hæc omnia vobis adjicientur. *Libr. 5. cap. 3.*

Principes (ait) fuiſſe coactos, ut novos honores, & prẹmia bene meritis decernerent. Edouardum igitur Angliæ S. Georgii, Ioannē, & Ludovicum XI. Galliæ Reges, hunc S. Michaelis illum Stellæ, Philippum II. Burgundiæ Ducem Velleris aurei, Duces Sabaudiæ, Beatæ Virginis Annunciatæ ordinem inſtituiſſe. Sic ille. At etiam hic præſtabat, quum dicat nullum inter iſtos adſcitum, qui nobilis non ſit nomine, armis, & ſine ulla labe, expreſſiſſe, quænam potiſſimū ea putabatur labes: Nempe Catholicæ fidei defectio: quando nec ordines unquam ulli fuere inſtituti, niſi à Principib. Catholicis. Quod ſane hæretici nunquam potuerunt efficere, quippe qui deſerta fide omni prorſus ordine deſtituuntur. *Lib. 5. cap. 4.*

Poſtquam, inquit, defenſio vitæ, ac perſe-

Lib. 5. cap. 5. cutio latronum ad jus divinum, naturale, humanum pertinent, profecto ſubditi exercendi ſunt in militari ad probos ſublevandos, deprimendos improbos. Et voco (inquit) latrones, atque improbos, bella injuſte moventes, ac fures, & ejuſmodi alios. Verum ſi hoc ſit, tanto magis curandum erit in hæreſi exterminanda, ſi qui primo ſanis conſiliis acquieſcere noluerint. Eadem enim omnino hæreſis, ac tanto quidem nocentius perpetrat, quanto præter Regnorum everſionem invadit ipſos animos, quos & cœleſtibus privat bonis, & denſiſſimas tenebras in Regna inducit: Quod teſtantur Aſia, Africa, & hodie bona Europæ pars.

Mox ſubdit, ad explodendos ſeditioſos, & fures expedire, ut mittantur ad bellum, hancque medicinam ſummopere neceſſariam. & utilem eſſe Reipublicæ. At ſecus, & divinum præceptum urget, & ſæpiſſime latronum exercitus diſſipati ſunt, & niſi vires attritæ ſunt, Reipublicæ certe hinc exiſtimatio imminuta fuit. Quam enim tu ſolidam reportaveris de hoſte victoriam, ad quem expugnandũ ſceleratas, & inimicas Deo copias adducas? Et ut de inimicis, inimicos ſuos Deus ulciſcitur, ſic de Regnis, tanquam de hoſtibus idem facit, à quibus in expeditionem ii mittuntur.

Lib. 6. cap. 1. Affert Bodinus ex Deuteronomii capit. 16. Divina lege mandatum, ut ter ſaltem quiſque ſingulis annis ad templum adeat, quare eſſe Atheos quoſdam, qui ne ſemel quidem id præſtant. Sed cur non potius Eccleſiæ, quæ id ſingulo ſaltem octiduo jubet, quam veteris Teſtamenti præceptum propoſuit nobis qui Chriſtiani ſumus? Sed verum eſt, Bodino plus ſapere veteris legis quam novum gratiæ Teſtamentum.

Lib. 6. capit. 2. Vbi Auguſtum collaudat, quod pœna mulctaverit, qui exactis viginti quinque annis vel

vel uxorē non duxerant, vel liberos non ſuſceperant; ſapientiſſimi Politici id fuiſſe dicit, quoniam ita adulteria, deteſtabilioraque alia ſcelera præciderit, mox Iuſtinianum, & Conſtantinum. Honorium item, atque Theodoſium impp. reprehendit, qui vel Auguſti legem abrogarunt, & pœnam cœlibatus ſuſtulerunt, vel privilegia conceſſere ſubditis, qui liberis caruiſſent. Veruntamen maluiſſem, ut Chriſti magis quam Auguſti prædicationem ſuſpexiſſet. Sunt eunuchi (inquit) qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. Nec vero me latet, cur ſecundum civiles leges, Politici hoc negotium metientes ultra humanos limites progredi haud potuerunt. Aſſenſerunt enim Platoni in cælibes cælibatus pœnas ſtatuenti, & legi XII. Tabular. ac legi Papiæ (ſive Pompejæ, vel Poppœæ) quam iterum Auguſtus tulit de maritandis ordinibus. Es veteres leges (ſcribit Euſebius) privant orbos liberis eorum ſucceſſione, qui liberos gignunt, τοὺς ἀπαιδας παλαιοὶ νόμοι στερήσει τῆς τῶν γονέων διαδοχῆς ἐτιμωροῦντο Verū enimuero imprudenter omnia lata ſunt, Euangelicæ autem legis virtus tanto comprobatur apertius, quanto Chriſtus ſapientia Patris æterna Apoſtolos cælibes eo ipſo tempore quoquo verſum diligentius mittebat, quo leges illæ inualuerant, virgineſque & alios iad caſtitatem perpetuo colendam per eoſdem Apoſtolos ſerio non ſolum hortabatur, ſed ſæpe ſanguinis Apoſtolici, virginumque martyriis inuitabat. Et videntne iam Politici vias CHRISTI non eſſe politicas tantum, aut hujus mundi? At quum Auguſtus non tam pœnis, quam præmiis, omnes ad capeſſenda matrimonia vocaret (vacatione quippe triennii à publicis muniis propoſita omnibus, majoraque, ut deinde eſſent pro majore filiorum numero præmia, atque immunitates) quis cogitaſſet

Plato ſub. finem Dialogi 6. de legib. Cic. 3 de leg. cap. quæda etiam leges diſ. 2. l. penult. C. dicit nup. l. vl. c. de infirmam. pœn. cæl. Euſeb. li. 4 de vita Conſtantini l. 2. ff. de vac. mul. l. 1. c. de his. quinu.

Lib. ſe excu. lib. 10. Inſt. de excuſ. tut. vel curat. inprin.

à Chri-

à Chriſtiano pectore prodire debuiſſe tantum (ut videbatur),obicem Euangelio propagando, cum ejus rei prædicatio, & exempla ubique à Chriſtianis poſita, non ſolum pœnis, & præmiis Imperatorum, ſed & inſitæ naturali ad conjugia propenſioni adverſaretur? At ita Deus comprehendit ſapientiam ſapientum, & ſtultos facit principes Taneos, & re ipſa probat, excellentiores ſuo (non hæretico) Euangelio ſe reſeruaſſe vias; quas ſi mundus non caperet, eas tanto magis vult eſſe probatas, & fixas. Quamobrem & Conſtantinus Magnus leges illas abrogavit, & ejus filii aboleverunt, uſuſque ille eſt his verbis adverſus iniquiſſimam legem: Per infirmitatem (inquit) naturæ privatos ſuo magno liberorum gignendorũ deſiderio, miſereri magis, quam mulctari convenit. At rei melioris amatorem non quidem punire, ſed admirari maxime dignum eſt. Hic rei melioris amatorem κρείττονος ἐραστὴν vocabat,qui ſe Dei ſacerdotio conſecraſſet, ac pudicitiam, ſive virginitatem profeſſus caſtę vitæ ſe addixiſſet. Sed reliquis,inveteratam hominum labem, & ſacerdotum lapſum in magnis diœceſibus, arbitrantibus haud eximi poſſe, niſi uxorum conceſſu, reſponderi: Neſcitis ſcripturas,neque virtutemDei (addamus autem) nec pœnitentiæ vim, quæ meretrices (ſi ad cor redeant) virginibus interdum æquat, atque ex contumeliæ vaſis vaſa honoris,& gloriæ Dei facit.

Euſeb. de vita Conſtantini.

Denique alii ætatem, qua vota ediderunt, non aptam fuiſſe obtendunt judicandis propriis viribus in ſuſtinendo cælibatus onere. Sed cur non idem quoque prætexant in deſerendis uxorib. laici, quibus onera plerumque intolerabilia ex re uxoria incumbunt? Itaque ei, qui diceret. Non ſolum immaturo conſilio, verum etiam vi adactus, initiatus ſum

ſacris,

ſacris, quare & peto per Canones mecum diſpenſari; reſponderi poteſt: Quid ſi te vel minus maturum conſilium, vel alicujus vis adegiſſet, ut uxorem adoleſcens duceres, deinde aliquot poſt annos eam rejicere velles, num ullum tibi Canonem patrocinari putares? Sane non dubito, quin plures laici mallent uxore carere, quam pii ſacerdotes matrimonio jungi. Licebitne igitur illis divortium à Chriſto prohibitum facere, ac (quod æterna eſſet non minus infamia dignum, quam pœna) cauſas nectere, cur nunc illam, jam alteram, modo nullam uxorem aliquis habeat? Sed ut hæc abeſſe ab ipſis laicorũ mentibus debent, ſic multo magis illa faceſſãt à ſacerdotũ cordibus, qui ad cœleſte vitæ genus vocati, à mulieribus ſe abſtinent, ut ſint ſancti corpore & animo, ac proxime Deo adhæreãt. Atqui neq; verũ eſt, quod ait Bodinus, cælibatus profeſſione, peccatis feneſtrã aperiri. Nam & quæ ſcelera publice, patrabãtur Auguſti tempore, quũ tam ſeduli eſſent in maritãdis ordinibus, ſatis ad Romanos notat Apoſtolus, ne quid dicam de aliis. Et Bodinus hic quoque nimis politice tribuit Auguſti ſapientiæ, aut præſtantiæ Monarchiæ, quod cũ antea Romani ne decennium quidem in pace vixerint, is quinquaginta annos pacate Rempub. & Imperium adminiſtraverit, cæteriſque idipſum reliquerit tranquillum. Optandum igitur erat, ut totum hoc quicquid fuit, Divinæ diſpoſitioni tribuiſſet, quæ Romanum Imperium præparaverat, totque ante ſecula per Eſaiã prædixerat. Vt Roma (inquit S. Leo primus) per ſacrã B. Petri ſedẽ caput orbis effecta, latius præſideret religione divina, quã poteſtate terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra mariq; protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubiecit. Diſpoſitio namque divinitus operi

Lib. 6. cap. 4.

„ operi maxime congruebat, ut multa regna u-
„ no confœderarentur Imperio, & cito pervios
„ haberet popnlos prędicatio generalis, quos
„ unius teneret regimen civitatis. Hæc autem
„ civitas ignorans ſuæ provectionis auctorem,
„ cum omnibus pene dominaretur gentibus,
„ omnium gentium ſerviebat erroribus, & ma-
„ gnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem,
„ quia nullam reſpuebat falſitatem. Vnde quan-
„ to erat per diabolum tenacius illigata, tanto
„ per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. Hæc D. Leo; quæ utinam Bodinus in Monarchia Augusti conſideraſſet. Sic enim humanæ Divinam adminiſtrandi rationem præpoſuiſſet.

lib.6.c.5. Et caput quintum libri ſexti id maxime continet, ut oſtendat, in ſucceſſione Monarchiam rectius, quam in electione conſiſtere, ac durabilem fore Pontificatum, itaque multa paſſum eſſe, quoniam eliguntur, non ſuccedunt generatione carnali Pontifices. Videlicet, ſi ſucceſſiſſet puer filius Pontifici demortuo, hic Eccleſiam univerſam regere, creare Archiepiſcopos, Epiſcopos, Cardinales, ipſe non Sacerdos pro tribunali ſedere, per tutores id agere debuiſſet. Quæ ut ſunt abſurdiſſima (præſertim in plenitudine temporis) ſic dici permittuntur ab iis, qui politica lance divinas res pendunt, ut in barathrum temeritatis corruant. Quid ergo? Chriſtus ſapientia æterni Patris minus in Eccleſiæ regimine ſtatuendo vidit, quam Bodinus? minuſq; Chriſtianæ Reipubl. Chriſtus quam ille cavit, cum Dominus & virgo naſci ac mori, ac Petrum cælibem Pontificatui præfecerit, cui itidem alii fuerunt hactenus ſubinde ſuffecti? at tamen Monarchia hæc, quam Dei filius inſtituit, univerſo mundo oblatrante & obſiſtente ſexdecim ſecula ſtetit, tantoque latius Chriſtiani fines propagavit Imperi, quanto hæreſis, perfidiaque illud acrius hodieq; oppugnant, certiſſimo

tiſſimo indicio firmitatis eius quam requirebat, quæ futura in ſeculum erat firmamentum, & columna veritatis. Sed & oſtendat Bodinus, quam firma ſucceſſione ſubſiſtat Lutheri, & aliorum hæreticorum regnum, qui propagatione carnalium filiorum, quot capita, tot hydras poſteritati reliquerunt.

Cæterum quod ad periculum attinet: quod Pontificii interregni tempore aliquãdo contigit, neſcit iſte, ſic divina in terris regi à Deo, ut cum liberam hominum voluntatem non tollat, (quam etiam quotieſcunque peccat, non ſinit impune abire) nihil tamen hinc pereat ſtabilitatis Eccleſiæ, cum & in iis qui parentibus carnalib. ſucceſſere, peiora ſæpius, diuturnioraque mala, evenerint.

Eodem rurſus capite adjicit, Eugeniũ quartum Pont. Max. à Concilio Baſilienſi excommunicatum, & Pontificatu ſpoliatum. At quod Eugenius non erraverit, neque in hæreſim inciderit, idem Concilium Baſileenſe Lauſannæ continuatum oſtendit, quod acta ſua priora irritavit & Nicolaum quintum Eugenii ſucceſſorem, uti verum Pontificem, veneratum eſt, quemadmodum ex literis ejuſdem Nicolai cognoſci poteſt.

Ex his igitur vir quiſque prudens intelliget, quam circumſpecte verſandum ſit, quidquid à Bodino ſcriptũ eſt. Neque vero quidquam attigi de libera in filios juriſdictione, quam parentibus reſtituendam eſſe, etiam ad necem, diſſerit ex veteri Teſtamento. Id enim ſi expediviſſet, vel Dei filius expoſuiſſet, cui cura, non tantum uſque ad atramentum (uti Bodino) ſed uſque ad ſanguinem fuit de nobis: vel Apoſtoli meliore ſpiritu, quam fuit Bodinus, afflati, per univerſum terrarum orbem docuiſſent. Ac certe Euangelicam manſuetudinem haud decebat, ut patres dira illa, quæ etiam in Scythis reprehenduntur, ſupplicia

plicia de filiis ſumerent. Facerent hoc leges, ſi faciendum ſit, & gratiæ Divinæ nitor ne immanitate tollatur. Et vero pleraque alia ſunt, quæ Bodinus refert de aliis ſeu Regnis, ſive rebus publicis, quæ cum non ita ſint, condonari poſſunt homini ex tanta rerum mole fatigato, neque ſemper vera ab omnibus inaudienti. Ac tamen haud tacendum eſt non recte feciſſe, qui quum in pluribus de Repub. Veneta fuiſſet hallucinatus, tum adjecerit, ſolere à Venetis eligi Duces minus prudentes, quique aliis virtutibus careant. Quod falſum eſt. Si enim ſpectaſſet qui hoc ſeculo, eoque ipſo tempore, quo libros iſtos de Republ. ſcribebat, principem locum obtinuerunt, ſententiam, & verba mutaſſet. Quippe viri præſtantiſſimi aut armis, aut vitæ ſanctitate, vel ſapientia, & uſu rerum delecti ſunt, quales fuere pręter alios multos, Priuli Triviſanus, Mocenicus, Venerius, Nicolaus de Ponte, quique nunc præſidet, Paſchalis Ciconia, qui cum ſapienter, & pacate decennium Cretam, & Orientalem illam ditionem adminiſtraſſet, vitamque vixiſſet innocentem, non minus adminiſtrationi Reip. quam propagandæ pietati dat operam. At quoniam hi de Rep. libri magnam rerum politicarum ſuppellectilem habent, quæ plures allicit ad legendum, videant quibus animarum ſalus potiſſimum incumbit, num ſerio danda eſſet opera, ut quam primum non ſolum purgarentur, verum etiam ea apte inſererentur quæ in Religione Catholica, & pietate firmare Principum, & Politicorum animos poſſent. Quod ſane maximum eſſet ad Dei gloriam operæ pretium.

VIN-

VINDICIÆ CONTRA TYRANNOS:

SIVE,

DE PRINCIPIS IN POPVLVM, POPVLIQVE IN Principem, legitima poteſtate.

STEPHANO IVNIO BRVTO Celta, auctore.

HOC LIBRO INFRA SCRIPTAE Quæſtiones explicantur.

I. An ſubditi teneantur, aut debeant Principibus obedire, ſi quid contra legem Dei imperent.

II. An liceat reſiſtere Principi. legem Dei abrogare volenti, Eccleſiamue vaſtanti. Item, quibus, quomodo, & quatenus.

III. An, & quatenus Principi Rempublicam aut opprimenti, aut perdenti, reſiſtere liceat. Item, quibus id, quomodo, & quo jure permiſſum ſit.

IV. An jure poſſint, aut debeant vicini Principes auxilium ferre aliorum Principum ſubditis, Religionis puræ cauſa afflictis, aut manifeſta Tyrannide oppreſſis.

CONO SUPERANTIVS VASCO PRINCIPIBUS Reipublicæ Piis Fidelibus.

*N*On eram neſcius, ô viri Principes, cum *has* Stephani Iunii Bruti, *de vero Principis in Populum, & populi in Principem, jure & poteſtate* QVAESTIONES *in vulgus emitterem, fore nonnullos, qui me reprehenderent. Pugnant enim ex diametro cum* Nicolai Machiavelli Florentini, *quem in gubernanda Republ. ducem illi habent, malis artibus, pravis conſiliis, & falſa peſtiferaque doctrina. Mihi igitur, ut audaci, vitio vertent, opinor, quo aliquid ad ca umniam rapiat, quod ego nulla vobis nominis fama cognitus, hiſce tantis de rebus ad vos, hoc tempore maxime ſcribere non vereor. Sed conſtans in Rempublicam meus amor, & animus quem in eam perpetuo defixum gero, hunc mihi metum excuſſerunt. Deinde judicavi, has diſputationes vobis ſane præcipue deberi. Nec enim de levibus rebus habentur, ſed longe gravisſimis, & in tot Reipublicæ, perturbationibus cognitu neceſſariis. Itaque diſſerunt de vera Principis & regum, à quibus antiquum ducitis genus, tuenda Majeſtate, & de eo Populi conſervando jure, quod optimæ leges, ac gentium probati mores uno omnium conſenſu conſtituerunt. Ac certe veſtrorum quidam, quo hac Regis majeſtas, & vetuſta Populorum jura in Gallis reſtituantur in integrum, Imperatores eo exercitum duxerunt, adverſus eam gentem, quæ cœlitum & hominum contemptrix, calliditatis & perfidiæ viribus artibuſque ſubnixa, eo ingenium omne contulit, potentiam & robur, ut Gallos natura liberos, & omnis antiquitatis moribus legibus & inſtitutis penitus ingenuos, in barbaræ*

bara crudelitatis ſervitutem redigat. In his autem Quæſtionum decurſibus veterem illam Regna gubernandi, nimirum perfectam effigiem, tanquam matronam legitimam, caſtam, integram, nec ullis comptam calamiſtris, intuebimur, pro qua nobis Machiavelliani illi ſpuriam, fucatam, impudicam & improbam, ſubſtituere non dubitant. Quæ vetus provincias, Regna & imperia adminiſtrandi ratio Majorum veſtrorum fuit, eamque Principes omni Regiarum virtutum genere cumulatiſsimi, veluti per manus traditam, quandiu vixerunt, diligenter obſervarunt. Merito ergo has à vobis Quæſtiones oportuit cognoſci. Poſtremo mihi jure perſuaſi, ſi vobis has Diſſertationes inſcriberem, fore, ut à multis diligenter ob nominis ac gentis veſtræ celebritatem legerentur: quas alioqui tamen non pauci cupide propter invidiam & motus diſcutient, omnes peramanter ob elegantiam doctrinæ æquitatemque cauſæ, etiam obviis ulnis excipient. Et quidem ea re ſtudioſius, quoque nulla quenquam inſectandi cupiditate, aut ullarum partium gratia ſcripta ſunt, ſed ſolo veritatis ob oculos ponendæ deſiderio, ex Gallicarum calamitatum neceſsitate, ac ruinis, quo promptum aliquod firmumque remedium, perpetuumque poſteritati quæratur, fuerunt diffuſius explicata. Id quod, qui eas attente legent, etiam quocunque tempore legent, cujuſcunque partis ij quoque ſint, aut nationis, conditioniſve, modo tamen Chriſtianam Religionem, *vel quam* Pontificiam, *vel quam* Reformatam, *appellent, profiteantur, facile certoque perſpicient.*

Itaque cum de Galliæ calamitatibus mihi multus cum Bruto, erudito, prudente, nobilique viro, ſermo eſſet circiter ab hinc biennium: & ultro citroque non pauca de earum originibus, cauſis, initiis & progreſsibus percurriſſemus: eo tandem ventum eſt, ut, inter cætera, ſtudio libro-

brorum Machiavelli, maxime crederemus acui quorundam ingenia, artes perturbandi Rempublicam ex eorum auctoritate, qui eam regunt, amplecterentur. Quarum artium fundamenta, eum in iis libris, ſparſim peſſimis ea de re præceptionibus editis jeciſſe, ſatis utrique conſtitit remedium nullum certius promptiuſque fore, quam ſi Principum imperium, ac jus populorum, qui eis ſubſunt, ad ſua legitima certaque prima principia referretur, intra certos fines, utrorumque poteſtatem, ea ratione concluſum iri, quos ultra citraque recta Reipubl. adminiſtratio plane non poſsit conſiſtere: neque tradita à Machiavello diſciplina, nempe ab iis principiis prorſus everſa recipi Mihi deinde harum Quæſtionum librum, in quibus hæc principia continentur, atque probantur & exponuntur, miſit quo eas ipſe legerem, & ſententiam de iis meam ſignificarem. Præclare equidem Iunius Stephanus, *qui nihil antiquius habuit, quam ut has Quæſtiones, publici commodi gratia, Chriſtianæque Religionis ſarta tecta tuendi cauſa, magnis laboribus ſtudiiſque perficeret. Eas ego ô Principes viri, Machiavellianis & hominibus & libris, quorum ſceleratis conſiliis Reſpublica in tot civiles diſſenſiones, partes, motuſque, diſſecta eſt, opponi poſſe cenſco, tanquam Principia, quæ vocant firmiſsima, vel columnas, aut Regulas, ejus, hoc præſetim tempore, recte reformandæ & collapſæ, legitima gubernandi ratione denuo ſurſum erigendæ certe piis prudentiaque præſtantibus viris ſumme placituras eſſe confido.*

Tametſi autem Machiavellianos quoſdam, vel Tyrannorum mancipia, in Iunium inſurrecturos non abs re ſuſpicior: quia tamen id hoc nomine facturi ſunt, quod per harum Quæſtionum Principes rationes, ſi vos eas audietis, metuunt malas ſuas artes in ordinem quaſi redactum iri, & ſe à vobis Regibus Principibuſque

buſque, Populoque detegendos: quique eorum iras Brutus, vir magnanimus, aut clandeſtinos ſuſurros curet? Lætetur ille, eorum injuſtitiam, ſcelera, rapinas, fraudes tandem aliquando ad certiſsimam Regum Populorumque ſalutem, in quam unam rem omnibus viribus incumbendum eſt, diligentia curaque ſua patefieri. Quod ſi falſa doceri dicunt, id oſtendant, neceſſe eſt. Sed id quomodo, quæſo, præſtabunt? Nam quæcunque in his Quæſtionibus adferuntur, ea claris equidem, non vero detortis Sacrarum literarum teſtimoniis eſſe certa, demonſtrantur ex morali, Politiceſque ſcientiæ doctrina, & naturæ, ac legum juſsis, juriſconſultorum reſponſis, Imperatorumque reſcriptis confirmantur, diverſarum gentium moribus & inſtitutis adſtruuntur: in illuſtribus ac variis variorum Hiſtoricorum exemplis tanquam in ſpeculo ſpectanda proponuntur. Ad docendi rationem quod pertinet (Philoſophos, ac diſputatores alioquor) ille, quo planius & certius rem oſtendat, ex effectis & conſequentibus cauſas & maximas illas propoſitiones, ſive Regulas, colligit, ob oculoſque ponit, & cognoſcendas exhibet, veluti gradibus quibuſdam ad ſumma conſcendens: ut Geometrarum more, quos hac in re imitari videtur voluiſſe, ex puncto lineam ducat, ex linea ſuperficiem, ex ſuperficie corpus conſtituat, quo genere quidnam oſtendendi, vel probandi, quid clarius, aut brevius, quid denique certius firmiuſque eſſe poteſt? In quibus expendendis ſummam quandam animi moderationem attulit, inquirendæ diligenterque perſcrutandæ rei veritati, tanquam in puteum demerſæ, deditus. Quam erutam ex profundo, & omnium oculis expoſitam, ſi qui nolint intueri, plane ſunt improbi: ſi qui, quam univerſi vident, eam conſpicere nequeunt, plane cæci. Ad hunc ergo modum diſcuſsis illis noſtris Quæſtionibus, dilucide neceſſarioque

que conſequitur: quodnam Principis in populum ſit munus, & quod Populi in Principem jus & officium, *& hæc munera inter ſe diſtincta eſſe, mutua tamen & reciproca. Porro utriuſq; certos eſſe terminos à Deo & natura, Gentiumque moribus conſtitutos; qui tranſibit ſuos, eum graviter in Deum ac leges, iuſque Gentium peccare: his metis tranſgreſſis, manere in Republ. rerum confuſionem; ab ea civilis humaniq; fœderis diſſolutionem; inde Tyrannidem; ex Tyrannide immanem ſeditionem; ex ea, civile bellum radices agere. Conſtituto autem vinculo illo humanæ ſocietatis firmo, atque metis illis ac finibus poſitis, ut Quæſtiones oſtendunt; & eos veris juſtiſque principiis decernunt atque ſtabiliunt, anne Machiavelli doctrina funditus, nulloque negotio, plane corruit? &, uti futilis, impia, & humano generi pernicioſiſsima, radicitus evellitur? Neque fulcra ei ſic ruituræ quiſquam poteſt ſubjicere, quæ illam ullo omnino modo munire queant. Veruntamen eſto liberum Machiavellianis in hanc arenam deſcendere: prodeant. Illis, quæ diximus, ſcripturæ Sacræ, Philoſophiæ de moribus ac Reipub. legum Morum Gentium & Exemplorum veris ac legitimis armis utemur, pedemque cum iis audacter conferemus. Si ſe congreſſuros negant, tam metum ſuum prodent: ſeque eo victos teſtabuntur: Si ſingulare certamen propter arma, cum juſta ſint, tamen detrectant; quid nos cum iis porro pugnemus? Confitemur, neque palam confiteri pudet, nos eſſe Chriſtianos, nec nobis cum ea gente, quæ hæc arma repudiet, commercium ullũ, tanquam cum iis, quibus ſit aqua & igni interdictum, eſſe velle. Iam vero, quoniam, æquitate cauſa deſtituti, nihil equidem ſunt, quod objiciant, habituri, atque falſa eſſe earum Principia diſſertabunt: rationibus, non gladiis, agant. Sin autem vera, cur* ſeditioſas *appellent? Cur Principum manipulos in illas arment?*

ment? An Princeps id quod verum eſt, ignoret? in re maxime, quæ & ſua tanti, & Reipubl. quidem, intereſt? Veritas ſolis ſane tyrannis, qui omnia non ex utilitate publica ſed ex propria libidine metiuntur, quos adeo operoſe illi inſtituunt, ſeditio eſſe poteſt. Sapienti autem pioque ac fideli Principi, quam Quæſtiones iſtæ docent & erudiunt, ſumma tantum virtus.

Sed ut hæc Quæſtionum Principia, & decreta eſſe ſcitis o Principes Pii, Fideles, multo juſtiſsima ſic etiam, ea vos, re ipſa probare, tot illuſtres veſtræ actiones, perpetuumque veſtrum Pacis conciliandæ ſtudium, & tot veſtræ demum expeditiones, clare teſtantur. Itaque par eſt, ut indicato ex his decretis pharmaco & vero remedio, conjunctis una omnes viribus certe tandem aliquando medicandis hujus temporis diſsidiis, & natis inde malis, ſalutares manus adhibeatis. Vos equidem Deus opt. max. iis animis & conſiliis erexit, & Imperatoribus armavit, atque tot gentium favoribus eo uſque beavit, ut & veſtram conſtantiam noſtri temporis adulationibus & veſtram fortitudinem noſtrorum Gigantum audaciæ & hujus denique ſeculi ſocordiæ, virtutem inclytæ veſtræ familiæ, ac gentis, in tot Gallicis perturbatis negotiis, rebus, provinciis, Proceribuſque viris oppuſuerit. Vos igitur harum Quæſtionum principia ſecuti, juſtitiam in Gallia defendendam ſuſcepiſtis, eo exercitum conſcripſiſtis, collegiſtis, duxiſtis. Demonſtrant vero illæ, vos non ſolum id jure potuiſſe, poſſeque facere, verum etiam debere. Nos igitur pro veſtra ſalute vota libenter concipimus, atque ſperamus, vos piis victoriis & rebus illuſtres tandem aliquando compoſita firma pace, contra crudelem illum immaniſsimum Tyrannum Turcam, divino beneficio ex communi omnium ordinum (vos omnes compello Chriſtiani Princi-

pes) decreto , animum , copias , militarem ſcientiam, virtutem , auctoritatem , atque fortunam eſſe converſuros : quo vobis ducibus Reſpublica Chriſtiana de hoſte potentiſsimo , longeque ſuperbiſsimo ad ſummam Chriſti gloriam , Eccleſiæ ſalutem , & Reipubl. quietem triumphet. Iá quod Deus opt. max. faxit , obteſtamur univerſi ſupplicesque poſcimus.

Valete, Kalend. Ianuar.

M. D. LXXVII.

Soloduro.

IMP.
THEODOSIVS
ET
VALENTINVS
*Caeſ. ad Voluſianum prae-
fectum Praetorio.*

DIGNA vox eſt majeſtate regnantis, legibus adligatum ſe Principem profiteri. Adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas, & re vera majus imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum. Et oraculo praeſentis Edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Dat. III. Id. Iun. Rauennae, Florentio & Dionſiyo Coſſ.

IVSTINIVS LIB. II. DE
*Lycurgo Legiſ-
latore.*

Non habentibus Spartanis leges inſtituit, non inventione earum magis, qnam exemplo, clarior. Siquidem nihil lege ulla in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret. Populum in obſequia Principum, Principes ad juſtitiam imperiornm firmavit.

L. SCRIBONIVS Spinter Belga, Lectori.

CONTEMPTOR *Superum Maculoſi nomine notus*
Velleris Etruſcus ſcurra Sophiſta loquax,
Arte mala, Populi Harpyias ſævoſque Tyrannos
Inſtituit, Peſtis maxima Chriſtiadum.
Iunius hoc Reges veros, Procereſque libello
Efformat, Populos & ſua jura docet.
Nempe caput magno Civili in corpore Reges,
Corporis & Populum cætera membra facit.
Membra ſed vi languent, capiti adverſantia: Sanum,
Tuſe erit anne caput, quod ſua membra premit?
Sint igitur Reges Populis re ut fœdere, Leges,
Nominereque Patres juſtitiæque duces.
Totus ad exemplum Regis componitur Orbis,
Rex quoque ſic Populi ſe ſciat eſſe caput.
Hunc veteri Reges referant de more triumphum,
Quod Patriæ Patres, quod Populi ſocii.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

An ſubditi teneantur, aut debeant principibus obedire, ſi quid contra legem Dei imperent?

VIDEBITUR fortaſſe prima fronte hæc quæſtio plane otioſa & inutilis, qua nempe Chriſtianorum axioma certiſſimum, tot Scripturæ ſacræ teſtimoniis: tot ſeculorum exemplis, tot piorum Martyrum rogis comprobatum, quaſi etiamnum controverſum in dubium vocari videatur. Vnde etenim, dices, tot tantæque piorum ærumnæ, ſi ex una hac cauſa quod Deo ſimpliciter & abſolute, Regibus vero, quatenus adverſus legem Dei nil imperent, obtemperandum eſſe, perpetuo judicarint? Quorſum vero alioqui Apoſtolorum reſponſum, *Deo magis quā hominibus parendum eſſe*? Deind. cum ſola unius Dei voluntas perpetuo juſta ſit, cæterorū injuſta ſubinde eſſe poſſit: quis ābigat quin illi uni abſque ulla exceptione, his cum aliqua ſemper exceptione parendum ſit? At certe cum hodie multi Principes exiſtant, etſi Chriſti nomen ii jactitant, qui immenſam potentiam ne ab ipſo quidem Deo pendentem ſibi audacter arrogent, multi adulatores, qui quaſi Deos terrenos eos adorent, multient, qui ſeu metu occupati, ſeu alia vi coacti, nulla in re denegandum eſſe principibus obſequium aut cenſeant, aut cenſere videri velint: & vitium præterea noſtrorum temporum hoc eſſe videatur, ut nil tam firmum ſit, quod non convellatur: nil tam certum, quod non controvertatur: nil tam ſanctum, quod non violetur: vereor ſane, nec cuivis rem accurate perpendenti, non modo non inutilis hæc quæſtio, ſed plane neceſſaria, noſtro præſertim ſeculo, videatur. Mihi certe, cauſam tot tantarumque calamitatum, qui-

quibus abhinc annis aliquot orbis Chriſtianus divexatur, examinanti ſuccurrit illud Oſeæ Prophetæ : *Principes Iudæi iis ſimiles fuerunt, qui terminum movent. Itaq; iram meam aquæ inſtar in eos effundam. Ephraim vero conteritur in judicio, quia impia mandata ſequutus eſt.* Peccatum & Principum, & populi, uno verbo, hic habes. Terminos vero movent ii principes, qui illa juriſdictione non contenti, quam ipſis tribuit Deus opt. max. eam quam ſibi ſupremam in omnes retinuit, vi invadere conantur, quibus inquam, non ſat eſt bonis corporibuſque ſubditorum pro arbitrio & libidine uti, ni etiam miſerorum animas, quod Chriſti merum peculium eſt, ſibi vendicent, qui ſolo non contenti, cælum etiam ipſum audacter aggrediuntur, admotiſque ſcalis invadere conantur : nimirum, ut ait Poeta Ovidius :

Oſeæ, 5. v. 10.

Quæ licet, affectant cælum iſti. Templa Quirinus
Liber & Alcides & modo Cæſar habent.

Populus vero impia mandata ſequitur, qui adverſus legem Dei quicquam jubentibus aut aſſentitur, aut aſſentatur, qui tanquam diis thura quodammodo adolet, qui ſolium Dei affectantibus, cum poſſit, non repugnat : qui quæ proprie Dei ſunt Cæſari tribuere non veretur. Nemo vero eſt, qui hæc non videat. Si quis principi impia jubenti non obtemperat, continuo rebellis, perduellis, Maieſtatis reus habetur. Iis calumniis petebatur Chriſtus, iiſdem Apoſtoli & primi omnes Chriſtiani. Si quis, *Eſdr.* 4. aut *Nehemiæ*. 5. *v.* 7. exemplo templum Domini extruere parat, regnum affectat, res novas molitur, in remp. cuniculos agit. Obſtrepere vero Regibus continuo adulatores innumeros audias, ſi ſemel reſtauratum fuerit templum iſtud actum eſt de regno: non eſt, quod ulla amplius tributa, aut vectigalia ab iſtis hominibus expectes. Quæ

vero

vero iſthæc inſania eſt? Eæ demum Reſpublicæ firmæ cenſendæ ſunt, quarum in medio Templum Dei collocatum eſt, quæ ipſæ templum Dei ſunt. Ii principes vere regnant, qui cum Deo regnant. At contra quæ cacozelia hominum eſt, nec Rempublicam bene conſtitutam; niſi everſo templo, nec Regnum, niſi expulſo, ſi fieri poſſit, Deo opt. max. tutum firmumq; putarit? Hinc vero tot Gigantæi auſus, & Gigantæorũ conſimiles exitus, tot Principũ exitia, tot Gentiũ excidia. Quod ſi noſſet ii, quid inter Deum & Cæſarem interſit, inter Regẽ regum & Regem, inter Dominum & vaſallũ, quid ſibi ille à ſubditis tributi nomine poſcat, quid ipſis in ſubditos permittat? procul dubio neque tot Principes regnum Dei turbare conarentur, neque etiam in ipſo conatu, juſta Dei judicis & vindicis ira, proprio regno deturbarentur. Neque vero prætcrea tot calamitates, direptiones, vaſtationes populus pateretur. Intereſt ergo ptincipum ſcire, quatenus imperare debeant: ſubditorum quatenus parere, ne aut illi alienam juriſdictionem invadendo, aut hi extra juris dictionem jus dicendi parendo in pœnam incidant. Hic vero eſt quæſtionis propoſitæ ſcopus, cujus ſacram præcipue ſcripturam judicem faciemus. *Sap. 7.*

Quæritur, *an ſubditi teneantur Regibus obedire, ſi quid adverſus legem Dei imperent?* id eſt, utri potius, Deo, an Regi obediendum ſit. De Rege, cujus ampliſſima cenſetur poteſtas, ſi conſtiterit, de cæteris magiſtratibus eadem via conſtabit. Primum docent ſacræ litteræ, Deum ſuapte auctoritate regnare, Reges quaſi præcario, Deum per ſe, Reges per Deum, Deum juriſdictione ſua uti, Reges delegata tantum. Sequitur itaque, *Sap. 6. Prov. 8. ob. 12. &c.* Dei immenſam eſſe juriſdictionem, Regum dimenſam, Dei infinitam

potentiam, Regum præfinitam; Dei Regnum nullis limitibus circumſcriptum eſſe, Regum contra certis regionibus regi, certis cancellis terminari. Deinde Deus ex nihilo creavit cœlum & terram. Itaque is jure cœli & terræ dominus eſt, & vere proprietarius. Quicunque vero terram inhabitant, ejus tanquam coloni ſunt & emphyteutæ: quicunque in terra jus dicunt, & aliqua ratione terris præſunt, Dei beneficiarii & clientes ſunt, ab eoque inveſtituram capere & agnoſcere tenentur. Deus denique ſolus proprietarius eſt, ſolus dominus: homines omnino omnes, quo gradu tandem ii ſint, coloni, villici, miniſtri, vaſalli, qui quo ampliores fructus percipiunt, eo majorem cenſum debent: quo majori auctoritate potiuntur, eo ſeverius rationem reddere tenentur: quo clariorem honorem conſequuti ſunt, eo graviori oneri ſunt obnoxii, quod & Scriptura ſacra paſſim docet, & pii omnes, imo præſtantiſſimi quique Ethnici ſemper agnovere.

Pſal. 24. *Domini*, ait David Rex, *eſt terra & plenitudo ejus*: ac ne homines ſuis vomeribus ſacrificent, nil terra abſque cœli pinguedine proferre ſolet. Ideo vero Deus ſibi à ſuis omnium frugum primitias conſecrari poſcit: & Ethnici ipſi ultro dicavere, quibus ſeſe colonos ipſum vero Dominum profiterentur. *Cœlum Domini ſolium eſt*, ait rex Salomon, *terra ſubſellium*. Itaque cum reges omnes ejus pedibus ſubjecti ſint, non mirum, ſi Deus Rex regum, & Dominus dominantium: Reges vero omnes, miniſtri regni ejus, juri dicundo conſtituti, vocitentur. *Per me*, inquit Dei ſapientia, *reges regnãt, & principes judicant terram*. At ni faxint, ſolvo ego baltheum regum, & cingo renes eorũ cingulo, ac ſi diceret: Meum eſt ſtabilire reges in ſolio, aut deturbare pro meo arbitratu. Hinc ſolium Regum, ſolium Dei dicitur *Benedictus*,

Eſa. 66. *verſ* 1. 1. *Reg.* 8. *Sap.* 6. *verſ.* 1. *Prov.* 8. *v.* 15. *Iob.* 12. *v.* 16. *Dan.* 2. *verſ.* 21. 1. *Chron.*

dictus, ait Regina Sabæ Salomoni, *Deus tuus,* c.9.v.8.
qui te poſuit, ſuper ſolium ſuum, ut regem loco 2. Chro. c.
domini Dei tui. ut facias judicium & juſtitiã. 29.v.23.
Sic & Salomonem alibi in throno Domini
aut throno regni Domini collocatum legim⁹.
Eadem ratione Populus ipſe, Dei Populus &
hæreditas perpetuo dicitur: Rex vero admi- 1.Sam.c.
niſtrator ejus hæreditatis, & dux populi Dei 9.v. 16.c.
quo titulo David, Salomon, Ezehias & cæteri 10. verſ. 1.
pii Principes nominatim afficiuntur. Cũ vero 2.Sam.c.
ſancitur fœdus inter Deum & Regem, ea con- 6.verſ.21.
ditione ſancitur, ut Populus ſit, & perpetuo
maneat Populus Dei, nempe ut oſtendatur,
Deum ſua ſe proprietate & poſſeſſione non e- 2. Reg. c.
xuere, cum Populũ regibus tradit: ſed regen- 20.verſ.5.
dum, curandum, paſcendum tradere non ſe- 2. Chro. c.
cus ac is, qui gregi paſtorem, elegit, gregis ni- 1.v.9.& c.
hilominus dominus manet. Hoc perſpicue a- 2. Reg. c.
gnoverunt pii reges, David, Salomon, Ioſa- 11.
phat & cæteri; qui etſi Deum Regnorum & 2.Chro.c.
Gentium Dominũ agnoſcebant, nihilo tamen 33. v.16.
minus regnabant; imo eo magis quo alacrius 2.Chro.c.
Deo ſerviebant. Hoc idem Nabuchodonozor 20. v.6.
ipſe, quantumvis Ethnicus & potens Monar-
cha, tandem profitetur: quem cum Daniel *Re-
gem regum* vocaret, cui Deus cælorum, regum
potentiam, & gloriam dediſſet. *Quin imo*, ait,
*o Daniel, vere Deus tuus eſt Deus Deorum, &
dominus Regum, qui regna tradit quibuſcunque
vult vel omnium hominum uiliſsimis.* Pro- 1.Chro.c.
pterea vero & Xenophon ipſe in inauguran- 29. v.11.
do Cyro Deo inprimis litatum dicit: & paſſim
Ethnici etiam auctores Deum opt. max. regẽ
ſummum prædicant. Hodie vero in Chriſtia-
norum Principum inauguratione, ii perpetuo
Dei famuli, Populo ſuo regundo deſtinati nũ-
cupantur. Cum itaque reges, Dei vicarii tan- Dan.c.2.
tum ſint, in Dei ſolio ipſo auctore conſtitu- v.37.c.4.
ti, Populuſque ſit Dei Populus; nec vero vi- v.14.
cariis, niſi eorum, quorum perſonam gerunt,

cauſa honos deferatur : ſequitur procul dubio, regibus propter Deum, non adverſus Deum; Deum ſervientibus non adverſantibus; Dei jura tuentibus, non invadentibus, obtemperandum.

Hic objiciant forte nobis aſſentatores aulici; *Deum ſuam omnem in reges auctoritatem contuliſſe, cælum ſibi retinuiſſe, terram agendam ferendamque pro libito regibus tradidiſſe: Cæſarem denique diviſum cum Ioue imperium habere.* Digna ſane vox Cleone aliquo impuriſſimo Alexandri adulatore, aut Martiale, qui Domitiani edicta, *Domini Dei que edicta* vocare non veretur. Digna & nefandiſſimo Principe Domitiano, quem Dominũ Deumque etiam vocari voluiſſe Suetonius narrat. At certe & pii Principis auribus & piorum ſubditorum ore prorſus indigna. Manet ſemper illa DEI omnipotentis ſententia: *Non dabo nomen meum alteri, non transferam gloriam meam in alium*, id eſt, non eam cuiquam potentiam tradam, quin ſummum jus mihi perpetuo recipiam. Deus ſua ſe potentia & auctoritate nunquã exuit. Sceptrum in manu tenet, quo frementes reges compeſcat & contumaces conterrat. Librã in altera, qua jus iniq; diſtribuentes examinet. Supremi vero imperii nulla certiora ſigna dari poſſunt. Quod ſi aut Imperator, cum Regem aliquem creat, ſalvo ſemper ſummo imperio id facit: aut Rex, puta, Franciæ, cum extraneo, vel etiam fratri filiove ditionẽ regendam poſſidendamve tradit: caſus regios animadverſionem Regiam & ſupremũ dominatum perpetuo recipit, quin & ſi minus in formula inveſtituræ fiduciæ expreſſerint, ipſo jure excepiſſe putantur. Quanto verius Deus in omnes Reges, in ſervos, inquam, & miniſtros, eam ſibi auctoritatem retinet, à quibus & rationem eum repoſciturum, & pœnas de iis ſumpturum, ſi ſuo

Eſa. 48. *v.* 11.

Pſal. 2. *Sap.* 6.

ſuo officio male fungantur, toties legimus? Reges itaque regis regum vaſalli ſunt, per gladium regiæ auctoritatis inſigni, inveſtiti, ut eo gladio legem divinam tueantur, bonos protegant, malos perdant, non ſecus ac per enſem, ſcutum, vexillum vaſallos à Domino ſuperiori feudo inveſtiri videmus, ea lege, ut ei iiſdem armis, quandocunque opus fuerit, militent. Vt vero vaſallos eos definiamus, & quæcunque vaſallis, regibus apprime etiam conveniunt. Vaſallus feudũ à domino ſuperiore accipit, cũ munere juris dicendi & onere militiæ conjunctum. Rex regum à Deo ut judicet Populum ſuũ, & adverſus hoſtes tueatur Vaſallus legẽ & conditionẽ à domino ſuperiori accipit. Rex à Deo jubente, ut legem ſuã perpetuo obſeruet, & ante oculos habeat. Si fecerit, tum ipſum, tum poſteros regnũ diu poſſeſſuros; ſin contra, contrarium experturos. Vaſallus ſeſe domino ſuperiori jurejurando devincit, fidemque & obſequium promittit. Rex pariter ex legis divinæ præſcripto ſeſe imperaturum jurat. Vaſallus denique, ni juſiurandum ſervet, feudum committit, ipſoque jure ſeſe omni prærogativa privat. Rex quoque ſi Deum negligat, ſi ad ejus hoſtes transfugiat, ſi feloniam adverſus Deum committat, & ipſo jure regnum committit, & ex facto plerunque amittit. Hæ: ex fœdere inter Deum & regem fieri ſolito (confœderatorum enim nomine ſervos ſuos dignatur Deus) perſpicua erunt. Duplex autem fœdus in Regum inauguratione legimus: primum, inter Deum & Regem, & Populum, ut eſſet Populus, Dei Populus. Secundum vero, inter Regem & Populum, ut bene imperanti bene obtemperaretur. De ſecundo poſtea videbimus: de primo hic nobis agendum eſt.

1. Sam. c. 8. & c. 9. v. 20.

Deut. 17.

In Ioæ inauguratione legimus ſanctum fuiſſe fœdns inter Deum & Regem & Populum,

Fœdus inter Deum & Reges. aut, ut alibi dicitur, inter Ioiadam ſummum
ſacerdotem, & univerſum populum & Regē,
ut eſſet populus Dei. Similiter Ioſiam & uni-
2. Reg. 11. verſum Populum fœdus iniiſſe cum Deo. Vn-
2. Chro. 23. v. 16. de intelligimus in hoc fœdere faciundo ſtipu-
latum fuiſſe ſummum ſacerdotem Dei nomi-
2. Reg. 18. ne, à Rege & Populo, tanquam verbis conce-
ptis. *An non curaturi eſſent, ut Deus pure &
rite in regno judaico coleretur. An non ſcilicet
ita regnaturus eſſet Rex ut populum Deo ſervire
ſineret, inq; Dei lege contineret.* Deinde, *an non
ita populus Regi obtemperare vellet, ut nihilo
ſecius Deo inprimis obſequeretur. Regem vero
& populum tanquam reos promittendi, in legem
Dei juraſſe, ſeſeque ſolemni ſacramento Deo co-*
2. Chro. c. 23. v. 16, 17. *lendo inprimis obligaſſe.* Vnde ex facto, cum
primum iſtud fœdus ſancitum eſt, Ioſias &
Ioas deſtruunt idololatriam Baal, & cultum
Dei reſtituunt. Capita vero fœderis hæc erant
in ſumma: Vti cum rex ipſe, tum etiam Popu-
lus univerſus, Deum ex legis ſuæ præſcripto,
& ſinguli colerent, & univerſi colendum cu-
rarent: ſi facerent, Deum ipſis affuturum rei-
Deut. 29. 30. 31. c. que publicæ illorum præfuturum. Sin minus,
miſſos facturum & diſperditurum, quod ex
Deut. 31. v. 26. multorum ſcripturæ locorum collatione ap-
paret. Moſes moriturus, eas conditiones fœ-
Ioſ. c. 1. deris univerſo Populo recēſet, moxq; legem,
id eſt, ipſa pacta conventa Domini, in Arca
fœderis aſſervari præcipit. Moſe vita functo,
Ioſue conſtituitur Dux Populi Dei. Dominus
itaque ipſe eum admonet, ſi res ſuas proſpere
gerere velit, ne à lege latum unguem recedat.
Deut. 37. v. ult. Is vero cum primum Iſraelitæ terram Chana-
an ingreſſi ſunt, ut palam eis faciat, qua con-
Ioſ. c. 5. ditione in eā poſſeſſionē à Deo mittantur ſa-
Ioſ. c. 24. crificiis rite peractis, legem corā univerſo Po-
pulo legit, moxq; mira, ſi iis pactis ſtarēt, pol-
licitus: dira, ſi negligerent, minatꝰ. In ſumma,
ſi legem ſervarēt, proſpere rē geſturos: ſin ſe-
cus,

cus, diſjectum ac peſſundatum iri obteſtatur. Idem quoque moriturus, & evidentius quidem. Quotieſcunque vero eam deſerunt, in manus Chananæorum traduntur, & Tyrannis mancipantur. Iam idem omnino fœdus, quod inter Deum & Populum ſub judicibus fuit, ſub Regibus & cum Regib. obtinuit. Poſtquam Saul unctus, electus & plane conſtitutus eſt, Samuel his verbis Populum affatur. *En Regem quem elegiſtis, & petiiſtis. Ecce* 1. *Sam. c.* 2.
Deus poſuit eum Regem ſuper vos, Obedite & ſervite Deo tam vos, quam Rex veſter qui eſt ſuper vos. Alioqui & vos & Rex veſter peribitis. Quaſi dicat: Voluiſtis Regem, Deus hunc vobis regem dedit. Ne tamen putetis Deum quidquam de ſuo jure imminui velle, velim intelligatis, Regem non ſecus ac vos huic legi cuſtodiendæ devinctum eſſe, ac, ni fecerit, eandem pœnam paſſurum: denique Saulem eſſe Regem quidem vobis datum, qui in bellum, ut cupiiſtis, vobis præeat, at ea lege, ut legem Dei interim ſequatur.

Ejecto Saule, quod pacto non ſtetiſſet, Da- 1. *Reg.* 1.
vid eadem lege Rex conſtituitur, ut & Salo- 2. *v.* 4.
mon quoque Davidis filius. *Si legem meam* 2, *Reg. c.*
obſervaris, ait Dominus, *ego confirmabo tecum* 6. *v.* 12.
pactum? quod pepigi cum Davide. Quodnam 2. *Chronic.*
vero hoc eſt pactum? Extat in lib. Paralip. his *c.* 6. *v.* 16.
verbis: *Nunquam avelletur à facie mea ſucceſ-* *c.* 7. *v.* 17.
ſor ex tua ſtirpe in ſolio Iſraelis, modo filii tui 1. *Reg. c.*
obſervent legem meam tuo exemplo. Sin vero 23. *v.* 2.
idolis ſerviant, expellã vos è terra, quam vobis poſſidendam dedi, &c. Hinc liber Legis tempore Ioſiæ repertus, vocatur *liber fœderis Domini* (quem Deus Sacerdotes regi tradere jubet, proindeque Samuel Sauli tradit) ex cujus *Deut.* 10.
præſcripto Ioſias ipſe init fœdus coram Do- *v.* 18.
mino. Hinc etiam Lex, quæ in arca ſervaba- *Sam. c.* 12.
tur, vocatur. *Factio Domini cum filiis Iſrael.* *v.* 25.
Denique Populus ſervitute Babylonica libe- 2. *Chronic.*

6. *v.* 15. ratus, fœdus cum Deo renovat, & quod pactu
Nehem. 9. Domini violaſſet, tot ſe calamitates merito
paſſum agnoſcit. Perſpicuum ergo eſt, Reges
tanquam vaſallos in legem Dei, tanquam ſu-
perioris omnium Domini, jurare. At vero,
quod antea attigimus, ſi fidem non ſeruant, ſi
legem violant, ut illos feudum propter felo-
niam, ſic hos regnum committere legimus.

Iudic. 9. Diximus idem eſſe fœdus inter Deum &
v. 33. *Iu-* Reges Iudæorum, quod ante inter Deum &
dic. c. 2. *v.* populum ſub Ioſue & Iudicibus. Videmus ve-
24. *c.* 4. ro paſſim populum, ſi quando legem neglexit,
v. 1. *&c.* aut fœdus pepigit cum Baal, mancipatũ fuiſſe
1. *Sam. c.* ſervituti Regum Chanaam, Labini, Eglonis &
13. *v.* 13. cæterorum. Vt autem idem fœdus eſt, ita ea-
1. *Sam. c.* dem eſt fœdifragorum pœna. Saul contra
15. *v.* 36. quam lege Dei ſancitum erat ſacrificia tracta-
re audet, mox etiam contra diſertum Domi-
ni mandatum Agagum Regem Amalecitarum
ſeruat. Propterea & rebellis vocatur à Samu-
ele, & rebellionis demum pœnas luit. Sacri-
ficaſti tu, ait. At præſtitiſſet te obſequutum
eſſe Deo. Obſequium enim præſtat ſacrificio,
Reieciſti Dominum Deum tuum, at ipſe te re-
jicit, ne amplius regnes ſuper Iſraelem. Adeo
vero hoc juris obtinet, ut non ſecus ac prop-
ter Majeſtatis, affectative proprie regni cri-
men filii paterno feudo privantur, non ipſi
modo Reges, ſed ipſorum adeo liberi eaſdem
2. *Reg. c.* ob cauſas regno ſpolientur. Salomon à vero
11. *v.* 33. Deo ad idola deficit. Ahias Propheta, Regnũ
Iſraeliticum continuo ſub Roboamo filio di-
viſum iri prædicit. Complectitur denique
verbum Domini ac decem tribus pars regni
potiſſima, à Roboamo, ad Ieroboamum ejus
ſervum deficit. Cur ita vero? *Quia* ait Domi-
nus, *defecerunt á me ad Aſtaroth, Deum Sido-
niorum, & Chamos Deum Moabitarum*, &c.
diſrumpam ego viciſſim regnum eorum. Ac
ſi diceret: Pactum violarunt, conditionem
non

non impleverunt: neque ego itaque amplius teneor. Majeſtatem meam imminuere volunt: ego regnum ipſorum vere imminuam. Cum ſervi mei ſint, me à meo regno ejicere ſtudent. At ego per Ieroboam, per ſervum, inquam, eos regno ejiciam. Quid vero, cum hic idem ſervus veritus, ne populus Dei colendi deſiderio, Hieruſalem revertatur, vitulos in Bethel erigit, & occaſionem peccandi Iſraeli offert? cum, inquam, Populum Dei à Deo, ſervum ab hero abalienat & adducit? quænam tandem eſt tam ingrati clientis in patronum, tam nefandi plagiarii pœna? Moritur ei primum filius, deinde univerſa ejus gens per Baaſæ facinus, extirpatus ad ultimum maſculum uſque, Propheta illa idcirco fieri proteſtante, quod à domino ſuo defeciſſet. Eſt igitur cauſa hæc & frequens, & idonea, propter quam Rex feudo à Deo accepto privetur, ſi legem Dei oppugnet, & à Deo ad ipſius hoſtes, ad deos, inquam, gentium transfugiat. Et ut paria crimina pares pœnæ decent, conſimilem omnium Regum Iſraelis & Iudæ, qui talia patrarunt, exitum, ſummum, in ſacris literis legimus. Tametſi mutata eſt & Eccleſiæ Iudaicæ, & Regni quoque ipſius forma, cum qui prius Iudæa terminabantur, per totum orbem diffuſa eſſe poſſint: de Regibus tamen Chriſtianis idem prorſus dicendum eſt. Euangeliũ ſucceſſit legi, Reges Chriſtiani Iudaicorum loco ſunt. Idem pactum eſt, eædem conditiones, eædem pœnæ ni impleantur, idem vindex perfidię Deus omnipotẽs. Vt illi denique legi, ſic hi Euangelio obſervando, tenentur, cujus propagationem ſinguli in primis & ante omnia ſe curaturos ſpõdent, cum inaugurantur: Herodes Chriſti Domini Regnũ, quod provehere debuiſſet, reformidans, Chriſtum ipſum, quaſi regni affectati damnat. En verò & miſere perit, & regnum ipſe

ipſe ſuum perdit Iulianus à Chriſto ad Gentiles transfugit. At paulo poſt idem Galilæi (ita.n.Chriſtum probroſe vocabat) vindicem dexteram experitur. Plenæ vero ſunt ſuperiorum ſeculorum hiſtoriæ conſimilib. exemplis, quæ nec noſtro etiam ſeculo nobis deſunt. Aliquot ab hinc luſtris plerique Reges Babylonicis poculis inebriati, Chriſti hoſti adverſus Chriſtum Lupo adverſus agnum militarunt, ut etiamnum plerique militant. Vidimus vero nonnullos, in flagranti crimine, in ipſoque adeo, quod agitabant, ſcelere periiſſe: quoſdam etiam à triumpho in tumulum elatos fuiſſe. Nec cæteros melior manet exitus. Stat nempe perpetuo hæc ſententia:

Pſal. 2. Pſ. 110. Apocal. c. 19. *Conjurent licet omnes reges terræ adverſus Chriſtum, & Agnum noſtrum diripere conentur, neceſſe eſt tandem illos manum cedere, pedibus Chriſti ſubjici, & Agnum Regem Regum, & dominum dominantium, velint, nolint, confiteri.* Quid vero de Regibus Ethnicis ſtatuemus? Proculdubio & ſi ii extrinſecus non unguntur a Deo, ſunt tamē ejus vaſalli, & ab eo uno potentiam ſuam acceperunt, ſeu forte, ſeu alia quavis forma eligantur. Si ſuffragio: Deus regit corda hominū, & dirigit quo ipſe vult. Si vel ſorte: ſors conjicitur in ſinum, inquit

Prov. 10. Salomon, & judicium ejus à Domino. *Is perpetuo unus eſt, qui pro ſuo arbitrio Reges tollit, & ſtatuit, firmat & evertit.* Hac ratione Cy-

Dan. 2. v. 21. Eſa. 45. Dan. Rom. rum unctum Domini vocat Eſaias. Daniel vero Nabuchodonozor & cæteros à Deo potentiam accepiſſe ait, ut & Paulus, omnes omnino magiſtratus. Etſi enim Deus legem ſuam non ita diſerte his atque illis commendarit: eſt tamen quod agnoſcant, ſe, quod regnant, Deo ſupremo Regi debere. Itaque ſi tributum eo nomine Deo perſolvere minus curent: ſaltem quod Deo a ſubditis debetur, intercipere & avertere ne tentent, aut ulla alia in re divi-

nam

nam ſibi juriſdictiõné arrogent. Id vero proprie affectati regni crimen eſt, quod Deus in ipſos reges Ethnicos graviſſime ultus eſt Principes, ne in tam atrox crimen incidant, ſuam à divina juriſdictionem in primis diſtinguant neceſſe eſt; & eo quidem accuratius, quod in eodem ſolo, in eadem re, in homine, inquam, Deus & Rex, jus ſuum ambo capiunt. Conſtat homo ex corpore & anima, Deus corpus finxit, & animam quoque inſpiravit. Vtroque ergo optimo jure uti ſolus poterat. Quod ſi liberaliter indulſit Regibus, ut ſubditorum corporibus boniſque, ad eorundem tamen conſervationem, uti poſſint: meminiſſe ſane debent, uſum, non abuſum, concedi. In primis vero nil quod animæ, tributi nomine imperent, habere ſe, qui ſuam ipſi Deo tributariam profiteri teneantur. Rex capit tributum cenſumue à corpore, iiſque quæ corporis miniſterio acquiruntur coluntur ue: Deus ab anima præcipue, quæ ſuas etiam functiones per corpus exercet. Ad tributum illud pertinent fructus, nummorum penſitationes, & cætera onera tum realia, tum perſonalia. Ad hoc preces, ſacrificia, conciones, cultuſque adeo divinus, tum privatus, tum publicus. Quæ quidem adeo diverſa & diſtincta ſunt, ut neutrũ alteri officiat: fiſcus Dei Cæſaris fiſco nil adimat, ſed cuique jus ſuum conſtet. Denique cælum terræ miſceat, omniaque in antiquum chaos reducere velit, qui hæc confundat. Hæc optime dinſtixit David, qui alios officiarios deſtinavit in rem Dei, alios in rem Regis. Sic & Ioſaphat alios in judicium Jehovæ, alios in litem Regis, id eſt, alios qui cultum Dei, alios qui jura Regis tuerentur: Quod ſi utrumque tributũ ſibi vendicat Princeps, perinde ac ſi Gigantum more, cœlum petere & ſcandere conetur: Regni affectati reus eſt, & non ſecus ac vaſallus, qui regalia jura

1. Chroniq 26. v. 29.

2. Chroni. c. 29.

jura invadit, feudum comittit, ac eo ſæpiſſime ſpoliatur: & eo æquius, quod ea ea vaſalli ad dominum ſuperiorem aliqua: Regis ad Deum, homuncionis ad omnipotentem nulla poteſt eſſe proportio. Quotieſcunque enim Princeps
Eſa. c. 34 v. 22. aliquis inſolenter dicit: Ego ſcandam cœlum, extollam ſolium meum ſupra ſtellas Dei & ero ſimilis altiſſimo: At ego contra, Deus inquit, extollam me ipſum, inſurgam adverſus te & exſcindam nomen tuum ad ultimos
Exod. c. 5. & 8. & c. nepotes uſque. Et tua quidem: conſilia evaneſcent: quod vero ſemel decrevi, mutari non poteſt, aut in caſſum cedere. Dicit Dominus Pharaoni. Dimitte populum meum, ut mihi ſerviat, ut mihi ſacra faciat. Quia vero faſtu tumidus Deum illum ſibi notum non eſſe reſpondet, præceps ruit. Nabuchodonozor vult ſtatuam ſuam coli, ſibique divinos honores exhiberi. Confeſtim effrenem miſeri homuncionis audaciam reprimit Deus. Qui Deus videri volebat, homo eſſe deſinit, & avia deſertaque loca aſini inſtar oberrat, Eo uſque
Da. c. 4. dum, ait Daniel, Deum Iſraelis ſupremum
Da. c. 5. v. 23. omnium Dominum, agnoſcat. Balthaſar ejus filius, ſacris Templi vaſis divino cultui ad ſuã ebrietatem abutitur. En vero quia Deo gloriam non tribuit, cujus in manu a ejus omneſnimque viæ erant, regno peſſundato, eadẽ once trucidatur. Alexander Magnus adulato-
2. Machab. c. 1. v. 43. rum voce delectabatur, qui Iovis filium eum eſſe, & adorandum propterea affirmabant. En vero inchoatos quaſi de domito orbe triumphos, præpropera mors interſecat. Antiochus veniendi regni prætextu, unũ quenque Legem Dei miſſam facere, & ſuam ſequĩ jubet. Templum Iudæorum prophanat, altaria polluit. At multas calamitates, clades, ſtrages expertus, fractis proſtratiſque viribus animi mœrore tandem conficitur, in eoque quod Iudæos ad impietatem adigere voluiſ-

ſet, tam gravia ſe pati profitetur. Denique ſi repetamus, quis Neronis exitus fuerit, qui Chriſtianos urbis incendio inſimulatos ſcelerate contrucidavit: quis Caligulæ, qui ſibi ſacrificia inſtituit: quis Domitiani, qui Dominus Deuſque vocari voluit: quis Commodi & eorum omnium, qui honores ſoli Deo debitos, aut ſibi vendicare, aut Deo tollere voluerunt: exitialem eorum perpetuo exitum comperiemus. Contra vero Traini, Hadriani, Antonini Pii, & cæterorum ejuſmodi ſatis proſperum: qui ſi minus Deum coluerunt, Chriſtianis ſaltem ſuo more colore permiſerunt. In ſumma, ut vaſalli rebelles, regnumue affectantes, & ſupplicium extremum merentur, & feudum ipſo jure committunt: ita & hi, qui aut legem Dei ex pacto obſervare nolunt, aut obſervare volentes inaudita cauſa perſequuntur. Cum itaque videamus eodem fere modo Reges à Deo Regno inveſtiri, quo vaſallos à domino ſuperiore, feudo, iiſdem de cauſis eo beneficio privati: eodem ferme loco hos, quo illos eſſe Reges omnes Dei vaſallos eſſe, omnino ſtatuendum eſt. Hoc vero poſito, quæſtio noſtra facile finietur. Sin. Deus eſt Domini ſuperioris loco, Rex vaſalli: quis non Domino potius, quam vaſallo, obediendũ pronunciet? Si Deus hoc præcipit, Rex contra: quis Regi adverſus Deũ obſequium denegantẽ rebellẽ judicet? Imo vero quis non rebellionis damnet, ſi aut Deo ſegnius pareat, aut Regi ea in re pareat. Deniq; ſi hinc Rex, illinc Deus ad delectũ nos vocet: quis Regem, ut Deo militemus? deſerendũ nõ ſtatuat? Ergo non modo non tenemur obedire Regi contra legem Dei quid imperanti, verum etiam ſi obediamus rebelles ſumus, non ſecus ac ſi adverſus Regem colonus, proſeniore Regis vaſallo, arma ſumeret, aut edicto ſuperioris, quam inferioris; Vicarii, quam

quam Principis: Miniſtri, quam Regis obedire mallet. Ac propterea incidimus in execrationem Micheæ Prophetæ, qui Dei voce eos omnes, qui impiis Regum mandatis obſequuntur, deteſtatur, & diris devovet. Legem Dei quum dicimus, intelligimus duas Legis tabulas Moſi traditas, quibus tanquam limitibus immobilibus, auctoritas Principum omnium circumſcribi debet. Prima Dei cultus, ſecunda officium erga proximum continentur: prima, inquam, Pietas, ſecunda Iuſtitia Charitati conjuncta, quibus Euangelii promulgatio non modo non derogavit, verum etiam auctoritatem adiunxit. Prima autem ut ordine, ita & dignitate prima cenſetur. Si quem innocentem Princeps occidi jubeat, ſi quem ſpoliari, ſi cui vim inferri, nemo cui vel tantillum conſcientię ſuperſit, parére velit. Si ſcelus ſuum, adulterium puta, parricidium, aut quid ſimile, comprobari flagitet, prodibit inter ipſos Ethnicos Papinianus aliquis, qui Caracallam coram reprehendat, & mori, quam parere malit:

--- Phalaris licet imperet ut ſit
Falſus, & admoto dictet periuria Tauro.

falſum teſtimonium dicere non ſuſtinebit. Quid vero, ſi nos Princeps cum idolis commercium habere jubeat? ſi Chriſtum crucifigere? ſi Deum ejurare, execrari, & quantum in nobis erit, cœlo pellere, an non multo æquius parere detrectabimus? Quin potius quia non ſatis eſt abſtinere à malo, ni faciamus etiam bonum, non modo idola non colemus, verum Deum eo modo, quo præcipit, colemus: nec modo Baali non procumbemus, verum Deo ſacra faciemus, qualia à nobis requirit. Etenim Deum quidem colere tenemur propter ipſum; at Principem honorare, ut & proximum amare, propter Deum. Quod ſi vero proximum lædere ſcelus eſt, ſi

Prin-

Principem violare, piaculam cenſetur, quo tandem nomine tantum tamque atrox crimē cenſebimus, quo ipſa ſupremi omnium Domini Majeſtas petitur? In ſumma: ut longe gravius eſt creatorem, quam creaturam, hominem quam imaginem lædere, & in jure gravior eſt pœna ejus, qui Majeſtatem Regiam læſerit, quam qui ſtatim ei dicatam fregerit. ita non dubium eſt, quin eos, qui primam legis tabulam violant, gravior & atrocior vindicta, quam qui ſecundam, maneat, (etſi una ab altera pendet) adeoque cautius adhuc in illa, quam in hac agendum ſit. Exempla vero majorum docere nos poſſunt, quæ cautela hac in re ſit adhibenda. Achabus Rex, Iezabele uxore inſtigante, Prophetas Dei undequaque comprehenſos occidi jubet. Abdias nihilominus, aulæ magiſter, eos 1 *Reg.c.* 18
abſcondit & alit. In promptu excuſatio eſt. In omni obligatione, quantumuis ſtricta, Deus perpetuo excipitur. Achabus idem omnes Baali ſacrificare jubet: Elias nihilo ſegnius arguit Regem, arguit Populum, ſacerdotes Baal impietatis conuictos ad necem poſcit. Inuito denique Rege uxorio, frementeque impia uxore cultum veri Dei reſtituere conatur. Sin 1. *Reg.c.*
Achab objicit quod hodierni Principes ſolēt, 18. *v.* 17.
quod Iſraelem turbet, quod rebellis, quod ſeditioſus ſit, ut omnium, qui crimine vacant, hoc eſſe crimen ſolet: Imo vero, reſpondet, *Tu is ipſe es, qui Iſraelem tua rebellione turbas, qui à Domino tuo ad hoſtes, à Deo vero ad Deos alienos transfugeris.* Eodem modo Sidrach, Miſach & Abgenago, Regi Nabuchodonozor parere nolunt, ut neque Daniel Dario, *Dan.c.*6.
Eleazar Antiocho & innumeri alii. Poſt vero *Dan. c.*3.
Chriſti adventum, cum jubentur Apoſtoli *Act*, 4.
Euangelii prædicationem omittere. *Iudicate,* *v.* 19.
ajunt, *utrum juſtum ſit coram Deo, vobis potius, quam Deo obedire.* Iam modo mandatum

Amb. Epiſt 33. *Euſeb.*

tum Chriſti impleant, quid Reges ſentiant, ſuſque deque habent. Id denique Iudæi Aquilam argenteam ſtatuamque Caligulæ in templo collocari non ferunt. Quid vero Ambroſius, jubente Valentiniano Imperatore, ut baſilicam Mediolanenſem Arrianis traderet? Convenior, inquit, à comitib. & tribunis, ut Baſilicæ fieret matura traditio, dicentib. Imperatorem jure ſuo uti, eo quod in poteſtate ejus eſſent omnia, reſpondi: Si a me peteret, quod meum eſſet, id eſt fundũ meum, argentum meum, jus hujuſmodi meum non refragaturum: quanquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verum ea, quæ ſunt divina, Imperatoris poteſtati non eſſe ſubjecta. Quid vero putamus reſponſurum eum fuiſſe, ſi de vivo Dei templo idolis mancipando conſultus fuiſſet? Exempla hæc & innumerorum Martyrũ, qui mori, quam parere maluerunt, quibus plenæ ſunt Hiſtoriæ, legis diſertiſſimæ inſtar eſſe poſſint. At ſane ne lex quidem diſertis verbis concepta nobis deeſt. Quotieſcunque enim Apoſtoli Chriſtianos monent, ut Regibus & Magiſtratibus pareant, quaſi de induſtria faciant, Deo parendum in primis & ante omnia præmonent: præpoſteri iſtius obſequii, ad quod adulatores Principum ſimplices cohortantur, nuſquam ne leve quidem argumentum reperias. *Omnis anima*, inquit Paulus, *ſuperiori poteſtati ſubjecta eſto: nam nulla eſt à Deo.* (*animam omnem* dicit, ne conditio ulla excipi videatur.) Satis ex hiſce verbis concludi poterat, Deo potius, quam Regi parendum eſſe. Si enim regi propter Deum, certe nõ contra Deũ. At ambiguitatem omnem præcidere vult. *Princeps* (ſubjungit) *miniſter Dei eſt, propter bonũ noſtrum, ad faciendum juſtitia.* Sequitur adhuc idem: quia Domino potius, quam miniſtro obtemperandum conſtat. Nec dum tamen ſatis eſſe putat: *Reddite*

Paul. c. 13. *ad Roman.*

ait

ait ille tandem, *cui tributũ, tributum: cui honorem timorem honorem: cui timorem*: ac ſi deceret quod Chriſtus; *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: quæ Dei Deo.* Cæſari tributum & honorem. Deo timorem. Conſimiliter Petrus, *Timete Deum, honorate Regem. Servi obedite Dominis etiam diſcolis.* Hæc eodem quo dicuntur ordine facienda ſunt. Nempe ut non tenetur dominis ſervi obedire, ſiquid adverſus Regis mandata imperent: ita nec ſubditi Regibus, ſi quid adverſus legem Dei. Obiiciunt nobis impii: *In iis etiam, quæ ad conſcientiam pertinent, Regibus obediendum eſſe* & Petrum Paulumq; nobis, quaſi hujus impiæ ſententiæ auctores, obtrudere non verentur. Indeq; quamcunq; legem ſanciat Rex parendũ, quamcunq; religionem ſuperſtitionemue ſectetur, obſequendũ ſtatuunt. Quam aut inepte, aut impie, nemo eſt, qui non videat. Ajunt, *ibi diſerte obediendum eſſe Principibus non propter iram ſed propter conſcientiam erga Deum.* Conſcientiam cum opponuu træ, perinde eſt, ac ſi dicerent: non formidine pœnæ, ſed Dei amore: non verborum metu, ſed verbi divini reverentia, parendum eſſe. Vt pari ratione Paulus, ad Coloſſenſes, ſervos ita heris inſervire jubet, ut non heri oculo, aut furcæ, ſed ipſi Deo ſervire ſe putet, non ut heri gratiam demereantur. cujus oculos etiam fallere poſſunt, ſed ut officio ſatis faciant, quod illis impoſuit Deus, quem nemo fallere poſſit. Denique aliud omnino eſt propter conſcientiam obedire, aliud in iis, quæ ad conſcientiam pertinent. Neque ii ſane, qui crucem & tormenta quævis ſuſcipere, quam Principibus impia jubentibus parere maluerunt, nos ita docuiſſent. Ejuſdem prudentiæ eſt, quod idiotis obiicere ſolent, *Obſequium præſtare ſacrificio.* Nil enim eſt, quod cauſam ipſorum citius jugulare poſſit. Sunt illa verba Samue-

Matth. 21. v. 21.

Petr Epiſt. 1. c. 2.

Obiectiones.

Rom. 13. v. 5.

1, Petr. c. 2.

Col. c. 3. v. 22.

1. Sam. c. 15. v. 22.

Samuelis Prophetæ, Saulem Regem reprehendentis, quod præpoſtere ſacrificando, Dei mandatum ſecutus non eſſet. Quod ſi ipſe, quantumuis Rex, Deo obſequi tenebatur, ſequitur ſane, ſubditos adverſus Deum Regi non teneri. In ſumma: qui Barbarorum Calucuthanorum more, Dei cultum ab hominis arbitrio, Religionem à Rege, tanquam Telluris Deo pendere volunt, ſi Scripruræ ſacræ, quod opinor, minus tribuunt: diſcant ſaltem ab Ethnico Oratore, in omni communitate quoſdam eſſe officiorum gradus, ex quibus quod cuique præſtat intelligi poſſit, ut prima, ait, Diis immortalibus, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps reliqua reliquis gradatim debeantur. Vtcunque vero crimen læſæ majeſtatis atrox ſit: proximum tamen ſacrilegio, quod in Deum divinaſque res proprie committitur, à Iureconſultis vocari, adeo ut templum effringere, quam vitę Principis inſidiari, gravius putetur. Et hęc quidem cuiuis homini, modo non prorſus impio, ſufficere poſſe videntur.

Cic. 2. Offic.

.. 2. ad leg. Iul. Maje.

QVÆSTIO II.

An liceat reſiſtere Principi, Legem Dei violanti, & Eccleſiam Dei vaſtanti: quibus, quomodo, & quatenus.

HÆc Quæſtio prima fronte difficilis & ardua videtur, eo quidem magis, quod cum ſub piis Principibus ſupervacua, ſub impiis periculoſa videretur, vix quiſquam eam, niſi leviuſcule attigerit. Ex facto quæritur, *Principi legem Dei abroganti Eccleſiamue deſtruenti, aut extruendam impedienti, an reſiſtere liceat.* Hoc vero, ſi ejus judicio ſtamus, Scriptura ſacra nobis definiet. Si enim, quod ex ea facile probabitur, univerſo Populo Iudaico licuit, imo ſi injunctum fuit,

ſuit, nemo, credo, negabit, quin idem de univerſo Populo Chriſtiano alicujus Regni, idem plane ſtatuendum ſit. Conſiderandũ eſt hic inprimis, Deum electo ex omnibus Populo Iſraelitico, ut eſſet ſibi peculiaris Populus, fœdus cum eodem pepigiſſe, ut eſſet is Populus Dei. Extat id paſſim in Deuteronomio. *Deut. c. 7 v. 6. c. 14. v. 2.* Vis autem hujus pactionis erat hæc, Vt curarent univerſi, ut Deus à ſingulis Tribubus & ſingulorum contribulibus in terra Chanaan pure coleretur, Eccleſiamque ſuam in medio eorum perpetuo conſtitutam haberet, quod tum è multis aliis locis, tum diſerte Deuter. *Deut. 11. v. 20.* 27. apparet. Ibi Moſes & Levitæ, quaſi Dei nomine ſtipulantes univerſum Populũ congregant, hiſque verbis affantur: *Hodie, ô Iſrael, Populus Domini Dei tui ſis. Obſequere ergo Deo tuo, &c. Cumque* ait Moiſes, *Iordanem tranſieris, ſtantibus, hinc ad montem Garizim ſex Tribubus, illinc ad montem Hebal ſex reliquis, Levitæ legem Dei perlegent, ac obſervaturis fauſta omnia, violaturis infauſta precabuntur, Vniverſus vero Populus reſpondebit, Amen.* *Ioſue c. 24 diſertius.* Quod à Ioſue poſtea tum terram Chanaan ingreſſo, *Ioſ. 5. v. 24* tum moribundo obſervatum legimus. Hinc animadvertimus, univerſum populum obligatum eſſe legi Dei curandæ, Eccleſiæque tuendæ, ut è contrario idolis Gentium exterminandis è terra Chanaan, quę ſtipulatio ad ſingulos pertinere non poteſt, ſed univerſos tantum. *Num. 2. Iudic. c. 19. & 20.* Quo etiam & illud pertinere videtur, ut omnes Tribus circa Arcam Domini caſtra metarentur & tentoria ſua figerent: ut quæ univerſorum curę commendata eſſet, ab univerſis regeretur. Vſus vero pactionis iſtius demonſtrari poteſt. Cives Gabaa è Tribu Benjamin Levitæ cujuſdam uxorem vi conſtuprant ad necem uſque Levita in duodecim fruſta conciſam Tribubus duodecim mittit, ut tantum ſcelus in Iſrael epatratum

univerſi expient. Congregatur univerſus populus in Maſpha. Poſtulat à Benjamitis tanti ſceleris conſcios noxæ dedi. Recuſant illi. Ac demum Deo approbante bellum in Benjamitas communi conſilio decernitur. Hoc modo ſecunda Legis Tabula in Tribum integram, quæ peccarat, vindicata. De prima vero habemus exemplum evidentiſſimum in lib. Ioſue.
Ioſ. cap. 22. Poſtquam Rubenitæ, Gaditæ, & Manaſſæi, cis Iordanem ad ſua ſe receperunt, eximium ſtatim altare in Galiloth prope Amnem extruunt. Videbatur hoc contra mandatum Domini, quo non niſi in Chanaan ſacrificare licebat, ac propterea ſuſpicio eſſe poterat, ne alienos Deos colere vellent. Re univerſo populo qui trans Iordanem habitabat, nunciata, indicuntur Comitia in Siloh, ubi erat arca Domini. Conveniunt univerſi. Mittitur ergo ad illos Phinees ſacerdos, Eleazaris filius, qui de peccato in legem commiſſo coram agat. Vt vero publica auctoritate hoc agi ſciant, eximii quique ex unaquaque Tribu legati mittuntur, qui cum iis expoſtulent, cultum Dei corrumpi eo modo, Deum ea rebellione infenſum fore, nec ipſis modo, ſed Iſraeli univerſo, ut quondam in Beelphegor: denique ni deſiſtant, bellum publice indicant atque denuncient. Quod proculdubio conſecutum fuiſſet, ni tribus illæ proteſtatę fuiſſent, ſe altare illud monumenti tantum inſtar extruxiſſe: ex quo cis Iordanis & trans Iordanis eandem eſſe ac perpetuo fuiſſe religionem appareret. Quotieſcunque vero in cultu Dei vindicando negligentius ſe geſſerunt, graviſſime afflictos eos fuiſſe videmus. Nec alia ſane de cauſa bis à Benjamitis victi fuiſſe videntur, quam quod, dum injuriam privato factam ulciſci ſatagerent, dum ſtuprum punire, in jure Dei vindicando adeo ſegnes eſſent, ac quotidie etiam adulteria cum idolis impunita ſinerent.

rent. Fuit ergo primum hæc Pactio inter Deum & Populum.

Iam ex quo Reges populo dati ſunt, non modo non deſiit hæc eadem pactio, verum etiam perpetuo confirmata & repetita fuit. Diximus in Rege inaugurando duplex fœdus initum fuiſſe. Et primum quidem inter Deum, Regem & populum, ſive inter ſummum Sacerdotum, Populum & Regem: (populus enim 2. Chron primo loco ponitur.) Finem vero ejus eum fuiſſe, ut populus eſſet populus Dei, id eſt, ut is populus Eccleſia Dei eſſet. Quorſum ſanciretur inter Deum & Regem, oſtendimus. Quorſum inter Deum & univerſum populum, examinandum. Certiſſimum ſane eſt, Deum non fruſtra hoc egiſſe. Ni enim aliqua autoritas & promittendi, & promiſſa præſtandi populo ſuperfuiſſet, fœdus plane ſupervacuum fuiſſet. Videtur ergo Deus feciſſe, quod in dubiis nominibus creditores facere ſolent, ut plures in eandem ſummam obligentur, ut ejuſdem rei duo pluresue rei promittendi conſtituantur, à quorum unoquoque tanquam principali reo ſolidum peti poſſit. Eccleſiam unico homuncioni committere lubricum erat. Eam itaque univerſo populo commendat atque committit. Poterat Rex in tam lubrico gradu conſtitutus, facile in impietatem delabi. Ne itaque collaberetur Eccleſia, populum intervenire voluit. In ea, de qua agitur, ſtipulatione, Deus, vel ejus vice ſummus Sacerdos eſt reus ſtipulandi: Rex & populus univerſus: puta Iſrael, ſunt rei promittendi, ambo ex una eademque cauſa, & quidem ex voluntate conjunctim obligati. Stipulatur Sacerdos *an non promittant, populum fore populum Dei: an non operam ſe daturos, ut Deus Templum ſuum Eccleſiam ſuam in medio eorum perpetuo habeat, ubi rite colatur?* Spondet Rex, ſpōdet Iſrael, (univerſitas enim homi-

Fœdus inter Deum & populũ. 2. *Reg*, *c.* 11. 2. *Chronic.c.* 23. *v.* 23.

2. *Reg. c.* 23. *l. mortuo* 22. *De de fidei-com. l.ſi non ſinguli. C. ſi cer. pe. l.*

pen. D. de duo. reis. 2 & 3. §. 1. D. eod. l. cum. poſ. D. de cenſib. & ibi Doctor.

hominum unius perſonæ vicem ſuſtinet) & quidem conjunctim, non diviſim, ut ex ipſis verbis apparet: in continenti, non ex intervallo. Conſtituuntur ergo hic duo Rei, Rex & Iſrael, ideoque æqualiter in ſolidum obligantur. Quemadmodum ergo, cum Cajus & Titius eandem pecuniam Seio ſtipulanti conjunctim promiſerunt, ſinguli ipſo jure in ſolidum tenentur, & ab eorum alterutro ſolidum peti poteſt: ita tenetur Rex per ſe, Iſrael item per ſe, curare cavere, ne quid detrimenti Eccleſia capiat. Vter vero negligat, Deus ab alterutro integram rem petere poteſt, & eo quidem magis à populo quam à Rege, quo plures, & difficilius labuntur, & magis ſolvendo ſunt, quam unus. Item ut in duobus correis, præſertim Fiſcalis Tributi, unus ita in ſolidum tenetur, ut beneficio diviſionis per novellam conſtitutionem Iuſtiniani conceſſo uti nequeat: ita Rege & Iſraele, tributum Deo Regi Regum promittentib. uterque in ſolidum tenenur. Demum, quemadmodum in duobus reis promittendi, in iis præcipue contractib. quorum obligatio ratione culpæ cōmittitur, (qualis eſt hic) unius culpa nocet alteri: ita Iſrael Deum deſerat, Rex vero negligenter ferat, tenetur culpa Iſraelis. Conſimiliter, ſi Rex ad alienos Deos transfugiat, nec transfugiat modo, ſed alios etiam ſecum abducat: deniq; quovis modo Eccleſiam perdere conetur: ni Iſrael eum quaſi è fuga retrahat, aut etiam coerceat, ejus culpa tenebitur. Breviter: non ſecus ac ſi periculū ſit, ne unus è reis promittendi, ſua bona prodigendo, ſolvendo eſſe deſinat, alteri datur in eum utilis actio, ne correi culpa damnum patiatur; ita & Iſraeli in regem, Regi in Iſraelem, ſeſe idolis mancipantem aut quovis modo fœdus rumpentē, ne aut hujus ille, aut viciſſim hic illius culpam luat. Quod vero ea ſtipulatio, de qua agi-

L. cum apparebit. ff. locati l. ſi diviſa. C. eod.

agimus, ejus generis ſit, ex aliis ſcripturæ locis apparet. Saule Rege Iſraelis conſtituto, Samuel Sacerdos & Propheta Domini, his verbis Iſraelem affatur: *Tam vos, quam Rex veſter, qui eſt ſuper vos, ſequimini Dominum Deum veſtrũ, quod ſi perſeveraveritis in malitia,* (malitiam vocat, quod hominum imperium, quam Dei maluiſſent) *tam vos, quam Rex veſter peribitis.* Addit vero rationem: *quia placuit Deo, vos facere populum ſuum.* Hic vides duos reos, manifeſte conjungi in ejuſdem pœnæ ſtipulatione. Sic Aſa, Rex Iuda, Azariæ Prophetæ hortatu, univerſum populum, Iudam nempe & Benjamin, in Hieruſalum convocat, fœdus cum Deo percutiendi cauſa. Intereant & multi ex Ephraim, Manaſſe, & Simeon, qui Dei pure colendi cauſa eo ſe receperant. Tum vero ſacrificiis rite peractis ſancitur fœdus, his tanquam conceptis verbis: *Quicunque non invocaverit Dominum Deum Iſrael, ſeu minimus, ſeu maximus, morte moriatur.* Cum *maximum*, dicit, ne Regem quidem ipſum huic pœnæ eximi vides. Quis vero hanc à Rege pœnam repoſcere poſſit (de temporali enim hic agitur) niſi univerſus populus cui ipſe jurat, non ſecus ac populus ipſi? Eodem modo legimus, Ioſiam Regem, viginti quinque annis majorem, univerſumque populum fœdus cum Domino ſanxiſſe, promittentibus ambobus, ſe legem & ſtatuta domini cuſtodituros, continuoque quaſi implendi, aliqua ex parte, fœderis cauſa Baalis idololatriam deſtructam fuiſſe. Et plura forte accuratius legenti teſtimonia ſuccurrerent. Cur vero velimus univerſi populi conſenſum requiri cur Iſraelem Iudamve ad legis divinæ obſervationem aſtringi, cur ſancte promittere, ſe perpetuo populum Dei fore, niſi velimus pariter, auctoritatem facultatemve inacceſſam, qua tum ſe à perjurio tum Eccleſiã à vaſti-

1. *Sam. c.* 12. *v.* 14. & 25.

2. *Chron. c.* 15. *v.* 13.

2. *Reg. c.* 23. *v.* 2.
2. *Chron. c.* 4. *v.* 29.

vaſtitate vindicet? Quorſum enim fœdus cum populo, ut ac populus Dei; ſi ſeſe ad alienos Deos per Reges abduci patitur, aut pati tenetur? Vt Deus pure colatur, ſi populus ſervi loco eſt, quo cum nulla obligatio eſſe poſſit? Si denique non licet ei operam dare, ut id, quod promiſit, præſtetur, Deusne cũ eo fœdus ſanxit, qui neq; promittẽdi, neq; rem promiſſam præſtandi jus habuit? An verius, fœdus cum populo ſanciendo, remq; eam fieri ſtipulãdo, jus ei eſſe, & rem promittendi, & præſtandi, & præſtandam curandi, evidenter oſtendere voluit? Si ridemus eum & actione ſummovemus, qui cum ſervo filiove familias contraxerit: an non impudentes ſimus, qui tale quid Deo tribuere velimus? Hinc vero eſt, quod regibus fœdus violantibus, Prophetæ Iudam, domum Iacob, Samariam perpetuo alloquuntur, ut eos officii ſui admoneant. Nec id tantum, ne Baali ſacrificent, ſed ut Baalem etiam, ejuſque Sacerdotes, Rege inuito & reclamante deturbent & exterminent. Sic cum Achab occidiſſet Prophetas Dei, Elias Propheta congregat populum, & quaſi Concilium indicit, corripit, coarguit, convincit. Populus vero ejus hortatu, Sacerdotes Baal morte mulctat. Nempe officiũ ſuum deſerente Rege, eſt quod ſuo fungatur Iſrael: nec tumultuarie aut temere, ſed publica auctoritate. Concilio habito, cauſa ordine cognita. At contra, quotieſcunq; Regi, cultum Dei violanti, non obſtitit Iſrael, quod diximus de duobus reis, quorum unius culpa alteri nocet, uſu veniſſe videmus. Vt enim Rex Idololatriæ & perfidiæ ſuæ, ita Iſrael negligentiæ, conniventiæ, ſocordiæ pœnas dedit: & eo quidem ſæpius hoc, quam illud accidit, quod Regis plerunque exemplum Principes, Principum populus ſequatur, & unius exemplo univerſi potius peccent, quam univerſorum unus reſipiſcat. Exemplis res dilucidior

L. quod attinet. 32. D. de reg. ju.

Iere. c. 17. v. 20. & paſſim. 1. Reg. c. 18. v. 19.

cidior fiet. Cur, quæſo, fuſum deletumq; Iſraelis exercitum, una cum Saule Rege putemus? An Deus ulciſcitur peccata Principis in populum? an Patris, in filium? Acerbum eſt, ajunt Iuriſconſulti, parentis ſcelera, filiorum pœnis lui. Alieni ſceleris quenquam pœnas pati, jura non ſinunt. Abſit vero, ut is qui univerſam terram judicat, inquit Abraham, perdat juſtum cum impio. Quinimo, ait Dominus, ut patris, ita & filii anima mea eſt, Nec pater filii, nec patris filius culpam patietur. Anima, quæ peccaverit, morietur. An non ergo potius, quia populus Sauli legem Dei violanti non reſiſtebat, & pios impie perſequenti, Davidem ſcil. & Sacerdotes domini, applaudebat? E multis pauca ſimilia proferemus. Saul idem, ut tribus Iudæ poſſeſſiones amplificet, fidem publicam jam inde ab ingreſſu Chanaan Gabaonitis datam frangit, ipſoſque adeo Gabaonitas, quantum quidem poteſt, è medio tollit. Violabatur eo facto tertium legis præceptum: Deus enim, teſtis ejuſce Pactionis fuerat. Quin & ſextum, innocuos enim injuſte interficiebat. Vtraque legis Tabula vindicanda erat. Et Saul ejuſque familia quidem ea ſcelera perpetraſſe dicuntur. Interea tamen, Saule, jam è vivis ſublato, Davideq; Rege conſtituto, conſultus Dominus reſpondet, tertiū jam annū, propter idē ſcelus, terram Iſraelis univerſam fame laborare. Nec ea prius deſiit, quā ſeptem è familia Saulis, Gabaonitis tanquam noxæ dederentur. Cur vero hic, cum unuſquiſq; ex ſuo admiſſo ſorti ſubjiciatur, ne alieni criminis ſucceſſor conſtituatur quiſquā, univerſum Iſraelē ſceleris hujus teneri dicas, ipſo reo jam vita functo, & actione cum reo quaſi extincta: niſi, quia cum deberet & poſſet publico & manifeſto ſceleri ſeſe opponere, negligenter tulit? Cur pœnā irrogari vis, quæ nemini abſq; culpa jure infligitur, niſi peccarit?

1. Sam. c. 31.

Gen. 18. *v.* 25.

Deut. 24. *v.* 16.

2. *Reg. c.* 14. *Ezec.* 18.

2. *Sam. c.* 2.

L. crimen 26. *ff. de pœnis.*

L. ſancimus. C. de pœn.

Quæ vero peccarunt, niſi quatenus peccatum
1. *Sam.* toleraruntꝰ Eodem modo, cum David mandat
c. 8. Ioabo & præfectis populi Iſraelitici, ut populum recenſeant, grave eo ipſo crimẽ commiſiſſe dicitur. Nempe ut Iſrael Dei iram provocaret, cum Regem peteret, quod in ejus peritia ſalutem ſuam collocare videretur: ita hoc facinore David, qui ex multitudine victoriam expectabat. Id. n. proprie eſt, quod Propheta
Abar. 1. vocat, *ſacrificare retib. & hamis thura adole-*
v, 16. *re*: quæ ſpecies idololatriæ eſt. Præfecti quidem, quia prævidebant id Iſraeli exitiale futurum, primum pauliſper refragantur: deinde etiam judicis cauſa & perfunctorie cenſum
2. *Sam. c.* agunt. At populus univerſus plectitur. Nec
ult. David modo, ſed & ſeniores Iſraelis, qui univerſitatem repræſentant, ſaccum induunt, ſe-
2. *Chronic.* ſeq; cinere conſpergunt, quod tamen propter
21. Davidis parricidium adulterio cumulatum, neutiquam accidit. Hic quis non videt, univerſos & peccaſſe, & pœnitere debuiſſe, & pœnas deniq; luiſſeꝰ Davidem nempe impia præcipiendo Deum provocaſſe; præfectos populi, quos tanquam imperii Conſortes & Aſſeſſores, Iſraelis nomine reclamare oportuit, aut connivendo, aut ſegnius repugnando, univerſos deniq; ad eum quaſi delectum comparendoꝰ Deum vero, non ſecus ac imperatorem, legionis univerſæ delictum, univerſali terrore, particulari quorundã ſupplicio, quadam quaſi decimatione caſtigaſſe? Cur vero tandem, Manaſſe Rege Templum Dei polluente, Deum
2. *Chronic.* non ipſum modo Manaſſem, ſed univerſum
c. 33. *v.* 10. populum alloquutum eſſe legimus, niſi ut Iſ-
2. *Reg. c.* raelem, tanquam alterum promittendi reum
24. *v.* 4. admoneret, ni Regẽ in officio contineret, ſuo
Ier. 15. *v.* 4 damno futurumꝰ Ecquid n. illud alioqui apud Ieremiam, domũ Iuda propter impietatem & crudelitatem Manaſſis Aſſyriis mancipatam fuiſſe, niſi eo ipſo, quod ſceleri non reſtitit,

ſcele-

ſceleris ream fuiſſe ſtatuamus? Propterea Auguſtinus & Ambroſius, Herodes & Pilatus cōdemnant Chriſtum, Sacerdotes neci tradunt: populus fere illachrymatur; univerſi tamen puniuntur. Cur ita? Quia, quem è manibus impiorum magiſtratuum eripere poterant, quia non fecerunt, occiderunt. Plura vero in hanc ſententiam ex omnis generis Auctoribus addi poſſent, ni Chriſtianis Sacræ ſcripturæ teſtimonia ſufficere deberent. Cæterū quia boni legislatoris eſt, non tam curare, ut delicta puniantur, quam ne ulla committantur: cavere, ut boni Medici diætam præſcribere potius, quæ morbos arceat, quam remedia, quibus coerceantur: pius certe populus, non modo coercebit Principem, Legem Dei impie abrogantem, verum etiam inprimis cavebit, ne quidquam ejus culpa negligentiave ſenſim introducatur, quod temporis tractu purum Dei cultum corrumpere poſſit, nec crimina in divinam Majeſtatem publice commiſſa, non tolerabit modo, verum etiam criminum occaſiones diligenter auferet. Quod in confringendo æneo ſerpente, Ezechiam Regem, in expoſtulando cum eis Iordanis, de altari erecto, Iſraelem, convocato Concilio publico, feciſſe legimus. Itaque licet Iſraeli, ſi Rex legem Dei Eccleſiamue vertat, reſiſtere: nec id modo, verum ni fecerit ejuſdem criminis tenebitur, & eandem pœnam luet. Reſiſtet vero verbo, ſi verbo oppugnabitur: vi, ſi vi: arte, inquam, & Marte. Quin & dolo bono, ſi dolo: cum nihil interſit, ubi juſtum bellum ſuſceperis, utrū aperte pugnes, an ex inſidiis, ita tamen, ut perpetuo dolum à perfidia, quæ nuſquā licita eſt, accurate diſtinguat. Verū video jam, quid hic opponi poſſit. Quid, inquies? An vero univerſam multitudinem, belluā, inquam, illam innumerorū capitum, tumultuari & concurrere in eam rem, quaſi

Aug. in Pſal. 82. Amb. in Offic.

Aug. in Ioſuam 23 q. 2. Dominus l. 1. D. de dolo malo.

agmine facto oportebit? Quis vero in ea turba ordo eſſe queat? quæ conſilii, quæ rerum gerendarũ ſpecies? Cum de univerſo populo loquimur, intelligimus eos qui à populo authoritaté acceperũt, magiſtratus, népe, rege inferiores à populo delectos, aut alia ratione conſtitutos, quaſi imperii cõſortes & Regũ Ephoros, qui univerſũ populi cœtum repræſentát. Intelligimus etiam Comitia, quæ nihil aliud ſunt, quam Regni cujuſque Epitome, ad quæ publica omnia negotia referuntur. Ejuſmodi erant ſeptuaginta in Regno Iſraelitico, quibus quodammodo præerat ſummus Sacerdos, qui de reb⁹ ſummis judicabát, è LXX. familiis, quę in Ægyptum deſcenderant, ſeni primum electi. Tum Duces, ſeu Principes tribuum, in ſingulis ſinguli. Demum Iudices & Præfecti ſingularum urbium, id eſt Chiliarchæ, Centuriones & cæteri, qui totidem familiis præerant. Denique fortes, purpurati, & cæteri, è quibus conflabatur Conciliũ publicum, quod ſæpiſſime indictum legimus, his verbis: *Et congregati ſunt ſeniores in Rama*, ut in electione Saulis. *Et congregatus eſt univerſus Iſrael*, *aut univerſus Iuda & Benjamin*, &c. cum univerſam turbam eo conveniſſe, veriſimile non ſit.

1. *Sam.* *c.* 5. 1. *Chronic.* 27. & 28. 1. *Chronic.* 23.

Ejus generis ſunt in omni Regno bene conſtit. officiarii Regni, Principes, Patres, Patritii, Optimates, & cæteri ab ordinib⁹ delegati, è quibus conflatur aut Concilium ordinariũ, aut Concilium extra ordinem, Parlamentum. Diæta, cæteriq; conventus, in diverſis regionibus diverſa nomina ſortiti: in quibus ne quid aut Reſpub. aut Eccleſia detriméti capiat, providendũ eſt. Illi vero ut ſinguli Rege inferiores ſunt, ita univerſi ſuperiores. Vt enim recte Baſilienſes & Conſtantinenſis Synodi, Synodũ Oecumenicam Pontifice ſuperioré eſſe ſtatuerunt, ut Capitulum Epiſcopo, Vniverſitatem Actore, Curiam decurione: eum denique, qui ab ali-

ab aliquo cœtu auctoritatem accepit, eo cœtu inferiorẽ eſſe, etſi ſingulis ſuperiorem: ita dubium eſſe non poteſt, quin Iſrael, qui Regem petivit & conſtituit, quaſi Actorem publicum, Saule ſuperior ſit, Iſraele poſtulãte, Iſraeliſque gratia conſtituto, ut pluribus poſtea oſtendetur. Itaq; cum rebus bene gerẽdis, ordine opus ſit, qui in tanta turba ſervari nequit: ea vero ſæpe accidant, quæ multitudini abſq; publico periculo ac diſcrimine dici non poſſint: quicquid univerſo populo concedi aut committi diximus, officiariis Regni: quicquid Iſraeli, Principibus & Senioribus Iſraelis conceſſum comiſſumq; dicimus, quod & uſus ipſe comprobavit. Athalia Regina, Ochozia filio Rege Iudæ mortuo: univerſam fere ſtirpem Regiam delendam curat. Vix puer unicus Ioas, in cunis adhuc vagiens Ioſabæ amitæ prudẽntia ſimul & pietate, ſupereſt. Illa vero rerum ſummã inuadit, & ſex annos in Iuda regnat. Muſſabat tũ forte populus: nec n. promere, quicquid animo premebat, tutũ erat. Tandẽ Iojadas ſummus Sacerdos, vir Ioſabæ, cõſilio cum Principibus Iſraelis clanculum inito, cõjurationeq́; rite peracta Ioam ſeptimo anno ætatis ungendum coronandumque curat. Matrem vero non modo è ſolio exturbat, verũ etiam è medio tollit, Baaliſque idololatriã continuo deſtruit. Probatur Iojadæ facinus, & merito, juſta cauſa movebatur. Tyrannidem enim, nõ regnum oppugnabat. Tyrannidem, inquam, primũ ſine titulo, ut loquuntur Iureconſulti neoterici. Lex enim Regni Iudaici mulieres ad ſceptrum non vocabat. Deinde etiam exercitio. Invaſerat enim nepotũ regnũ ſummo ſcelere, & ſcelera innumera committebat, quod vero caput ſcelerum erat, neglecto Deo vero, Baalem adorabat, adorarique jubebat. Iuſte vero & ab eo, cujus munus erat, vindicabat. Iojadas enim non erat privatus, ſed Pontifex

1. Chronic. 23.

Bar. de Tyran.

Deut. 17.

ſummus, ad quem etiam rerum civilium cognitio tum pertinebat. Deinde habebat aſſeclas Principes Iudæ & Levitas, denique erat affinis Regis. Quod vero non indicit de more comitia in Mizpah, non culpatur, ut neque etiam quod furtive conſilia iniret, & clanculum conjuraret. Alioqui enim res minime ſucceſſiſſet, & incaſſum ceſſiſſet. Conjuratio autem bona malaue eſt, ut bonum malumue finem ſpectat, & ab iis, quorum eſt, aut ſecus initur. Recte ergo Principes Iuda fecerunt: male vero, ſi ſecus ſe geſſiſſent. Vt enim tutor cavere debet, ne pupilli bona depereant: ac ni faciat, actiõe tutelæ tenetur: ita & hi populi ſalutẽ tueri, qui ſe totũ ipſorũ curæ tradidit, & credidit, ſuasq; in ipſos actiones oẽs quodammodo tranſtulit. In ſumma: ut licet univerſo populo repugnare, ita & Principibus Regni, qui univerſum repræſentant, non ſecus ac decurionibus pro corporis utilitate, contrahere. Vt vero refertur ad univerſos, quod publice per majorem partem geritur, ita quod major pars Principum ſeu optimatũ fecerit, omnes; quod omnes univerſus populus feciſſe dicetur: Verũ hic alia nobis exoritur quæſtio.

Bar. in tract. de Guel. & Gibel.

Vlp. l. 160 D. de re iu.

An pars Regni reſiſtere poſſit.

Statuamus jam Regũ aliquẽ, legem Dei Eccleſiamue abolere: Vniverſitatẽ cõſentire, aut majorẽ ſaltẽ ejus partẽ, Principes aut omnes, aut plures connivere; partem interim aliquãtulã populi, unum, inquã, aliquem ex Principibus Magiſtratibuſq; legem Dei retinere, Deumq; rite colere velle: quid licere putes, ſi Rex aut eam partem ad impia ſacra cogere, aut ei piis ſacris interdicere velit? Hic de ſingulis, ſeu de privatis, nõ loquimur, qui ũiverſitatis partes non cenſetur, ut neq; tabulæ, clavi, paxilli, navis: aut lapides, trabes, cæmenta, domus. ſed de aliqua Provincia urbeve, quæ regni partem faciat, ut prora, puppis, carina, navim: tectum, parietes, fundamentum, domum facere dicun-

dicuntur, & de aliquo Magiſtratu, qui ejus *Ioſ.* 21.
Provinciæ urbisve curam gerat. Equidem ſi *v.*13.
exemplis certandum eſt, etſi ea propter aſſue- 1.*Chro.*6.
tam hominum in cultu Dei defendendo, deſi- *v.*17.
diam, rariuſcula ſunt: tamen non prorſus de- 2.*Chro.* 1.
ſunt. Lobna, urbs Sacerdotalis, ſeſe ſubdu- 22.*v.*19.
cit Ioramo Regi Iuda, ab eoque quodammodo deficit, quia defecerat è Deo patrum ſuorum, à quo ipſa deficere nolebat: & forte verebatur, ne Baali ſacra ſacra facere cogeretur. Conſimiliter Antiocho jubente, ut Iudæi univerſi, legem ipſius ſequerentur, ſuamque à Deo acceptam deſererent: reſpondet Mathathias: *Non obtemperabimus, ut tranſgrediamur noſtram religionem.* Nec vero id modo, verũ Zelo Phinees correptus, eo ipſo qui ad impia ſacrificia concives ſuos adigebat, ſua manu interfecto, arma capit, in montes ſeſe recipit, manum colligit. Denique pro Religione & patria, pro aris, inquam, & focis, adverſus Antiochum adeo proſpere, Deo favente, bellum gerit, ut Hieruſalem recuperet, & armis Gentilium, in Eccleſiæ perniciem conjuratis, fractis, debilitatis, purum Dei cultum reſtituat. Quod ſi ſpectemus, quis ille eſſet, erat Mathathias Machabæorum parens, ex tribu Levi. Itaque non licebat ei jure ſanguinis, Regnum à Tyrannide vindicare. Qui vero cum illo initio montigenæ, incolæ Modin, quibus vicini, aut ſi etiam ex univerſa Iudæa, quæ Eccleſiam reſtitui cupiebat, ſeſe adjunxerant. Cæterum univerſi fere & maximi quique Antiocho obtemperabant, ejuſque imperium ultro patiebantur: adeo ut ejus exercitu bene profligato, ipſoque demũ miſere mortuo, cum excutiendi jugi perpulchra daretur occaſio, filium ipſius Regem ac Dominum non modo non inviti agnoſcerent, verum etiam ad Regnum capeſſendum invitarent. Poſſem etiam huc adducere exé-

plum

plum Deboræ. Deus manciparat Iſraelem Iabino Regi Chanaan, jamque viceſimum annum ei ſerviebat. Itaque tanto tempore jus regni quodammodo præſcripſerat, Iſrael fere univerſus Deos alienos colebat. Præcipua quæque tribus, Ruben, Ephraim, Benjamin, Dan, Aſer, & cæteræ, quarum majores erant vires, Iabino adhærebant. Nihilominus Debora Propheтiſſa, quæ jus dicebat Iſraeli, excitat arma tribus Zabulon, Nephtali, & Iſachar, vel ſaltem quoſdam ex illis tribubus, Duce Barac, Siſaram magiſtrum militiæ Iabini fundit, Iſraelemque tandem jugo Chananæorum, invitum, & tantum non renitentem non liberat modo, verum etiam cultum Dei veri reſtituit. Verum quia extraordinario motu Debora excitata videtur, nec diſertis verbis Scriptura probat Lobnenſium factum, etſi tacendo conſentire videatur, ut neque etiam libri Machabæorum uſqueadeo magna fuit in primitiva Eccleſia auctoritas, ac præterea legibus magis, quam exemplis, diſceptandum vulgo dicant: ex facto, quid juris ſtatuendum ſit, examinabimus.

Diximus, *Regem juraſſe in legem Dei, Eccleſiæque conſervationem, quatenus fieri poſſet, ſpopondiſſe.* Vniverſum item Iſraelem, tanquam unum aliquem, idem ſtipulante Deo, promiſiſſe. Iam vero dicimus, ſingulas etiam urbes, ſingularumque urbium, quæ Regni partem faciebant, magiſtratus, idem ſigillatim quatenus ſua intereſſet, diſerte ſpopondiſſe, quod & urbes & ſocietates omnes Chriſtianas tacite feciſſe conſequitur. Ioſue ſenio confectus, & morti proximus, congregat univerſum Iſraelem in Sichem ad præſentiam Dei. Erat enim in Sichem Arca fœderis Domini. Eo dicuntur conveniſſe Seniores Iſrael, Principes Tribuum, Iudices & Præfecti, atque ii adeo omnes, qui publicam auctoritatem in ſingulis

Ioſ. 24.

Iſrae-

Iſraelis urbibus obtinebant,& juraſſe in Legẽ Domini, ultroque & ſponte Dei omnipotentis jugum elegiſſe. Vnde evidenter apparet, ſingulos Magiſtratus, urbium, à quibus mittebantur, nomine ſpopondiſſe ſe curâturos & operam daturos, ut Deus ex Legis præſcripto in medio ſui coleretur. Ioſue vero tum fœdere inter Deum & populum ſancte percuſſo, tabuliſque fœderis rite conſignatis, in perpetuam rei memoriam lapidem illico erexit. Itaque ſi Arca Domini accerſenda eſt, convocantur omnium regionum urbiumque Principes, Chiliarchi, Centuriones, Præfecti, & cæteri, Davidis & Synagogæ Iſraeliticæ decreto & mandato. Si templum Domino extruendũ, idẽ prorſus obſervatur. At ne quidquam Regibus creatis immutatũ putetur, fœderi ſub Ioa inter Deum & populum, itemq; ſub Ioſia ſanciundo iidem omnes interſunt, iidẽ omnes ſigillatim adſtringuntur. Itaq; nõ Rex modo, ſed Regnũ: nec Regnum modo univerſum, ſed Regni partes omnes Deo ſigillatim fidem & obſequium promittunt. Non inquam, Rex modo, ſed Iſrael: nec Iſrael tantum, ſed ſingulæ Iſraelis urbes earumque præfecti ſe ſancte Deo devinciunt, & quodam quaſi hominio jugo in perpetuum adverſus quemlibet adſtringunt. Exemplum ex iis, quæ hodie in uſu ſunt deſumptum, rem luculentiorem faciet. In Imperio Germanico, cum Imperator inaugurandus eſt, adſunt Electores & Principes, tum Eccleſiaſtici, tum laici, aut ipſi aut per legatos. Item Prælati, Comites, Barones, denique omnium urbium imperialium legati, cum mandato in eam rem ſpeciali, ac ſeſe, eoſque, quorum vicem gerunt, certis ſub conditionibus, Imperatori ſubmittunt ac ſubjiciunt. Iam, eſto aliquis, qui Imperatorem ultro agnitum, de gradu eo dejicere conetur,

netur, qui ipſe imperium affectet, Principes vero & Barones auxilia debita, & tributa conſuetaCæſari denegent, qui non conniveat modo ipſi, ſed etiam cum adverſario perfide colludant: an non putas, Argentoratenſes forte, aut Norimbergenſes, qui fidem legitimo Imperatori promiſerunt, prædonem illum jure optimo arcere & excludere poſſe? Imo vero ni fecerint, ni laboranti Imperatori ſuccurrerint, an fidei præſtitæ ſatisfeciſſe cenſebis? cum præſertim is, qui præpoſitum ſuum non protexit, cum poſſet in pari caſu factori habendus ſit. Quod ſi ita eſt (uti revera in confeſſo eſt) an non idem Lobnenſibus aut Modinenſibus & licet & ex officio competit, ſi Deum cujus obſequio ſeſe inprimis devinctos ſciunt, cæteri Regni ordines deſeruerint? Exiſtat ergo Ioramus, aut Antiochus aliquis, qui cultum veri Dei tollat, qui ſeſe ſupra Deum extollat: conniveat, aut colludat Iſrael: quid ei urbi, quæ Deum pure colere cupit, faciendum dicemus? primum, dicat cum Ioſua,
Ioſ. 14. verſ. 15. *Vos quidem univerſi eligite, utrum malitis obedire Deo vero, an diis Amorrhæorum. At ego ſaltem & familia mea ſerviemus Domino.* Eligite, inquam, utrum huic, alienum imperium nullo jure invadenti ea in re parere velitis: ego ſane cui fidem præſtiti, quoque eventu ſervabo. Nec ullatenus ſane dubito, quin Io-
Ioſ. 19. v. 15. ſue omni conatu ſuo, cultum Dei veri in Tãnath Serath urbe Ephraim, quæ ejus poſſeſſio & familia erat, retinuiſſet, etiamſi Iſraelitæ Deum Amorrhæorum in terra Chanaan coli voluiſſent. *Quid ſi vero Rex ulterius pergat, Præfectos mittat, qui nos ad impia ſacra adigant, Deum denique è medio noſtri expellere jubeat; an non Regi Regiſque portam, ſi poſſumus, occludemus potius quam Deum, Regem Regum urbe noſtra excludemus?* Advertant hic Municipes, civeſne & municipiorum civitatumque

popu-

populi Dei Præfecti, duplex ſe fœdus iniiſſe, duplex jusjurandum præſtitiſſe. Primum & antiquiſſimum Deo, uti Populus ſit populus Dei: Secundum, & proximum, Regi, ut Populus obſequatur Regi tanquam duci populi Dei. Itaque ut Vice Regi, adverſus Imperatorem Regemve ſuum conjurandi, quantumvis magnam ante auctoritatem accepiſſet, ſi in urbe noſtra obſeſſum dedi poſceret, parendum non foret, imo ex ipſa fidelitatis formula omni modo reſiſtendum. Eodem pacto, ſummum ſcelus, ac vix ullo modo expiandum arbitremur, ſi Deum in medio noſtri habitantem jubente Principe, vaſallo, inquam, & miniſtro Dei, aut expellamus, aut in manus hoſtium, quatenus in nobis ſitum eſt, prodamus. Dices tu forte: *Verum urbes ad Principem pertinent; itaque aditum jure denegare non poſsunt.* At, inquam ego, urbes non conſiſtunt in lapidum coacervatione, ſed in populo: populus vero, eſt populus Dei, qui Deo primum, dein Regi tenetur. Quantum vero ipſas urbes pertinet, etſi ad Reges urbium poteſtas, ad municipes tamen pertinet dominium. Sunt etenim univerſa in Regis imperio, non in patrimonio: Deus vero unus eſt omnium vere proprietarius dominus, à quo & ille imperium, & hic patrimonium habet. *Ergo* ais *licebit ſubditis, Religionis cauſa à Rege deficere?* An non vero, ſi ſemel hoc ſtatuatur, quam rebellioni feneſtram aperias, vides? Attende vero hic patienter, & rem accurate conſidera. Poſſem ego unico verbo reſpondere, cum optio alterutrius datur, à Rege magis, quam à Deo deficiendum eſſe? aut ex Auguſtino, ubi non eſt juſtitia, ibi non eſſe Rempublicã. Iuſtitiam vero non eſſe, ubi homo ipſum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus ſubdit, cum juſtitia ea virtus ſit, quæ ſua cuique diſtribuit. Itaque qui ejuſmodi dominis

20. Collat. de forma fid. &c. 1. de nova fide form.

Senec. l. 7. de benef. c. 6. 7. &c.

Aug. c. 21. l. 19. de Civ. Dei, & l. 4. c. 4.

nis ſeſemi ſubtrahũt, dæmoniis ſeſe ſubtrahere, & latronum multitudinem potius, quam Rempubl. deſerere. Verum, ut altius rem repetam, videntur, qui eo modo ſe gerunt, quo diximus, deſectorum loco non eſſe. Deficiunt à Rege vel Republica, qui hoſtili animo, Regis Reipublicæve imperio ſeſe ſubtrahunt. Itaque & inter hoſtes numerantur, & plerunque quibuſvis hoſtibus periculoſiores exiſtunt. Hi vero, de quibus agimus, nil ſimile habent. Primum imperata facere non recuſant, modo ea imperentur, quæ jure poſſunt, aut ſaltem Deo injuriam non faciunt. Tributa, vectigalia, munera, oneraque conſueta non detrectant, modo id tributi, quod Deo debent, non intervertatur, Cæſari Cæſarem agenti parent: Cæſari fines ſuos excedenti, alienum imperium affectanti, Dei ſolium invadenti, ſuperiorem amborum Dominum bello petenti, parere, injuſtum putant. Deinde hoſtiliter ſe proprie non gerunt. Hoſtium eſt laceſſere, provocare, ultro impreſſiones facere. Hi demum laceſſiti, armis inſidiiſque petiti, vix tandem imminente undequaque morte, arma capiunt, ſeſeque adverſus illatam vim tuentur. Ac propterea cum hoſtibus non quotieſcunque velis pacem habeas. Neque enim quotieſcunque arma depones aut laceſſere deſines, deponat ille continuo, & otium capeſſant. Cum his quotieſcunque optaris, præſto eſt. Deſine cædere, cedunt: deſine Deum oppugnare, deſinent propugnare. Arma ſi velis iis è manibus excutere, ſatis eſt, modo ne percutias. Quia enim non inferunt, ſed excipiunt ictus, ubi enſem repoſueris ſtatim clypeum abjiciunt, ac propterea plerunque inſidiis & perfidiæ patent, quod exempla recentia ſatis oſtendunt. Vt vero fugitivum eum ſervum non dixeris, qui vulnus intentanti Domino manum

l. 5. D. de c. dimin.

num opponit, qui furenti ſeſe ſubducit, perſequenti, cellulæ ſuæ januam, interea dum furor deferveſcit, occludit: multo minus hos defectores cenſere queas, (cum ſane ſervorum nomine & loco non cenſeantur) qui pari aut etiam vehementiori furore percito, Principi portas urbs claudant, ubi reſipuerit, & ad ſe redierit, imperata facere parati. In eo genere eſt David dux exercituū Iſraelis, ſub Saule furibundo rege qui ſæpe & calumniis vexatus, & ex inſidiis petitus, montium aſperitate ſeſe tuetur, quin & Ceillam quoque urbem furori regis opponere parat. Is n. quoſcunq; poteſt, *2. Sam, 21.*
ad ſe allicit quidē, verū non ut Saulis vitam, *v. 2.*
quod evidenter apparuit, petat, ſed ut propriā *2. Sam. 25.*
tueatur. Itaq; Ionathan Saulis fili⁹, non vere- *v. 28.*
tur cūDavide fœdus percutere, & identidē renovare quod *fœdus Dei Iehovæ* vocatur. Abigail vero diſerte ait, Davidem iniq; petitum gerere bellum Dei. In eo genere ſunt & Ma- *1. Mac. 6.*
chabæi, qui oblatam ab Antiocho pacē, ſalva *v. 60.*
Religione, tum cum bellum cōmodiſſime geri poterat, recipiunt tū à Demetrio Rege, tum etiam ab aliis. Noſtro vero etiā tempore meminimus eos, qui pro vera religione, adverſ⁹ impietatem in Germania Galliaq; pugnarūt, quotieſcunq; Dei pure colendi poteſtas facta eſt, arma ultro depoſuiſſe, & plerunque adeo, cum aut Saulem Philiſtini arma alio vertere cogerent, aut Antiochum vicinorum impetus revocarent, aut alias bello continuando opportuna eſſent omnia. Ejuſmodi ergo ſignis poſſint hi à defectorib⁹ facile diſtingui. Eſt vero & aliud manifeſtiſſimū, ſi ita ſecedant, ut quotieſcunq; ſeceſſionis cauſa ſublata fuerit, ni extrema neceſſitas impediat, redeundū ſtatuant. Tū enim non à Rege, ſed à Ioramo vel Antiocho: non, inquam, à Repu. ſed à privata unius aut plurium Tyrannide ſecedere putātur. Hanc nos diſtinctionē Theologorū Pariſienſium

ſienſium cœtus (*Sarbonam* vocant) ſæpius docuit. Anno circiter cIↃ ccc. Bonifacius octavus Pontifex, Regalia, quæ ad Regem Francorum pertinent, ſibi vendicabat. Philippus Pulcher, Rex Francorum, eum per literas acerrime objurgavit, initium erat: PHILIPPUS, &c. BONIFACIO, *ſeſe pro ſummo Pontifice gerenti*, &c. Ac tum quidem univerſi agnoſcebant Pontificem eſſe vicarium Dei in terra, & Eccleſiæ univerſæ caput. Itaque quod vulgo dicunt, communis error, juris loco erat. Nihilominus tamen convocata Sorbona reſpondit, *Regem Regnumque, abſque ulla ſchiſmatis culpa, ejuſmodi Pontificis obſequio ſeſe ſubtrahere poſſe. Schiſma enim non ſeparationem, ſed cauſam facere.* Quod ſi juſta cauſa ſubeſſet, ſeparationem à Pontifice, non ab Eccleſia, & à Bonifacio quidem proprie non à Pontifice fore, eo uſque dum bonus aliquis ſedem Pontificiam teneret. In quæ vero diſcrimina univerſi Regni animas ab Eccleſia, ni hæc diſtinctio vera ſit, ſeparatas conjicerent, nemo eſt, qui non facile dijudicet. An non vero, rege jura Dei opt. max. invadente, animaſque hominum, quas Chriſtus ſanguine ſuo liberarit, duriſſima ſervitute opprimente, multo æquius ea diſtinctione uti licebit? conſimiliter anno cIↃ. ccccviii. Benedicto XIII. Eccleſiam Gallicanam tributis & exactionibus gravante, Clerus Gallicanus à Carolo VI. convocatus ſtatuit, *Regem & regni incolas Benedicto obtemperare non debere, nempe hæretico, Schiſmatico, ea dignitate prorſus indigno.* Quod & ordines Regni probarunt, & Senatus Lutetianus Areſto comprobavit. Quin & quos Benedictus dicimus tertius, tanquam Eccleſiæ hoſtes & defectores anathemate perculerat, protinus abſolvendos cenſuit, & ipſo jure Eccleſiæ communione non excluſos fuiſſe judicavit, & ut alias

Annales Franciæ Archiva Cameræ Ratiociniorum Lutetiæ l. Barb. Phil. D. de Sen.

Annales Carol. 6. Monſtreletus.

ſæpe

ſæpe in Gallia & alibi quoque factitatum paſſim legimus. Nempe ut evidenter oſtenderent, ſi is, qui Principem locum obtinet, ſeſe male gerat, ab eo ſine defectionis crimine ſecedi poſſe, & aliud omnino eſſe, à malo Pontifice, aliud ab Eccleſia, aliud à Rege impio, aliud à regno ſecedere, In ea vero cauſa Lobnenſes fuiſſe videntur, quos reſtituto in integrum Dei cultu, inter Ezechiæ ſubditos annumerari legimus. Quod ſi vero hæc diſtinctio obtinet, cum Papa Principis alicujus (qui eum ſuperiorem agnoſcit) jura invadit: an non longe juſtius, ſi Princeps, ſi vaſallus, inquam, Regalia Dei jura ad ſe rapere conetur? Statuendum ergo tandem, univerſum populum, Principem impia jubentem, aut pia vetantem, auctoribus iis, qui populi actoritatem penes ſe habent, aut pluribus coercere poſſe & debere. Deinde univerſos aut ſaltem potiores in ſingulis regionibus urbibuſve auctoribus præcipuis magiſtratibus, tanquam à Deo primum, dein à Principe conſtitutis, impia ſacra à ſuis mœnibus arcere jure poſſe, piaque iiſdem tueri: quin & Eccleſiæ quæ una omnino eſt, pomœrio dilatare poſſe: ac ni fecerint, divinæ Majeſtatis, ſi ſaltem potuerint, reos eſſe.

2. Re. c. 19. v. 8 Extr. de major. & obed.

Supereſt modo ut de ſingulis agamus, qui *privati* dicuntur. Primum ex fœdere inter Deum & univerſum populum, ut ſit populus Dei, ſinguli non tenentur. Vt enim quod univerſitati debetur. ſingulis non debetur: ita nec quod debet univerſitas, ſinguli debent. Deinde, non tenentur ex officio. Tenetur enim quiſque Deo inſervire in eo munere, ad quod vocatus eſt. Privati vero non habent poteſtatem, non funguntur magiſtratu, non habet imperium, non ulum ius gladii. Itaque ut gladium privatis non tradidit Deus, nec ita uſum gladii ab iis repoſcit. Privatis dici-

An privati repugnare armis poſſint. c. ſicut 7. 1. D. quod cujuſque univer.

tur:

Rom. 13. tur: *Mitte gladium tuam in vaginam.* At Ma-
Matth. 26 giſtratibus *Non geritis gladium fruſtra.* Illis, ſi ſtringant, culpæ datur: his ni cum opus eſt, ſtringant, magna negligentia culpæ loco eſt. Quid vero? dices. An non ſingulis fœdus eſt cum Deo, ut univerſis? idiotis, ut magiſtratibus? Quorſum ergo circumciſio, quorſum Baptiſmus? quorſum illa toties repetita tota Scriptura ſacri fœderis mẽtio? Eſt ſane omnino: ſed longe diverſiſſimum. Vt enim omnes omnino ſubditi juſti Principis, cujuſcunque tandem gradus ſint, tenentur ei obedire, quidam vero, peculiari quadam obligatione, ut magiſtratus, curare præterea, ut cæteri obediant, ita omnes omnino homines, Deo quidem inſervire tenentur: at quidam una cum majori munere, majus onus acceperunt, adeo ut de cæterorum culpa, ſi negligant, quodammodo teneantur. Curare debent Reges, univerſi, quiq; ab univerſis gladium habent, magiſtratus, ut Eccleſiæ corpus rite gubernetur: ſinguli, ut ejus tantum Eccleſiæ membra ſint. Illi, ne Templum Domini polluatur, ne collabatur, ſed adverſus omnem corruptionem in-
2. Cor. 3. ternam, injuriamve externam tutum ſit. Hi, ne corpus ſuum quod Templum Dei eſt, impurum ſit ut in eo ſpiritus Dei inhabitet. Qui enim vaſtabit Templum Dei quod vos eſtis; ait Paulus, Deus quoque eum vaſtabit. Illis ea de cauſa commiſſus eſt gladius, quo ex-
Epheſ. c. 6. v. 17. trinſecus accinguntur. His commendatus tantum gladius ſpiritus, verbum nempe Domini, quo Paulus Chriſtianos omnes adverſus Diaboli impetum accingit. Quid vero facient, ſi Rex ipſos ad impia ſacra adigere velit? Si qui ab univerſo populo auctoritatem habent, Optimates ſeſe opponant, aut ſui ſaltem magiſtratus, pareant, obſequantur, & omni conatu, omni induſtria tanquam Deo ipſi militantes, pios piorum conatus, adjuvẽt?

Habent exemplum inter alia Centurionum & militum qui Principibus Iuda Ioiadæ hortatu, Eccleſiam ab idololatria, Regnumque à Tyrannide Athaliæ Reginæ vindicantibus alacriter paruerunt. Sin optimates & magiſtratus furioſo Regi applaudunt, aut ſaltem non reſiſtunt, præſto eſt conſilium Chriſti: *in aliam civitatem ſe recipiant.* Habent exemplum piorum è decem tribubus Iſrael, qui veri Dei cultu per Ieroboamum ſublato, univerſis convenientibus ad Regem Iuda, apud quem cultus Dei remanſerat, ſeſe recipiunt. Sin alio fugere non datur, vitæ potius, quam Deo renuncient, crucifigantur potius, quam Chriſtum, ut Apoſtolus loquitur, denuo crucifigant. *Nolite*, ait Dominus noſter, *timere eos, qui corpus tantum occidere poſſunt*: Ita vero & ipſius & Apoſtolorum, & innumerorum piorum Martyrum exemplo edocti ſumus. *Ergo nemini privato licet armis reſiſtere?* Quid ergo de Moſe ſtatuemus, qui Iſraelē, invito Pharaone Rege, abduxit? De Ehod, qui decimo octavo regni demū anno, quo Regnum uſucaptum videri poterat, Eglonem regem Moab interfecit, Iſraelemq; Moabitarum juge liberavit? De Iehu denique qui Ioramum regem, cui ipſe militabat interfecit, Achabi ſtirpem delevit, Baalitas ad internecionem omnes excidit? An non erant illi omnes privati? Certe ſi ipſos per ſe ſpectes, quia originarie conſtituti non erant, privatos dicere queas. At ex quo extra ordinem vocatos ſcimus ipſo quaſi Deo ſuo illos gladio evidenter accingente, non modo privatos non cenſebimus, verum quibuſvis ordinariis potiores. Moſis vocatio & expreſſo Dei verbo, & ſignis evidētiſſimis comprobatur. Ehod dicitur à Deo excitatus, qui Tyrannum occidendo, ſalvum faceret Iſraelem. Iehu juſſu Elizæi Prophetæ vnctus, qui ſtirpem Achabi deleret, etſi præcipui qui-

2. Cor. c. 11. v. 13. c. 15. v. 9.

Hebr. c. 6. v. 6.

Matth. 1. v. 21.

Exod. c. 12. &c.

Iud. c. 3. v. 10.

2. Reg. c. 9.

quique Regem eum, antequam eum aggrederetur, ſalutarant. Idem de cæteris, qui ex ſacra Scriptura adduci poſſint, oſtendi poſſit. Iam vero cum neque Deus ore ſuo, neque extra ordinem per Prophetas loquatur, eſt quod hac in re ſobrii inprimis & circumſpecti ſimus, Si quis enim eam ſibi auctoritatem, quaſi divino ſpiritu afflatus, arroget, videat ſane, ne arrogantia inflatus ſit, ne ſibi ipſe Deus ſit, ne ſibi ex ſe magnos illos ſpiritus ſumat, ne itaque concipiat vanitatem & pariat mendacium. Videat vero etiam populus, ne dum ſub ſignis Chriſti militare cupit, Theudæ forte Galilæo alicui, aut Barlozbæ (quod non ita pridem in Germania Muncerianis accidit) magno ſuo malo militet. Nec eo quidem id dico, quod idem ille Deus, qui nobis noſtro hoc ſeculo Pharaones & Achabos immittit, liberatores etiam aliquando aliquos extra ordinem non excitet, Certe ipſius neque juſtitiæ, neque miſericordiæ quidquam ullo tempore decedit. At ſane ſi minus exteriora illa ſigna adſunt, interiora ſaltem agnoſcamus ex affectibus oportet, mentem ab omni ambitione vacuam, verum & fervidum zelum, conſcientiam denique & ſcientiam, ne aut errore ductus, alienis diis: aut furore ambitionis percitus, ſibi magis quam vero Deo ſerviat.

An arma juſte pro religione capiantur.

Porro ne quid ſcrupuli ſuperſit reſpondendum iis videtur omnino, qui Eccleſiam armis defendi non poſſe aut cenſent, aut certe, quod veriſimilius eſt, cenſere videri volunt. Ajunt hi, *non ſine magno myſterio Deum vetuiſſe in Lege, ne altare ferro poliretur.* (*Exod. 20. v. 25.*) Conſimiliter, *eo quod in extruendo Salomonis Templo nullus ſerræ malleive ferrei ſtrepitus auditus ſit: Eccleſiam, quæ vivum Templum Dei eſt, armis non eſſe inſtaurandam*, innui volunt, quaſi lapides ipſi ex lapidicinis, abſque ferro ex-

exciſi fuerint: quod ipſe Scripturæ textus falſum eſſe arguit. Quod ſi ſpecioſæ iſti allegoriæ opponamus, quod Nehem. 4. cap. legimus, partem populi cæmentum, partem enſem, quoſdam etiam utrumque in extruendo ſecundo Templo geſtaſſe, ne novum opus ab impiis turbaretur, nempe, non ut gladio extruerunt, ſed ne deſtrueretur, caverent: eodémque modo Eccleſiã non propagari armis quidem, ſed adverſus hoſtes, qui propagationem ejus impedire conantur, propugnari. Denique pios Reges & Principes innumeros, cultum Dei adverſus Ethnicos armis, quod tota ſcriptura apparet, vindicaſſe. Obiiciunt illi continuo: *Illa quidem locum habuiſſe ſub lege: at ex quo Chriſtus gratiam attulit, nec phalerato quidem equo, ſed a ſello vectus, Hieruſalem ingredi voluit, omnino deſiiſſe videri.* Primum, in confeſſo apud omnes eſt, Chriſtum, quandiu in terris egit non judicis, ſed rei: non Regis, ſed privati partes egiſſe. Itaque quod arma non tractarit, ad rem non pertinere. Verum hos jam rogatos velim: *An per adventũ Chriſti, jus gladii, magiſtratibus ablatum putent?* Si ajunt: obſtat Paulus; qui magiſtratus non fruſtra geſtare gladium dicit, & adverſus plebis impetũ opem eorum non recuſat. Sin contra: cur jus gladii habere eos velint, niſi ut bonos ſervando, malos male perviant? dendo, Deo, qui ipſos gladio accinxit, inſer-Qua vero magis in re quam in Eccleſia, quæ ei dicata eſt, adverſus impios tuenda? in peculio Chriſti adverſus prædones aſſerendo? Rogarim deinde, an militiam omnem inter Chriſtianos exauctoratam putent? Si ajunt: Cur ergo Ieſus Centurionis orationem exaudit? Cur milites Ioannes ſtipendio contentos eſſe, neminem concutere jubet, militiam deſerere non jubet? Cur Cornelium Centurionem, primitias, inquam, Gentium Petrus

Deut. 27. *Ioſue* 4. 1. *Reg.* 6. v. 7.

baptizat? nec tamen ad cingulum militiæ deponendũ hortatur? Quod ſi vero militia juſta eſt, quæ tandem illa juſtior eſſe poſſit, quæ ſuperioris juſſu, pro Eccleſiæ defenſione, proq; piorum ſalute ſuſcipitur? An enim aut ulla major Tyrannis eſt quam quæ in animam exercetur? aut laudabilior militia, quã qua extrema Tyrannis coercetur? Rogarim demum *an ulla Chriſtianis bella gerere liceat.* Si negant: cur ergo milites, Centuriones, Tribuni militum in Eccleſiam recipiuntur, quorum unum id munus eſt, ut bello inſerviant? Cur integras legiones è Chriſtianis conflatas legimus, Militenſen, inquam, victoria tantopere, ab antiquis Doctoribus & Hiſtoriographis decantata inſignem Mauritianamque martyrio decoratam? Quod ſi vero licet, ut forte tuendis finibus, arcendiſq; hoſtibus licere fatebuntur: an non multo æquius, tuendis piis, arcendis impiis, propugnãdis deniq; Regni Chriſti, Eccleſiæ, inquam, finibus? Eccur enim aliqui meretricem Babylonicam decem Regum, quos ipſa faſcinarit, armis exterminatum tandẽ iri Ioannes prædicit? Adhæc, quid alias, de bello Conſtantini in Maxentium, Liciniumq; tot panegyricis celebrato, tot doctorum calculis comprobato? quid deniq; de Principum Chriſtianorum in Turcas & Saracenos expeditionibus ſtatuemus? quorum unus omnium finis aut fuit, aut eſſe debuit, ne Templum domini aut extructum deſtruerent, aut extruendum turbarent? Ergo Eccleſia etſi armis non propagatur armis tamen juſte propugnari poteſt. Quin non minus martyres ſunt, qui in ſacro illo bello moriuntur, quam qui crucem Religionis cauſa patiuntur. Imo ſane eo videntur potiores, quod illi oblatam quidem mortem non recuſant: hi vero ultro ſcientes prudenteſq; ſuſcipere videantur. Propagare conantur Turcæ ſuam opinionem armis, qui quamcun-

Apoc. c.17 v. 16.

cunq; provinciã armis ſubegerint. Mahumetis impia dogmata, ſola violentia nixi, inducunt, qui arma in Alcorano ſuo tantopere cõmendavit, ut illac recta ad ſuperos iri, dicere non vereantur: etſi neminem ipſi interea cogunt. At multo magis adhuc is Religionis Chriſtiq; hoſtis, & ii Reges, quos ipſe faſcinavit, qui luci Evangelii flammas, verbo Dei verbera, gladio ſpiritus acies inſtructas opponunt, omneſque quantum in iis eſt, ad impia ſacra, oblatis tormentis adigunt, qui quam ſuam fidem vocant perfidia, & traditiones ſuas aſſiduis proditionibus defendere & aſſerere non verentur. Propugnant vero contra pii Principes & magiſtratus qui propagatam propagandamve Chriſti vineam, ne ab apris vaſtetur, ſæpe circundãt & muniunt, qui prędicatione verbi ad puram religioné converſos ſcuto ſuo protegunt, gladioq; tuentur, qui templum Dei, è vivis lapidibus extructum, dú ad faſtigium uſq; adſurgunt, adverſus violentos impiorum impetus, vallo, foſſa, aggere, omni induſtria communiunt. Hæc hactenus, ne quis in ea quæſtione hæreat. Sciant ii à quo univerſi, aut qui ab iis conſtituti ſunt, Regni officiarii, eorumve plures, aut ſinguli, ni Regem Legé Dei corrumpentem, reſtitui ve prohibentem, intra fines ſuos contineant, ex fœdere cum Deo inito graviter peccare. Cives Provincialeſve, qui Regni alicujus aliquantulam partem faciunt, ni impietaté à ſuis ſaltem finibus arceant, quam Rex intrudere velit, aut piam doctrinã quibuſcunq; modis, etiamſi ad tempus ſecedendú ſit, retineant, conſimiliter pœnæ obnoxios eſſe. Privati demum, ſi impia jubenti pareant, nullo modo excuſari. Cæterum ni extra ordinem ad id munus vocatos evidenter appareat, ſuapte auctoritate arma ſe capere nullo jure poſſe. Et ea quidé omnia ex Scriptura ſacra conſtare videntur.

QVÆSTIO III.

An, & quatenus Principi Remplublicam aut opprimenti, aut perdenti, reſiſtere liceat. Item, quibus id, & quo modo, & quo jure permiſſum ſit.

QVIA nobis hic de legitima Principis auctoritate agendum eſt, non equidem dubito, quin Tyrannis, & malis Principibus hæc quæſtio odioſa futura ſit. Qui enim quodcunque libet ſibi licere putant: non mirum, ſi rationis & legis vocem ſuſtinere nullo modo poſſint. At bonis ſaltem Principibus gratiam eam fore ſpero, qui magiſtratum, qua tandem auctoritate potiatur, nil niſi animatam legem eſſe ſciunt. Nec vero ſi quid in illos acrius dicatur ægrius hi ferent, quaſi ſua vallatenus interſit Tyranni Regibus, injuſti Principes juſtis, è diametro oponuntur. Itaque tantum abeſt, ut quod in Tyrannos dicitur quidquam Regibus detrahat; ut contra quo plus illis detrahitur,, eo plus gloriæ his accreſcat: nec illi quidem vituperari poſſunt, quin hi laudentur. Illi ſane quid ſentiant, ſuſque deque habeo. Neque enim ipſis, ſed in ipſos ſcribo. Hi quin conſentiant, vix dubitare queam, qui non ſecus ac Paſtores lupos, Medici veneficos, Prophetæ Pſeudo prophetas, Tyrannos & iniquos Principes odiſſe debent. Quod enim odium natura canibus in feras inſevit, ratio certe Regibus in Tyrannos ingeneret omnino neceſſe eſt: cum illi rapto vivant, hi rapinæ coercendæ nati & dati ſint. Adulatores Tyrannorum frontem forte ſi quam habent, contrahent, quos erubeſcere convenientius eſſet Amici Regum, ſcio, non modo aſſentientur & annuent, verum etiam adſtipulari non verebuntur. Vt quis ergo hæc legen-

do, aut ſtudio. aut ira movebitur, ita ſe mente affectum putet. Ad rem itaque adgrediamur.

Oſtendimus antea, Deum Reges inſtituere, Regna Regibus dare, Reges eligere. Dicimus jam, populum Reges conſtituere, Regna tradere, electionem ſuo ſuffragio comprobare. Quod quidem ita fieri voluit Deus, ut quantamcunque auctoritatem & poteſtatem haberent, Populo, ſecundum ipſum acceptam ferrent. Itaque omnem ſuam curam, cogitationem, induſtriam in utilitatem populi conferrent. Nec vero ſe, ob aliquam naturæ præſtantiam cæteris hominibus non ſecus ac homines gregibus aut armentis, præeſſe arbitrarentur. Verum eadem omnino cæteris ſorte natos, ſuffragiis & tanquam humeris populi ex humo in eum gradum ſublatos meminiſſent, in quorum poſtea humeros reipublicæ onus, magna ex parte, recumberet. *Reges à populo.*

Aliquot ante ſeculis, quam populus Iſraeliticus Regem à Deo peteret, Deus legem regni ſanxerat, quæ extat Deut. 17. *Cum perveneris in terram, quam Dominus Deus tibi poſſidendam dedit, in eaque habitaveris,* ait Moſes: *tu dices, Conſtituam Regem ſuper me, ut cæteræ gentes, quæ ſunt in circuitu: tum vero cum Regem conſtitues, quem Dominus tuus elegerit è medio fratrum tuorum.* &c. Hic vides electionem Regis tribui Deo, conſtitutionem populo. Poſtquam vero eo ventum fuit, ita prorſus obſervatum legimus. Seniores populi Iſraelitici, qui populum univerſum repreſentabant, (eo enim nomine comprehenduntur, ut paſſim, Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii, Decuriones, Iudices & præfecti omnium Tribuum Iſrael, tum vero maxime Principes & Capita tribuum) conveniunt in Rama ad Samuelem & partim filiorum Samuelis, qui inique jus dicebant, pertæſi, par- 1. *Sam.* 8. *v.* 5.

 tim

tim bella eo melius geſtum iri rati, Regem à
Samuele poſtulant. Conſulenti Samueli rete-
1. Sam. c. git Deus ſe Saulem elegiſſe, qui populum re-
9. v.16. geret. Samuel itaque Saulem ungit, quæ o-
1. Sam. c. mnia ad electionem Regis poſtulante populo
10. v.17. factam pertinent. Ac ſatis forte fuiſſe videre-
& ſeqq. tur, ſi Samuel electum à Deo Regem populo
adduxiſſet & ei parendum eſſe, monuiſſet. Ni-
c.11. v.14. hilominus tamen quo ſe Rex à populo conſti-
tutum ſciat, Samuel indicit Comitia in Ma-
ſpha, ibiq; quaſi re adhuc plane integra & in-
fecta, quaſi, inquam, nondum conſtaret Saulis
Electio, ſors jacitur, quæ à Trib. Tribuum
Benjamini, è gentibus gentem Metri: è gen-
te Metri, Saulem, cum ipſum, quem Deus ele-
gerat, ſeligit. Tum vero demum, populo uni-
verſo acclamante Saul Rex nominatus dici-
tur. At tandem, ne ſorti omnia tribuat, poſt-
quam libertatis Ammonitarũ obſidione Iabe-
zanis, ſuæ virtutis ſpecimen quodammodo
edidit nequicquam ſecedentibus quibuſdam
à populo ab univerſis in Galgal coram Do-
mino rex confirmatur. Hic vides, eum, quem
1. Sam. Deus ipſe elegerat, quem ſors à reliquis ſele-
c.16. gerat, ſuffragiis populi Regem conſtitui. Quid
vero David? Evidentius adhuc, Saule repro-
bato, Samuel Dei juſſu Davidem, quem Deus
elegerat, in Regem Iſrael ungit: quo facto,
Spiritus Domini agit in Davide, Saulem ve-
ro continuo deſerit. Regnante vero Da-
vid propterea? imo errat, vagatur, exu-
lat, extrema ſæpe experitur, nec prius Rex
exiſtit quam, mortuo Saule univerſi po-
puli Iehudæ ſuffragiis, Rex Iudæ primum:
ſeptem vero poſt annis univerſi Iſraelis con-
ſenſu, Rex Iſrael in Hebron ungatur. Ita-
que bis ungitur, primum à Propheta, Dei
juſſu in electionis ſignum, deinde juſſu po-
puli, dum Rex conſtituitur, quo ſemper
recordentur Reges, ſe à Deo quidem ſed
per

per populum & propter populum regnare: nec vero Deo tantum & gladio, ut loquuntur, regnum acceptum ferant, qui gladio, ipſo per populum primum accincti fuerint. Idem prorſus in Salomone obſervatur: etſi is 1.*Sam*.7.
filius Davidis erat. Deus elegerat Salomo- *v*. 13.
nem, ut ſederet ſuper ſolium Regni ſui, & 2.*Reg*.*c*.7.
diſerte Davidi pollicitus erat, ſe illi tan- 2.*Chron*.*c*.
quam Patrem filio affuturum. David ipſe *c*.20. *v*.5.
Salomonem Regni ſucceſſorem deſignarat 1.*Reg*.1.
quibuſdam ex aulæ præcipuis præſentibus. *v*. 32.
Nec tamen id ſatis fuit. Itaque convocat Da- 1.*Chro*.28.
vid in Hieruſelem Principes Iſrael, Principes *v*.1. *&c*.
Tribuum, Principes earum turmarum, quæ 29.*v*.22.
ſtatis quæque temporibus Regi miniſtrabant, *&* 24.
Chiliarchos & Centuriones ſingularum urbium, Præfectos Dominii Regii, filios ſuos, quin & purpuratos omnes, & egregios quoſque viros, qui de Electione ſtatuerent. Ac in eo cœtu. Dei nomine invocato, ab univerſo Iſraelis agmine Salomon rex proclamatus, in Regem ungitur, inque Iſraelis ſolio (ita.n. legitur) collocatur. Tum primum vero Principes, Optimates, atque ipſi adeo fratres, ei ſeſe jurejurando publice devinciunt. Ne vero id in ambigua tantum fratrum ſucceſſione factũ putes, eodẽ omnino modo alios paſſim conſtitutos legimus. Mortuo Salomone populus conveniſſe dicitur, ad conſtituendum Roboamum. Cæſo Amaſia, Ozias filius ejus unicus 2.*Reg*. *c*.
ab univerſo populo Rex, conſtituitur. Poſt Io- 10. *v*.2.
ramum, Ochozias, poſt Ioſiam Ioacham filius, *Chron*. *c*.
cui patris alioqui pietas non parum patroci- 16.*c*. 36.*c*.
nari potuiſſet. Quo pertinet & illud Chuſai 22.
ad Abſolon: *Sequar, ait, eum Regem, quẽ Deus* 2.*Sam*.*c*.
populus & univerſi ex Iſraele elegerint. id eſt 16. *v*. 18.
Regem legitime & rite conſtitutum. Itaque etſi Deus lucernam populo ſuo è ſtirpe Davidis perpetuã promiſerat, etſi, inquam Regum Iſraelis ſucceſſio ipſo Dei verbo cõprobata erat *Pſ*. 132.

nihilominus tamen, cum Reges non prius regnaſſe videamus, quam à populo rite conſtituti fuiſſent: concludere licet, Regnum Iſraelis, ſi ſtirpem ſpectas, hæreditarium certe fuiſſe, at ſane ſi perſonas, omnino Electivum. Quorſum vero hæc, ſi de Electione conſtabat, ut in confeſſo eſt, niſi ut tantæ dignitatis à populo collotæ recordatio ipſos ſui officii perpetuo memores faceret?

Ita vero Ethnicos etiam Reges à populo conſtitutos legimus. Nempe cum aut foris bellum, aut domi lites eſſent, unus aliquis, cujus de fortitudine & juſtitia magna erat multitudinis opinio, communi conſenſu in Regem aſſumebatur. Et apud Medos, inquit Cicero, Deioces ex arbitro judex, e judice Rex creatus, & apud Romanos primi Reges. Itaque cum Romulo ſublato centum Senatorum interregnum Quiritibus minus gratum eſſet, convenit ut poſtea Reges ſuffragiis populi, comprobante Senatu deligerentur. Tarquinius vero Superbus ideo Tyrannus habetur, quod neq; à populo neq; à Senatu creat⁹, ſola vi & potentia nixus, imperium teneret. Propterea Cæſar etſi imperium vi invaſerat, tamen ut aliquo ſaltem juris prætextu imponeret, imperium à populo Senatuq; accepiſſe videri volebat. Auguſtus vero etſi à Cæſare adoptatus, hæredem ſe imperii nunquã, quaſi ex teſtamento, geſſit. Quin potius Senatui populoq; acceptum tulit, ut & Caligula, Tiberius, Claudius: Nero vero, qui primus vi ac ſcelere invaſit imperium, nullo juris colore fretus, à Senatu damnatus fuit. Omnino cum nemo Rex naſcatur, nemo per ſe Rex eſſe, nemo abſq; populo regnare poſſit: Populus vero contra & per ſe eſſe queat, & Rege prior tempore ſit: Reges omnes à populo primum conſtitutos fuiſſe, certiſſime conſtat. Etſi vero, ex quo virtutem patrum imitati filii, nepoteſve

Hero. li. 3. *Cic. li. 1. Offi.* *Liu. li. 1.*

Regna

Regna ſibi quaſi hęreditaria, feciſſe videntur, in quibuſdam regionibus Electionis libera facultas deſiiſſe quodammodo videatur, manſit tamen perpetuo in omnibus regnis bene conſtitutis ea conſuetudo, ut demortuis non prius ſuccederent liberi dum à populo quaſi de novo conſtituerentur, nec tanquam ſui hæredes Patribus agnoſcerentur: ſed tum demum Reges cenſerentur, cum ab iis, qui populi majeſtatem repræſentarent, Regni inveſtituram, quaſi per ſceptrum & diadema accepiſſent. In Regnis Chriſtianis quæ hodie per ſucceſſionem deferri dicuntur, hujuſce rei veſtigia evidentiſſima extant. Reges etenim Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ & cæteri, ab Ordinibus Regni, Patribus, Patriciis, Magnatibus, qui univerſitatem populi repræſentant, inaugurari ſolent, & quaſi in Regni poſſeſſionem mitti: non ſecus ac Imperatores Germaniæ ab Electoribus, & Reges Poloniæ à Vayuodis ſeu Palatinis, ubi jus ſuum Electio integrum obtinet. Nec vero illis Regius honos in urbibus Regni prius exhibetur, quam rite inaugurati fuerint. Vt neque etiam olim Regni temp⁹, niſi à die inaugurationis, quod in Gallia accurate obtinuit, computabatur. Ac ne ob continuatam aliquot ſucceſſionum ſeriem hallucinemur, in illis iiſdem Regnis, ſæpe filio agnatum, primogenito ſecundo genitum ordines Regni prætulerunt, ut in Francico, Roberto Druydarum Comiti, Ludovicum fratrem: item Roberto Capeti, nepoti, Henricum fratrem ſecundo genitum, & cæteros aliis. Quin & regnum idem populi auctoritate, de gente in gentem, extantibus legitimis hæredibus, tranſlatum fuit, à Meroningiis ad Carlingos, à Carlingis ad Capetanos. Quod in cæteris factum, è veriſſimis hiſtoriis ſatis conſtat. Ne vero à Francico, quod cæterorum exemplar ſemper ha-

Annales Galli.

bitum fuit, in quo inquam ſucceſſio plurimum obtinere videtur, recedamus, Pharamundum anno CCCCXIX. electum legimus: Pipinum, DCCLI. Pipini filios, Carolum Magnum, & Carolomanum DCCLXVIII. non habita patris ratione Sublato demum DCCLXXI. Carolomano, non accrevit continuo Carolo Magno fratris portio, ut in hæreditatibus fieri ſolet, ſed populo & concilio publico decernen. Eodem auctore Ludovicus Pius, anno DCCCXII. quamvis Caroli Magni filius, eligitur. In ipſo vero Caroli teſtamento, quod apud Nauclerum extat, rogat populum, è ſuis Nepotibus per Concilium Regni publicum, quem voluerit, eligat, patruos vero acquieſcere populi decreto jubet. Vnde Carolus Calvus è Ludovico Pio, & Iuditha nepos, ſeſe apud Aimonium Hiſtoriographum, Regem electum profitetur. In ſumma: omnes omnino Reges, ab initio electi fuerunt. Et qui hodie per ſucceſſionem regnum adire videntur, prius à populo conſtituantur neceſſe eſt. Denique etſi populus ob egregia quædam merita ex aliqua ſtirpe Reges ſibi deligere, in quibuſdam regionibus ſolet: ſtirpem ipſam, non ſurculum deligit, nec ita deligit, quin ſi degeneret aliam eligere non poſſit. Qui vero ex ea ſtirpe etiam proximi ſunt, non tam Reges naſcuntur, quam fiunt: non tam Reges, quam Regum candidati habentur.

Iam vero, cum Reges à populo conſtituantur, omnino ſequi videtur, populum univerſum Rege potiorem eſſe. Ea enim vis verbi eſt, ut qui ab aliquo conſtituitur, eo minor habeatur, qui ab aliquo auctoritatem accepit, ſuo auctore inferior ſit. Potiphar Ægyptius conſtituit Ioſephum ſuper familiam ſuam: Nabuchodonozor Danielem ſuper Babylonicam Provinciam, Darius præſides centum & vigin-

viginti ſuper Regnum. Nempe domini ſervos, Reges miniſtros conſtituere dicuntur. Sic etiam populus Regem, tanquam miniſtrum Reipub. conſtituit. Quod nomen boni Reges non aſpernati ſunt, mali etiam affectarunt, adeo ut aliquot ſeculorum ſpacio, ex imperatoribus Romanis nemo, niſi manifeſte Tyrannus, quales Nero, Domitianus, Caligula, *dominus* vocari voluerit. Deinde Reges populi cauſa inſtitutos conſtat. Neque enim propter centum plus minus homunciones, cæteris plerunque longe pejores & inferiores univerſos creatos potius quam illos horum cauſa, dixeris. Ratio vero poſtulat, ut is cujus ratione alius extitit, eodẽ potior cenſeatur. Sic navis cauſa gubern à domino navis inſtituitur, qui, ne ipſa ad cautes frangatur, aut male curſum teneat, ad clavũ ſedeat. Et ei quidẽ in eam rem incumbenti, cæteri inſerviunt, ac dominus ipſe paret, eſt tamen ipſe navis ſervus, ut mediaſtinus quilibet, nec à mediaſtino genere, ſed ſpecie tantum differt. In Republ. quæ navi comparari ſolet, Rex gubernatoris, populus domini loco eſt. Illi itaque publicam ſalutem curanti, populus ipſe paret & obtemperat: cum tamen non minus ſit & & cenſeri debeat ipſe Reipub. ſervus ac judex aut Tribunus quilibet, nec ab his alia re differat, quam quod majora onera ferre, & plura pericula obire teneatur. Propterea vero quæcunque Rex aut bello acquirit, aut finitima occupat jure belli, aut jure dicundo, ut quæ in fiſcum rediguntur, acquirit ipſe Regno, non ſibi, populo, inquam, qui Regnum conſtituit, non ſecus ac ſervus domino, nec ulla cum illo, niſi auctore populo, obligatio contrahi poteſt.

Prætcrea vivunt innumeri populi abſque Rege: Regem abſque populo ne mente quidem concipere poſſit. Nec ideo Regiam

dignitatem quidam adepti ſunt, quod à cæteris hominibus ſpecie differentiiſque tanquam Paſtores gregibus quadam naturæ præſtantia præeſſe deberent. Quin potius ex eadem maſſa cretos in eum gradum populus extulit, ut ſi quam auctoritatem, ſi quam potentiam haberent illi acceptam ferrent ac tanquam precariam poſſiderent, quod Francorum antiquus ritus apte oſtendit, qui in clypeo ſublatum Regem proclamabant. Cur enim quæſo dicuntur Reges innumeros habere oculos, innumeras aures, longas manus, celerrimos pedes: An, quod Argo, Gerioni, Midæ, aut iis quos fabulæ finxerunt, ſimiles ſint? Minime vero. At ſane quia populus cujus intereſt universus ſuos Regi oculos, ſuas aures, ſuas vires ac facultates in Reipublic. uſum commodat. Recedat à Rege populus: qui modo oculatus, auritus, robuſtus & vegetus videbatur, cæcutiet, obſurdeſcet, repente concidet: qui modo magnifice triumphabat, uno momento apud omnes vileſcet: qui modo divinis prope honoribus afficiebatur, ludimagiſtrum Corinthi agere cogetur, Subrue iſtius Gigantææ molis, ac tanquam Rhodiani Coloſſi imam tantum baſim: corruat, ac in fruſta comminuatur neceſſe eſt. Cum itaque Rex per populum & propter populum exiſtat nec abſque populo conſiſtere poſſit: cui mirum videatur ſi populum Rege potiorem eſſe concludamus.

Populus universus repreſentatur per regni Officiarios ordinarie, per ordinum con-

Porro quod de univerſo populo dicimus, de iis etiam ut in ſecunda Quæſtione, dictum volumus qui populum univerſum in omni Regno, urbeve legitime repræſentant, qui quidem vulgo, Regni, non Regis officiarii cenſentur, Regis officiarii à Rege pro arbitrio creantur, aut exauctorantur, quin & eo mortuo nullo loco ſunt, & quodammodo mortui habentur regni Officiarii contra à populo,

pulo' in Concilio nempe publico, auctoritatem capiunt, aut ſaltem olim capere ſolebant, nec abſque eodem exauctorari poſſunt. Itaque pendent illi à Rege, hi à Regno: illi à ſupremo Regni officiario, qui Rex ipſe eſt: hi à ſupremo dominio populi, à quo ipſe Rex, non ſecus ac illi, pendere debet. Illorum munus eſt, Regem curare: horum, ne quid detrimenti Reſpublica uſquam capiat: Illorum, ut Regi, tanquam domino cuilibet domeſtici, adeſſe ac inſervire: horum, populi jura & privilegia tueri, & ne quid Princeps ipſe in illius perniciem committat, omittatve, diligenter providere. Denique ſunt illi Regis miniſtri ſervi domeſtici, ad obſequium tantummodo inſtituti: hi contra Regis in jure dicundo veluti aſſeſſores Regii imperii conſortes adeo ut omnes quidem illi Remp. adminiſtrare teneantur non ſecus ac Rex: is tamen inter eos quaſi Præſes, primum tantum locum teneat. Vt vero populus univerſus Rege ſuperior eſt; ita etiam hi, etſi ſinguli Rege inferiores ſint, univerſi tamen ſuperiores cenſendi ſunt. Primorum fere Regum quam lata poteſtas fuerit, ex eo ſatis appareret, quod Ephron Rex Hethæorum, jus ſepulchri Abrahamo, inconſulto populo, concedere non audet: neque Hemor Hævius Rex Sichem, fœdus cum Iacobo ferire: nempe graviora negotia ad populum referri ſolita. At in iis quidem imperiis, quæ tunc temporis una fere urbe circumſcribebantur, facile id fuit. At ex quo Reges fines ſuos amplificare cœperunt, nec populus univerſus in unum locum convenire abſque confuſione potuit, Regni officiarii, qui populi jura ordinarie tuerentur, inſtituti fuerunt, ita tamen, ut ſi quando opus eſſet, aut populus univerſus, aut ejus ſaltem quædam quaſi Epitome, extra ordinem convocaretur. In regno Iſrae-

ventus extra ordinem, aut annuatim.

Geneſ. 23. *&* 34.

Regni officiarii in regno Iſrael. Iſraelitico, quod omnium fere Politicorum judicio optime conſtitutum erat, eum ordinem fuiſſe videmus. Habebat Rex ſuos Pincernas, dapiferos, cubicularios, magiſtros domos. ſive œconomos qui familiæ ſuæ proſpicerent. Habebat & regnum ſuos, unum & ſeptuaginta ſeniores & duces ex ſingulis Tribubus electos, qui Rempub. ſive pacis ſive belli tempore curarent: ſuos denique in ſingulis municipiis Magiſtratus, qui ut illi univerſum regnum, ſuas ſinguli urbes tuerentur. Hi ſi quando de re maxima deliberandum erat, conveniebant, nec iis inconſultis, quidquam, quod ad ſummá Reip. pertineret, decerni poterat. Hos itaque convocat David, quando Salomoné inveſtiri regno cupit, quando Politiam à ſe reſtitutam examinari & probari: quando reducenda eſt Arca, &c. Quia vero univerſum populum repræſentant, univerſus tum populus conveniſſe dicitur. Iidem denique Ionathan, Saulis Regis ſententia damnatum, morti eximunt, ex quo à Rege ad populum appellationem fuiſſe apparet. Ex quo vero Regnum propter Roboami ſuperbiam ſciſſum fuit Synedrium Hieroſolymitanum ſeptuaginta & unius virorum, ea auctoritate fuiſſe videtur, ut non ſecus ac Rex ſingulos, hi Regem judicare poſſent. Huic autem præerat dux domus Iuda, id eſt, Primarius quiſque, ex tribu Iuda electus, ut urbi Hieroſolymitanæ Primarius ex tribu Benjamin, Exemplis res dilucidior fiet. Ieremias miſſus à Deo, qui urbi Hieroſolymitanæ excidiú nunciaret, ea propter damnatur primum à ſacerdotib. & Prophetis, id eſt, à Iudicio ſeu Senatu Eccleſiaſtico. Demum ab univerſo populo urbis, hoc eſt, ab ordinariis urbis judicib. Chiliarchis nempe & Centurionibus tandem à Principibus Iehuda: id eſt, LXXI. viris aſſidentibus ad novam portam Templi, cauſa cognita abſolvi-

1. Chronic. cap. 29. v. 1.
1. Chronic. ca. 13. v. 1.
1. Sam. ca. 14. v. 45.
2. Chronic. c. 19. v. 1.
Nehem. 11. v. 9.
Ier. 26. v. 9. & 17.

ſolvitur. Ii vero, in eo ipſo judicio diſerte damnant Regem Iehorabin, qui Vriam Prophetam paulo ante ſimilia comminantem crudeliſſime trucidaſſet. Alibi vero legimus, Sedechiam hujus Synedrii auctoritatem adeo reveritum eſſe, ut Ieremiam à LXXI. viris in tetrum carcerem detruſum non modo non liberare, verum etiam vix in mitiorem transferre auderet. Suadentibus autem illis, ut in Ieremiæ mortem conſentiret, reſpondet, *eum in ipſorum manibus eſſe, ſeque ipſis contradicere nulla in re poſſe.* Quin & veritus idem, ne in ſermones, quos cum Propheta habuerat, inquirerent quaſi rationem eorum, quæ dixiſſet, redditurus mendacium comminiſcitur. Ergo erant in hoc regno, regni officiarii rege ſuperiores, in hoc, inquam, quod non à Platone aut Ariſtotele, ſed à Deo ipſo omnis ordinis auctore, omnis Monarchiæ ſummo inſtitutore, inſtitutum & ordinatum fuerat. Tales erant in Perſico imperio ſeptem magi ſeu ſapientes item *ὁμότιμοι*, quaſi honoris regii conſortes, & qui regum aures & oculi nuncupabantur, quorum judicio reges acquieviſſe legimus. In Spartano Ephori, ad quos à rege appellabatur: quique ipſos etiam reges judicabant, ut eſt apud Ariſtotelem. In Ægyptiaco miniſtri publici regi per populum eligi tradique ſoliti, eo tantum ne adverſus leges quidquam committerent. Vt vero Ariſtoteles reges, quibus ejuſmodi officiarii adjunguntur, *legitimos* paſſim vocat, ita etiam non veretur dicere, ubi ii deſint, non Monarchiam eſſe, ſed aut plane barbaricam Tyrannidem, aut Tyrannidi quam proximam dominationem. In Romano hunc locum obtinebant Senatores & Magiſtratus per populum creari ſoliti, Tribunus Celerum, Præfectus urbi, & cæteri, adeo ut à rege ad populum provocatio eſſet, quod Seneca è libris

Ier. 37. & 38.

Eſth. 1.

Ariſt. lib. 5. *Pol. ca.* 11. & *c.* 7. *lib.* 3.

bris Ciceronis de Repub. citat, & Hiſtoria Horatii tergemini, ob cædem ſororis à regiis judicibus damnati, & à populo abſoluti, ſatis indicat. Sub Imperatoribus vero, Senatus, Conſules, Prætores, Præfecti Prætorio, Præſides Provinciarũ quæ populo Senatuique tribuebantur, qui propterea omnes Magiſtratus populi Romani vocabantur. Itaque cum decreto Senatus, Maximinus Imperator, hoſtis Reipublicæ judicatus eſſet, inq; cum Maximus & Albinus à Senatu Imperatores creati eſſent, milites jurarunt, ſe fideliter obſequuturos populo Romano, Senatui & Imperatori, utcunque ſub Tyrannide hoc jus violaretur. Ad hodierna vero imperia quod attinet, (Turcicum, Moſchicum, & alia hujus generis, magna latrocinia, magis, quam imperia ſunt) nullum omnino eſt, quod ſi non hoc tempore, ſaltem olim non ita adminiſtratum fuerit. Quod ſi vero illorum culpa & deſidia factum eſt, ut quibuſdam locis deteriorem Rempublicam poſteri acceperint, tenentur nihilominus, qui etſi locum hodie obtinet, ad antiquum ſtatum omnia, quantum in ſe eſt, revocare. In Germanico, quod per Electionem confertur, ſunt Electores & Principes tum Laici, tum Clerici, Comites, Barones, Civitates, Civitatumque Legati, qui ut ſuis quique locis Rempublicam curant, ita etiam in Comitiis, univerſi Imperii Majeſtatem, quando opus eſt, repræſentant. Vbi, ne quid Reſpub. ex privatis Cæſaris ſtudiis odiiſue detrimenti capiat, proſpicere tenentur. Itaque alius eſt imperii, alius Imperatoris Cancellarius, alii atque alii hujus & illius officiarii, diverſa æraria, diverſi quæſtores. Et adeo quidem vulgatum eſt, imperium Imperatori anteferri, ut Imperator imperio hominum præſtare paſſim dicatur. Conſimiliter in Polonico cum locum obtinent Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, Nobi-

Hero. lib. 8. in orat. Maximi & Albini ad milites.

Speculum Saxonicũ.

Nobiles, Civitatum regionumq; Legati extra ordinem convocati quorum in cœtu tantum novæ conſtitutiones fiunt,& bella decernuntur. Ordinarie vero Regni Polonici Conſiliarii, Cancellarius Reipub. Polonicæ, &c. etſi ſuos interea rex cubicularios,œconomos,miniſtros & domeſticos habet. Apud Polonos vero,qui diſputet, uter potior ſit,Rex,an univerſus Regni populus per optimates repræſentatus, perinde faciat, ac qui Venetiis diſputet, utrum dux Republ. ſuperior ſit. Quid autem de iis Regnis dicemus, quæ per ſucceſſionem deferri dicuntur? Nihilo ſane ſecius res ſe habet.Regnum Francicum,quod cæteris non ita pridem legum & ordinum præſtantia anteponebatur,ita olim conſtitutum fuit.Etſi vero qui eum locum tenent,ſuo officio minus ſatisfaciunt, non eo tamen minus tenentur. Habet quidem Rex ſuum magnum magiſtrũ, ſeu Archiœconomum, ſuos cubicularios, venatores, ſcrutarios, pincernas & cæteros, quorum officia olim à Rege adeo pendebant, ut eo vita functo ſuo ipſi officio plane defuncti viderentur. Vnde etiamnum poſt finem luctus Regii, magnus Magiſter ſeu Archiœconomus quædam quaſi concepta verba pronunciare ſolet, quibus familiam Regiam dimittit, ac ſibi quemque proſpicere jubet. At nihilominus ſuos habet Regnum Francicum officiarios,Majorem Palatii qui poſtea *Comes ſtabuli* nominatus fuit, Mareſchallos, Amiralium, cancellarium ſeu magnum Referendarium, Secretarios, Quæſtores & cætores: qui quidem olim non niſi in concilio publico trium ordinum Cleri, Nobilitatis & populi creabantur, ex quo vero Parlamentum Lutetianum ſtatarium factum eſt, non prius in eo gradu conſtituti cenſentur, quam à Senatu Luteriano recepti & comprobati ſint, & neque etiam abſque ejuſdem conſenſu & auctori-

Aimonius lib.5.25. in Carolo Caluo.

lo V. facienda, auctorem ſenatum fieri oportet, & in ejus acta omnia, quæ ad Rempublicam pertinent, referri. Quæ quidem non prius rata ſunt, quam ab eo comprobata fuerint. Ne vero Regem metuerent Senatores, neque olim in eum gradum, niſi à Senatu nominati cooptabantur, neque abſque ejuſdem auctoritate, legitima de cauſa exauctorari poterant. Denique & literæ Regis, niſi à ſecretario Regni ſubſcribantur, & reſcripta ni à Cancellario (qui cancellandi poteſtatem habet) obſignentur, nullam autoritatẽ habent. Sunt & Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, Caſtellani, item in Vrbibus Majores, Vicarii, Conſules, Syndici, Scabini, & cæteri, quibus aliqua ſigillatim aut Regio, aut urbs commendata eſt, ut populum tueantur, quatenus eorum juriſdictio patet, etſi quædam ex illis dignitatibus hæreditariæ hoc tempore habentur. Et hæc quidem ordinarie. At præter hæc, quotannis olim poſt vero aliquanto, quotieſcunque ſaltem neceſſitas poſtulabat, habebatur trium ordinum conventus, quo regiones urbeſque omnes alicujus nominis ſuos legatos mittebant, & quidem Plebei, nobiles, Eccleſiaſtici in unaquaque ſigillatim, ubi de his, quæ ad Rempubl. pertinebant, publice ſtatuebatur. Ejus vero conventus ea fuit perpetuo auctoritas, ut non modo, quæ ibi ſtatuta forent, ſacra ſanctaque haberentur, ſeu pax facienda, ſeu bellum gerendum, ſive regni procuratio cuiquam deferenda, ſive vectigal imperandum eſſet: verum etiam reges luxus, deſidiæ, tyrannidiſue cauſa in cœnobia detruderentur, eoque auctore, univerſæ adeo ſtirpes regni ſucceſſione privarentur, non ſecus ac primum, populo auctore, ad regnum vocatæ fuerant. Nempe quos conſenſus extulerat, diſſenſus exturbabat: quos virtutum paternarum imita-

Aimonius.

mita-

miratio, in eam quaſi hæreditatem vocarat, degener & ingratus animus, ut incapaces & indignos fecerat, ita & exhæredes faciebat. Ex quo ſane liquet, ſucceſſionem toleratam quidem ad vitandum ambitũ ſucceſſionem, interregnum, & alia Electionis incommoda. At ſane ubi graviora damna conſequerentur, ubi regnum Tyrannis, ubi regis ſolium Tyrannus invaderet? populi legitimum conventũ, & Tyranni regiſve ignavi expellendi, adve agnatos deducendi, & boni regis in ejus locum adſciſcendi, auctoritatem ſibi perpetuo retinuiſſe. Nimirum habebant forte hoc à Gallis Franci, auctore Cæſare lib. v. de bello Gallico. Fatetur enim Ambiorix Rex Eburonum, ea fuiſſe tum regum Galliæ imperia, ut non minus populus rite convocatus, in regẽ, quam rex in populum, auctoritatis haberet. Quod etiam in Vercingetorige apparet, qui coram populi cœtu cauſam ſuam agit. In regnis Hiſpaniæ, præſertim Aragonum Valentino, Catalonico, ita etiam ſeſe habet. Eſt enim penes juſtitiam Aragonicam, quam vocant ſumma regni auctoritas. Itaque non verentur magnates, qui populum repræſentant regem his verbis tum in ipſa inauguratione tum tertio quoque anno in conventu publico diſerte compellare: TANTUM *valemus nos, quantum vos: at ſuper nos ambos eſt,* (Iuſtitiam Aragonicam intelligunt) *qui magis imperat, quam vos.* Sæpe vero, quæ Rex rogavit: Iuſtitiam illa abrogat: quæ edixit, vetat. Tributum vero indicere nullum uſquam abſque ejus conventus autoritate auſit: In Anglico & Scotico penes Parlamentum, quotannis fere haberi ſolitum ſumma rerum eſt. *Parlamentum* vero vocant, Ordinum regni conventum, ubi Epiſcopi, Comites, Barones Civitatum, Regionumue legati communi ſuffragio de Republic ſtatuunt. Cujus juſque adeo

Cæſ. lib. 5. & 7. de bello Gallico.

ſacro-

ſacroſancta eſt auctoritas, ut, quæ ſemel ſanxerit, regi abrogare ſit nefas. Omnes vero regni officiarii ab eo conventu faſces accipere ſolét, quique ordinarie regi reginæve in conſiljo aſſident. In ſumma: cætera regna Chriſtiana, Hungaricum, Bohemicum, Danicum, Suedicum & reliqua, ſuos regni officiarios regiive imperii conſortes habent, quos ſua auctoritate aliquando uſos eſſe, vel in regibus ipſis exauctorandis, aut hiſtoriæ docent, aut recens memoria ſatis oſtendit. Nec vero eſt, quod idcirco potentiam regiam minui putemus, regeſve quaſi capitis diminutionem paſſos Deũ certe non eo minus potentem cenſemus, quod per ſe peccare non poſſit, neque ejus imperium anguſtius, quod ruere, & peſſum ire nequeat. Neque ergo regem, ſi qui per ſe peccare poſſet, aliena ope ſuſtinetur: ſi quod forte imperium ſua negligentia culpave amiſiſſet, aliena prudentia piutiſſime retineat. An etenim eo minus ſanum aliquem putes, quod Medici ei aſſideant, qui ipſum ab intemperie dehortentur, qui noxiorum ciborum eſu interdicant, qui etiam invitam ſæpe ac renitenem purgent? An vero medicos illos, qui illius ſalutem curant, an adulatores, qui inſalubria quæque obtrudunt magis amicos putes? Hæc itaque diſtinctio omnino adhibenda eſt. Alii ſunt amici Regis, alii Cæſaris Amici Cæſaris ſunt, qui Cæſari inſerviunt: amici regis imperatoriſue, qui Regno. Cum enim quis regni cauſa, Rex dicatur, regnumque in populo conſiſtat: regno vero perdito, labefactatove, aut omnino rex eſſe deſinat, aut minus ſaltem Rex ſit: qui ſane regni utilitati ſtudent, regis vere amici ſunt: qui regni utilitatem negligunt aut evertunt, vere hoſtes. Ac ut neque regnum à populo, neque regem à regno: ita nec amicos regis à populi regnique amicis ſeparare ullo modo poſſis. Imo vero cum,
qui

verſo, qui rege potior eſt, cujuſque gratia Princeps id privilegium habet. Cur. n. alioqui, cum fiſci Princeps adminiſtrator tantum ſit, populus vero, ut inferius probabitur, vere proprietarius? Deinde, an non ſcitum eſt illud: libertati nulla, ne diutiſſima quidem ſervitute, violentia præſcribi poſſe? Quod ſi vero reges à populo conſtitutos fuiſſe, qui ante D. forte annos vivebat, non ab eo, qui hodie extat, objicias: at inquam ego, etſi moriuntur reges, populus interim, ut neque ulla alia Vniverſitas, nunquam moritur, ut. n. perennem fluvium fluxus; ita & populum immortalem ortus & interitus viciſſitudo facit. Itaque ut idem eſt, qui ante mille annos Rhenus, Sequana, Tyberis: idem etiam eſt populus Germanicus, Gallicus, Romanus: (niſi forte Coloniæ intervenerint) nec aut aquæ fluxu, aut individuorum mutatione, jus eorum ullatenus immutari potuit. Pręterea ſi non populo, ſed patri regnum acceptum ferunt, hic vero avo, & ita deinceps: an plus juris potuit ille ad aliũ transferre, quam ipſe habuerit. Quod ſi vero non potuit: (ut certe non potuit) an non manifeſtum eſt, quicquid præterea ſibi arrogarit, non magis eum, quã prædonem quemlibet uſurpare poſſe: Populũ vero contra perpetuæ evictionis jus integrum habere? Ergo, quod in aliquo regno Optimates aliquandiu oppreſſi fuerint, populo præjudicare non poteſt: quin potius ut nõ audiretur ſervus, qui quod dominum diutiſſime captivum detinuiſſet, non modo ſe libertum jactaret, verum etiam necis vitæque poteſtatẽ ſibi in dominum arrogaret: neque prædo qui quod aut xxx. annos prædatus, aut prædonis filius eſſet, ſeſe extra culpam eſſe putaret: imo vero, quo diutius, eo gravius puniretur: ita ſane minime audiendus princeps, ferenduſue fuerit, qui, quod Tyranno ſucceſſit, populu-

l. proponebatur 76. D. de iudiciis l. qui res ſuas 98.

§. ult. de ſolut. l. inter ſtipul. §. 95. ſacram. D. de verb. oblig. Vulpian. de reg. juris l. 54.

pulumue, à quo ipſe regnum accepit, mancipii loco diu habuerit, aut optimatibus vim fecerit, quidquid libuerit, ſibi licere, aut jure concedi putet. Neque n. demunt anni quidquam juri populi ſed addunt injuriæ Regis. Quid vero, ſi optimates ipſi cum principe colluſere? quid, ſi prodita cauſa populum vinctum quaſi in manus Tyranni prodidere? Iſtane prævaricatione proditioneve auctoritas populi in Regem plane translata, videbitur? An, inquam, eo facto quicquam aut libertati populi demitur, aut Principis licentiæ adjungitur? Sibi ipſi imputent, dicens, qui ejuſmodi hominum perfidam fidem elegerint. At enim ſunt iſti, tanquam patroni qui utilitati publicæ, populique ſaluti & libertati patrocinentur. Itaque non ſecus ac Patronus cum clientis adverſario de quota litis, ut loquuntur, pactus, ſi clientis cauſam prodidiſſet, ei minime noceret: non poteſt ſane iſta quaſi Magnatum, in damnũ necemque populi inita conſpiratio, quidquam ejus juri detrahere. Verum & illi in pœnam legis, quæ in prævaricatores lata eſt, incident, & his, ac ſi res omnino integra eſſet, & patronum alium eligere, & jus ſuum denuo perſequi, lex permittet. Etenim ſi populus Romanus Imperatores ſuos noxæ dedit, qui ad Furcas Caudinas indecore cum hoſtibus pepigerant, coacti licet, & in ſummas anguſtias redacti, nec ea ſe pactione ullatenus teneri indicavit: an non multo minus tenebitur populus id jugum pati, quod non ui, ſed ultro: non mortis metu, ſed lucri cupidine, aut ſi qui excutere debebant, impoſuerint; aut qui poterant, tolerarint.

Quis ſit Regum finis.

Iam vero cum à populo reges conſtituti ſint, iiſque quidam quaſi imperii conſortes adjuncti, qui ipſos in officio continent, & ſinguli quidem rege inferiores, univerſi vero ſupe-

ſuperiores: ſequitur, ut videamus, cur primum conſtituti fuerint, & quod ſit ipſorum maxime officium. Iuſtum enim demum quid ac bonum cenſetur, cum eum finem attingit, ad quem inſtitutum eſt. Primum ſane palam eſt, homines natura liberos, ſervitutis impatientes, & ad imperandum magis, quam ad parendum natos, non niſi magnæ cujuſdam utilitatis cauſa imperium alienum ultro elegiſſe, & ſuæ quaſi naturæ legi, ut alienam ferrent, renunciaſſe. Neque enim, ait Æſopus, equus libere antea vagari ſolitus, frenum ſeſſoremve unquam, niſi tauri vincendi ſpe, admiſiſſet. Non itaque exiſtimemus, electos fuiſſe reges, ut bona multorum ſudore parta, in proprios uſus converterent: quiſque n. ſua amat, ſuaque ſequitur, neque ut publica potentia ad ſuam libidinẽ abuterentur: quiſque. n. fere potentiores aut odio, aut invidia proſequi ſolet. At ſane, ut tum ſingulos à mutuis, tum univerſos ab externis injuriis, ſeu jure dicendo, ſeu vim vi repellendo, defenderent. Propterea, inquit Auguſtinus, qui aliorum utilitati conſulunt, imperare dicuntur, ut vir uxori, parentes filiis: ii vero, quibus conſulitur, obedire. & ſi qui ita imperant, iis vere inſerviunt, quibus imperare dicuntur: quia ut ait idem, dominandi cupiditate non imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia. Seneca vero epiſt. 91. *Penes ſapientes*, ait, *aureo ſeculo regnum erat. Hi continebant manus, & inferiores à validioribus tuebantur. Suadebant diſſuadebantque, & utilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudẽtia, ne quid deeſſet, ſatis providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficiis augebat ornabatque ſubjectos. Officiũ erat imperare, non regnum.* Nemo *quantum poſſet adverſus eos, experiebatur, per quos caperet poſſe*, &c. Imperare ergo nihil aliud eſt,

Aug. libr. 19. de Civ. Dei, c. 15.

N quam

quam conſulere: Imperii finis unicus, populi utilitas. Imperatorum regumque officium unum, ut populo cõſulant. Regia vero dignitas non eſt proprie honos, ſed onus, non immunitas, ſed munus: non vacatio, ſed vocatio: non licentia, ſed publica ſervitus: quæ ideo honore afficitur, quod primis illis temporibus moleſtias illas, niſi honore quaſi conditas, vix quiſquam deguſtare voluiſſet. Vt nihil eo verius ſit, quod ille dicere ſolebat: *Si quantis moleſtiis diadema regium involutum eſſet, omnes cognoſcerent, qvi vel in via repertũ capiti imponere vellet, inventum iri neminem.* Cum igitur MEVM illud, & TVVM, orbem invaſiſſent, ac de rerum dominio inter cives, mox vero etiam de finib⁹ inter finitimos bella exorirentur, populus ad unum aliqué confugere cœpit, qui tum ne tenuiores à divitibus; tum, ne univerſi à finitimis vim paterentur, juſte fortiterque provideret. Vt vero aut lites, aut bella magis ingruebant, is etiam eligebatur, cuj⁹ de fortitudine, aut de induſtria, magna erat omnium opinio. Itaque reges olim creati ſunt, ut domi jus dicerent, foris vero exercitum ducerent: nec modo hoſtium excurſiones, agrorum dépopulationes, cæteraſque corporis calamitates depellerent: verũ multo magis flagitia, ſcelera, vitia arcerent à Repub. aut coercerent: quorum alterum bello, jure perficitur. Id vero ex omnibus tum ſacris, tum prophanis Scriptoribus planum eſſe poteſt. Populus Dei primum Regem alium non habebat, quam Deum. Quia n. in medio populi verſabatur, & reſponſa inter Cherubim in gravioribus cauſis edebat, & duces belli extra ordinem judiceſq; deſignabat: vicariis opus eſſe apud eos non videbatur, qui ſummi regis præſentia perpetuo fruerentur. Ethnici vero, qui tantis beneficiis carebant, in eum finem Reges inſtituerunt. Itaque cum popu-

populus Dei, injuſtitiæ filiorum Samuelis pertæſus, & ſenectuti Samuelis minus confidens, regem exemplo cæterarum Gentium, id eſt, Ethnicorum, poſtulat: *Da nobis*, inquit, *regem, qui nos judicet, qualem cæteræ gentes habent*, ubi primum & præcipuum regis munus attingit. Paulo vero poſt, utrumque. *Quinimo habebimus*, ait *Regem ſuper nos, ut cætera Gentes, Rex noſter nos judicabit, & exibit ante nos, & acies noſtras inſtruet.* At illud ſemper primo loco, quia ordinarium & perpetuum eſt: hoc non niſi extra ordinem, &, vt loquuntur, in caſu. Hinc Ariſtoteles, temporibus Heroicis, reges omnes, judices & duces belli fuiſſe, ait: Lacedæmoniorum vero reges, ſuo etiam tempore in exercitu tantum (nec tamen ſine ſcytala, id eſt, mandato Ephororum) abſolute imperaſſe. Similiter cum Medi per effrænem licentiam mutuis ſeſe injuriis perpetuo vexarent, Dejocem tandem cujus in arbitrationibus ſpectata fuerat juſtitia, primum judicem, mox & Regem elegerunt, ſatellitesſque ipſi, quo facilius potentiores quoſque reprimere poſſet, attribuerunt. Cicero vero omnes olim Reges tuendæ juſtitiæ cauſa conſtitutos fuiſſe, ait: eandemque omnino Regum conſtituendorum, quæ Legum rationem fuiſſe, quo nempe jus omnibus æquabile foret. Quæ vel ex ipſa vocum vi, in omnibus fere linguis, manifeſta eſſe poſſunt. Reges, à regendo, regebāt enim fines tum publicos, tum privatos. Imperatores, Duces, exercitus, Principes, qui primi in acie: unde *principia* apud Livium, Græcis *βασιλεῖς, columina populo, ἄρχαι, Principes, ἡγεμόνες, Duces exercitus.* Hebræis, *Iudices*, qui & Reges aliquoties in libro Iudicum, Germanis *Konigen*, Reges, ſive à fortitudine, ſive à prudentia: *Hertzogen*, Duces, qui acies educunt: Comites, *Graven*, quos ex antiquis Alemanorum

1. *Sam.* 8. *v.* 5. & 20.

Ariſt. in Pol. c. 11. *lib.* 1. & 3.

norum legibus Iudices fuiſſe conſtat. In ſumma: cum Homerus vocat reges δικαιοπόλους aut deſcribit Agamemnonem.

Hom lib 1. *Iliad.* *Ovi. l.* 6. *Meta.* 2.*Chron.*9. *verſ.*8.

Ἀμφότερον βασιλὲα τ' ἀγαθὸν, κρατερόν τ' αἰχμητὴν. Et Ovidius Erichtheum.

Iuſtitia dubium, validiſne potentior armis, exactiſſime duobus verbis, regum omnium principumque officium definiiſſe videntur. Hæc de Ethnicorum regibus, quorum quidem exemplo Iudæi reges & petiverunt, & conſtituerunt. Itaque Regina Saba Salomoni dicit, ipſum à Deo conſtitutum eſſe, ut judicium & juſtitiam faciat. Ipſe vero: *Tu me Domine elegiſti in Regem populi tui, & judicem filiorum filiarumque tuarum.* Propterea boni reges quales David, Ioſaphat, & cæteri, quia omnibus jus ipſi dicere non potuiſſent (etſi in gravioribus cauſis, ut è Samuele apparet, ſupremum ſibi judicium recipiebant) nil prius, neque antiquius habuerunt, quam ut Iudices bonos, & peritos ubique locorum conſtituerent, remque judiciariam ſollicite curarent, ſeque gladio magis ad cives impios coercendos, quam ad hoſtes arcendos, accinctos eſſe putaverunt. In ſumma: Princeps, ait Apoſtolus, eſt miniſter Dei, in bonum & commodum ſubditorum inſtitutus, gladioque tuendis bonis adverſus improbos accinctus: cui in eam rem incumbenti honor debetur. Cum itaque reges in commodum ſubditorum à Deo inſtituti, & à populo conſtituti ſint, cõmodum vero illud duabus maxime in rebus cernatur: juſtitia inter cives, fortitudine adverſus hoſtes: cum ſane principem, qui ſuæ tantum utilitati, libidinive inſervit, qui jura omnia negligit & pervertit, qui in populum quovis hoſte ſævior & truculentior eſt. Tyrannum proprie dici poſſe: quæ vero ita adminiſtrentur imperia, utcunque lata ſint, non niſi magna latrocinia eſſe, conſequitur.

Sap. 9. *v.* 7. 2.*Sam.*15. *verſ.* 2. 1. *Chro.*2. *v.*4. & 1. 26. *v.* 29. 2.*Chro.*19. *v.* 1.

Rom. 13. *Aug. l.* 4. *c.* 4. & 6. *de Civit.*

Hic

Hic nobis ulterius paulo progrediendum eſt: An etenim Rex, quia juri dicundo præeſt ex arbitrio ſuo jus dicet? Rexne, inquam, à lege, an Lex à Rege pendebit? Philonidas: οὐκ ἐστὶν οὐδ' εἷς δειλὸς ὁ δεδοικὼς νόμον, πρὸς τοὺς πολεμίους δ' ἐστὶν ἀνδρείας κρίσις, ὑπὸ δὲ δικαίου ἐστὶν ἡττᾶσθαι καλόν. Reſponderet Pauſanias Spartanus unico verbo: *Legibus in homines, non hominibus in Leges auctoritatem convenire.* Quin & Ageſilaus ipſe Spartæ rex, Imperatorem Legum imperata facere oportere affirmat. Verum eſt, quod rem ipſam aliuſcule repetamus. Certe cum populus jus æquabile quæreret, id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebatur, eo contentus erat. At quia vix id fieri poterat, & ratio contingebat, ſæpe vero, dum arbitria Regum, legum inſtar eſſent, eveniebat, ut alia aliis loquerentur: Leges tum, quæ cum omnibus una eademque voce loquuntur, à prudentioribus & cæteris Magiſtratibus proxime inventæ fuerunt. Regibus vero id præcipue muneris commendatum, ut legum cuſtodes, miniſtri & conſervatores eſſent. Interdum etiam, quia lex in omnem eventum proſpicere non potuerat, quædam ex eadem æquitate naturali ſupplerent. Ne vero legi vim facerent, optimates, de quibus antea, ſubinde regibus à populo adjũcti fuerunt. Itaq; eſt quod reges legi ipſi pareant, eamq; tanquam reginã agnoſcant, & impotentiam illam muliebrem magis, quam potentiam, de qua Satyricus:

Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

è ſe alieniſſimam eſſe debere putent. Nec vero eo ſe minus imperare ſentiant, quod legi obſequantur. Cum n. lex quoddam quaſi organum ſit, divinitus datum, quo ſocietates humanæ regantur optime, & ad beatum finem dirigantur: perinde ridiculi fuerint reges, qui legi obſequi turpe dixerint, ac Geometra

Vtrum præſtet Rex Legi.

Cic. lib. 2. Offic.

Iuvenalis.

metra foret, qui regula, gnomone, cæteriſque organis, quæ à peritiſſimis quibuſque ad agri menſionem adhiberi ſolent, uti abſurdum & indecorum putaret: aut nauta, qui phantaſia ſua duce, temere errare & vagari, quam adverſoriam, ſeu pyxidem nauticam curſum navis recte dirigere mallet. Quis vero ambigat, quin legi, quam regi parere, id eſt, homini utilius & honeſtius ſit? Lex eſt boni regis anima: per hanc movetur, ſentit, vivit. Rex Legis organum, & quaſi corpus, per quod illa ſuas vires exerit, ſua munera obit, ſua ſenſa eloquitur. Animæ vero, quam corpori, parere, juſtius eſt. Lex eſt multorum prudentum in unum collecta ratio & ſapientia. Plures autem oculatiores & perſpicatiores ſunt, quam unus. Tutius itaq; eſt legem, quam hominem, quantumvis perſpicacem ducem ſequi. Lex eſt ratio ſive mens, ab omni perturbatione vacua, non ira, non cupiditate, non odio, non ſtudio movetur, non precibus, non minis flectitur. Homo contra quantũvis rationis particeps ſit, ira, vindicta, aliove ſubinde appetitu vincitur, rapiturque, & ita variis affectibus perturbatur, ut ſui ipſe compos nõ ſit: nempe, quia ex appetitu & ratione cõſtat, quin hic interdum vincat, fieri nequit. Itaque Valentinianus, Imperator bonus alioqui, quia duas uxores ſimul habere voluit, idem ſingulis lege permiſit. Cambyſes Cyri filius, nuptias cum germana ſorore, quia ſororé deperibat, licitas eſſe voluit. Chabades Perſarum rex, adulteriorum pœnam ſuſtulit. Tales vero ſubinde leges expectemus oportet, ſi legem regi ſubjectam eſſe volumus. Deniq; lex eſt mens, vel potius mentium congregata multitudo: mens vero divinæ auræ particula, ut qui legi paret, Deo parere, Deumque arbitrum quodammodo facere videatur. Contra vero, quia homo ex mente divina, & anima illa bellui-
na

na conſtans, ſibi ſæpe non conſtat, ſæpe dementat & inſanit: cum vero ita afficitur, non jam homo, ſed bellua eſt: qui Regi parere mavult, quam Legi: belluæ, quam Dei imperium malle videtur. Itaq;, ait Ariſtoteles, Alexandri licet præceptor, Divinitatem cum nulla re aptius, quam cum antiqua lege ſocietatis humanæ bene conſtitutæ conferre queas. Eam qui Reip. præficit, Deum præficit: qui hominem, vere belluam. Quo etiam Prophetæ alludere videntur, qui immania illa imperia, belluarum rapacium nomine paſſim depingunt. An non vero plane bellua erit, qui cæcum, quam oculatum: amentem, quam mentis compotem: belluam, quam Deum, ducem ſequi malit? Inde vero factum eſt, inquit idem, ut cum primis temporibus reges abſolute imperarēt, quorum arbitrium lex erat, paulo poſt inter politiores & civiliores paſſim legitimi fierēt, id eſt, Legibus ſervandis cuſtodiendiſque obligarentur: abſolute vero illa poteſtas, penes Barbarorum reges tantum maneret. Et eam quidem tyrannidi proximā idem ille vocat, tyrannidemque abſolute vocaſſet, ni à belluis illis ſponte recepta fuiſſet. *At non eſt forte regium*, dices, *voluntatem legibus alligatam habere*: *Imo*, inquam, *nil magis regium, quam legum vinculis coercere libidinem. Miſerum enim eſt, non facere omnia, quæ velis: miſerius vero, velle, quod non licet: miſerrimum, poſſe facere, quod ita velis.* Videor mihi audire Durionium Tribunum plebis, adverſus legem ſumptuariam his verbis intercedentem: *Freni ſunt injecti vobis, Quirites, allegati & conſtricti eſtis duriſſimo ſervitutis vinculo. Periit libertas: Lex data eſt vobis, quæ vos frugi eſſe jubet.* Quid vero opus eſt libertate, ſi volentibus luxu perire, non licet? Idem fere hodie reges plerique regumque adulatores: Periit regia dignitas, niſi regnum nobis

perdere liceat. Perierunt reges, ſi leges conſervantur. Miſerum forte eſt vivere, ni quotieſcunque inſania vexaris, tibi manus conſciſcire conceditur. Quid enim, quæſo, aliud faciunt reges, qui legibus vim faciunt, ſine quibus nulla unquam non modo imperia, verum etiam latrocinia conſiſtere potuerunt? Valeant ergo Auliculorum Aſſentatorum impia nugamenta, qui reges numina, regum reſponſa oracula vocant: nec vero verentur regibus ſuadere, nil per ſe juſtum eſſe, ſed ut rex ita vel ſecus juſſerit, juſtum injuſtumve fieri: quaſi Deus ipſe ſit, qui peccare nullo modo poſſit. Certe juſtum eſt quicquid Deus vult, eo tantum quia vult. At quicquid rex vult, juſtum prius eſſe debet, quam ipſe velit. Neque enim quid juſtum eſt, quia rex ſanxit: ſed juſtus eſt rex, qui quæ præ ſe juſta ſunt, ſancta eſſe jubet. Itaque non dicemus, quod Anaxarchus Alexandro, de Clyti, quem interfecerat, nece vehementer anxio: Themin atque juſtitiam aſſidere regi non ſecus ac Iovi, quæ quicquid ei cordi fuerit, confeſtim ſanciant. Quin potius regnis præſidere, quæ, ſi reges legum majeſtatem violent, lædantve, pœnas ab illis graviſſimas repoſcat. Non, quod Thraſymachus ille Chalcedonius, Principum utilitate & libidine jus omne definiri: quin imo Principũ utilitatẽ jure terminari, libidinẽ legibus coerceri. Non, quod mater Antonino Caracallæ, quodlibet licere: verũ, quod per leges licet, collibeſcere debere. Non denique, quod ipſe Caracalla, *Imperatores leges dare, non accipere.* Quin potius in omnibus regnis bene conſtitutis, regem à populo leges, quas tueatur, quaſque intueatur, accipere: quod ſi quid contra eas, inve earum fraudem faciat, injuſtum judicari. Hæc exemplis demonſtrari poſſunt. Antequam rex eſſet in Iſraele, Deus illi Legem per Moſen præſcripſerat, tum Sacram,

Cic. lib. 2. Offic.

Reges à populo leges accipiunt.

Deut. 17.

cram, tum Civilem, quam perpetuo ante oculos haberet. Vbi vero Saul electus eſt, & à populo conſtitutus, Samuel eam ipſi deſcriptam tradit, quam diligenter cuſtodiat, nec prius cæteri reges, quam in ipſius verba jurati, recipiuntur. Ritus vero erat hic, ut unà cum diademate teſtimonium (quod Legem Dei doctiſſimi quique interpretantur) regum capiti impõeretur. Cyrus, ſi quis leges patrias rumpere tentet, tanquam legum cuſtos, legib. auxilium promittit, ſeque, cum inauguratur iiſdem colendis obnoxium facit, utcunque Cambyſi filio Cyri, adulatores quiduis licere obſtreperent. Reges Spartæ, quos legitimos vocat Ariſtoteles, jurejurando ſingulis menſib. renovari ſolito, Ephoris regni nomine ſtipulantib. ſe juxta leges patrię à Lycurgo latas, regnaturos jurabant. Hinc Archidamus, Zeuxidami filius, rogatus, quinam eſſent Spartanæ civitatis præfecti? Leges, ait, & legitimi magiſtratus. Ne vero leges contemptui eſſent, divinitus inſpiratas, vel potius à Deo ipſo cœlitus acceptas jactabant, quo non ab hominib. homines, ſed à Deo Opt. Max. ſe judicari putarent. Ægyptiorum reges omnia agebant juxta Legum decreta, ſeque legibus parendo beatos fore profitebantur. Romulus Romanum regnum inſtituens, cum Senatu ita paciſcitur, ut populus leges ferat, ipſe ne rumpantur, provideat, legumque cuſtos habeatur. Antiochus III. Aſiæ rex, omnibus regni ſui urbibus ſcripſit: ſi quid in literis, quæ ejus nomine ſcriberentur, legibus repugnaret, crederent, ſe ignaro ſcriptas fuiſſe, & propterea non parerent. Etſi vero Iureconſulti quidam dicunt, Cæſarem Octavianum Senatus decreto ſolutum fuiſſe legibus: Theodoſius tamen, & omnes juſti Imperatores ſeſe legibus alligatos eſſe profeſſi ſunt, ne, quod vi extortum fuerat, juris locum haberet. Nimirum

1. Sam. 30 v. 25. & paſſim.
1. Chron. 12 v. 3.
2. Reg. 11. v. 17. & 12.
Xenophon lib. 8. Pædias. Xen. de reb. Laced.
Dion. Halic. lib. 2.

armis & potentia Cæſaris proſtrata Reſpublica, nihil aliud poterat libere dicere, niſi ſe libertanem amiſiſſe. Quia vero Cæſarem, Tyrannum nominare non audebat, legibus ſolutum, quod idem erat, ac plane exlegem prædicabat. Idem vero jus in omnibus orbis Chriſtiani bene moratis imperiis perpetuo obtinuit. Neque enim Imperator, Rex Franciæ, Reges Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Hungariæ, & omnes omnino legitimi principes, Archidux Auſtriæ, Dux Brabantiæ, Comites Flandriæ, Hollandiæ, & reliqui prius in principatum recipiuntur, quam Electoribus Palatinis, Patriciis, Paribus, Optimatibus, Baronibus ſe ſecundum leges patrias jus cuique ſuum reddituros, promiſerint. Et hæc quidem adeo, ut provinciarum, imo ne urbium ſingularum quidem municipalia jura, in conſulis provinciis municipiiſve ipſis, ullatenus immutare poſſint. Sin fecerint, non minus crimen Majeſtatis in leges committant, quam populus in ipſos, ſi ſecundum leges, imperantibus parere recuſent. In ſumma: Principes legitimi, leges à populo accipiunt, diadema vero honoris: ſceptrum, poteſtatis inſigne, ut & acceptas tueantur, & ex earum præcipue tutela gloriam ſibi quærant.

An princeps novas leges ferre poſſit.

Quid ergo eſt? *An non licebit principi novas leges ferre, vetereſve abrogare?* Sane, quia Regis eſt, advertere non modo, ne quid contra, inve fraudem legum fiat: verum etiam, ne quid in ipſis deſit, aut redundet, ne vetuſtate obſoleſcant, ne oblivione ſepeliantur: ſi quid abrogandum, ſurrogandum, derogandum putabit, populum, populive Optimates aut Ordinarios, aut extra ordinem convocatos admonebit, legemque rogabit. At ſane non prius jubebit, quam ab iiſdem rite expenſa comprobataque fuerit. Vbi vero juſſerit, non eſt amplius pœnitentiæ locus: eidem omni-

mnino parere tenetur. Quia enim plus exempla, quam verba movent: quam tulerit, ipſe ferat oportet, cum fruſtra ſane & inique quodammodo Princeps à ſubditis poſtulare videatur, vt leges curent, qui quas cuſtodire tenetur, ipſe negligit. Neque n. reges à ſubditis impunitate, ſed æquitate & juſtitia differre convenit. Propterea Auguſtus, etſi decreto Senatus legibus ſolutus dicebatur: cum adoleſcentem reprehenderet, quod in legem Iuliam de adulteriis peccaret: ac ille eandem ab Auguſto, qui legem tuliſſet, violari objiceret, erratum agnovit, ac præ mœrore cibo abſtinuit: adeo nil magis naturæ convenit quam ut, quod verbo doces, exemplo ipſe doceas. Solebat legislator Solon leges conferre cum numiſmatis, quia illæ ſocietatem hominum, ut hæc commercium conſervant, nec inepte. Quod ſi vero ſemel probata mutare, aut extenuare reges jure non poſſunt, abſque Reip. conſenſu, an non multo minus leges figere & refigere, ſine quibus neque reges, neque homines uſquam eſſe poſſunt, ſed ferarum inſtar, aut per ſylvas vagantur, aut in antris deliteſcunt? Itaque in imperio Germanico, ſi quam legem neceſſariam eſſe putet Imperator, rogat primum in Comitiis. Si probatur: Principes, Barones, Civitatum legati ſubſignant, ac demum lex rata eſſe ſolet. Iurat vero, ſe & leges latas ſervaturum, & novas non niſi de communi conſenſu, ullas laturum In regno Polonico lex eſt. *ne ullæ novæ conſtitutiones fiant, præterquam de publico conſenſu. aut alibi, quam in Comitiis*. in Francico, ubi tamen ampliſſima vulgo cenſetur regum auctoritas, ferebantur olim Leges in trium Ordinū conventu, regione conſilio ambulatorio. Ex quo vero Parlamentum ſtatuarium eſt, fruſtra ſunt omnia regum edicta, niſi Senatꝰ ille cōprobet, cum tamen Senatus ſeu Parlamenti A-

Demoſthenes Orat. contra Timocratem, Innoc. 3. ad Regē Tarrac. in cap. quando de jurejurande.

Renovatā anno 1454. *&* 1538.

reſta, ſi lex deſit, legis vim paſſim obtineant. Et in Anglico, Hiſpanico, Hungarico, & cæteris idem juris eſt, ut & in antiquis quoque fuit. Etenim ſi à legum conſervatione regna pendent, leges vero ipſæ ab homuncionis libidine: an non certiſſimum eſt, nullius unquam imperii ſtatum ſtabilem futurum? An non, ſi quod quibuſdam accidit, aut continenter, aut per intervalla mente titubet: regnum etiam titubare, brevique ruere neceſſe erit? Quod ſi vero, ut oſtendimus leges regibus potiores ſunt, ſi reges legibus, ut ſervi dominis, parere tenentur: quis non legi, quã regi parere malit? quis regi legem violanti obſequatur? quis violatæ auxilium ferre recuſet? Iam cum Princeps legum dominus minime ſit: in aliis quatenus dominus cenſeri debeat, videndum eſt. Adulatorum aulicorũ axioma percelebre eſt, *Principes in ſubditos eam, quam domini olim in ſervos poteſtatem, vitæ*, inquam, *& necis habere*. Adeo vero iſtis nugis principibus impoſuerunt, ut pleriſque, etſi ea ſævitia non utantur non eo minus tamen ſibi licere putent, ſed de ſuo jure quodammodo cedere videantur. Dicimus vero nos contra, *Principem tanquam legis miniſtrum & executorem, in eos tantum, quos Lex juſſerit, gladium ſtringere poſſe. Si infecerit, non regem amplius, ſed tyrannum, non judicem, ſed prædonem, non legis cuſtodem, ſed violatorem eſſe*. Hic conſiderandum eſt in primis certiſſimum totius hujuſce diſputationis fundamentum, quo reges utilitatis publicæ cauſa conſtitutos fuiſſe ſtatuimus. Eo enim poſito, tota lis finita eſt. Quid enim? An regem quæſiſſe homines veriſimile eſt, qui quotieſcunq; collibitũ eſſet, quos vellet, temere necare poſſet? qui, ut ira vindictave corriperetur, obuios quoſq; ad mortem raperet? *qui in linguæ acie*, ut inquit Sapiens, *mortem circumferret*? Minime

An princeps vitæ neciſque poteſtatem in ſubditos habeat.

me omnium, Nemo eſt, qui ſalutem ſuam ab alieno arbitrio ultro pendere velit, vix quiſquam amico, vix fratri vitam ſuam concedere auſit. Multo minus itaque extraneo, quamvis præſtantiſſimo, cum Athamas in filios, Aiax in amicos, æmulatione, odio, furore correptus interdum deſæviat. Sin vero quilibet, ut vitam ſuam diligit, ita maxime conſervatam cupit: quam, quæſo, ſecuritatem putes, ſi mucro tenui de filo ſuſpenſus, cervici tuæ perpetuo immineat? quas dapes non faſtidias, ſi iſte metus adſit? Quod vero tenuius filũ deligere queas, quam ſi homuncioni in dies, in horas, in momẽta mutari ſolito, milites quotidie frenum rationis, ut variis perturbationibus rapitur, excutienti, vitam, ſalutemque tuam commiſeris? Quæ, quæſo, ſpes hunc metum, quæ utilitas hoc damnũ periculumque compenſare ullo pacto queat? Innocentes ergo tantum, quos Legis vox damnarit, gladiũ ſtringere poſſunt. An non vero forte, quia vitæ cauſa favorabilior eſt, quos lex damnarit, abſolvere ſaltem rex poterit? Nihilo ſane magis. Quid enim? Graſſatores, prædones, ſicarios, raptores, veneficos, magos forte, & alios humani generis peſtes, quod tyrannos paſſim feciſſe legimus, & facere etiamnum videmus, præpoſtera iſta clemẽtia foveret. Itaq; quod unum lex violata perfugium habet, Aſylum ſceleratorum omnium foret. Qui vindicando ſceleri gladium à lege accepit, ſcelus ipſum adverſus legem armaret: lupos deniq; in ovile accerſceret, qui arcere deberet. At certe, quia interdum ea accidere poſſunt, in quibus lex muta, lege loquente, legis ratio, regis oratione, quaſi interprete, opus habet, cum quis nempe in legis verba magis, quã in ipſius ſententiam incidit, licebit regi, ne ſummum jus ſumma injuria fiat, adhibita in conſilium ratione, quæ legis anima ipſa eſt, legem

l. nominis & rei. §. verbum ex lege. D. de ver. ſignif.

reſta, ſi lex deſit, legis vim paſſim obtineant. Et in Anglico, Hiſpanico, Hungarico, & cæteris idem juris eſt, ut & in antiquis quoque fuit. Etenim ſi à legum conſervatione regna pendent, leges vero ipſæ ab homuncionis libidine: an non certiſſimum eſt, nullius unquam imperii ſtatum ſtabilem futurum? An non, ſi quod quibuſdam accidit, aut continenter, aut per intervalla mente titubet: regnum etiam titubare, brevique ruere neceſſe erit? Quod ſi vero, ut oſtendimus leges regibus potiores ſunt, ſi reges legibus, ut ſervi dominis, parere tenentur: quis non legi, quã regi parere malit? quis regi legem violanti obſequatur? quis violatæ auxilium ferre recuſet? Iam cum Princeps legum dominus minime ſit: in aliis quatenus dominus cenſeri debeat, videndum eſt. Adulatorum aulicorũ axioma percelebre eſt, *Principes in ſubditos eam, quam domini olim in ſervos poteſtatem, vitæ*, inquam, *& necis habere.* Adeo vero iſtis nugis principibus impoſuerunt, ut pleriſque, etſi ea ſævitia non utantur non eo minus tamen ſibi licere putent, ſed de ſuo jure quodammodo cedere videantur. Dicimus vero nos contra, *Principem tanquam legis miniſtrum & executorem, in eos tantum, quos Lex juſſerit, gladium ſtringere poſſe. Si fecerit, non regem amplius, ſed tyrannum, non judicem, ſed prædonem, non legis cuſtodem, ſed violatorem eſſe.* Hic conſiderandum eſt in primis certiſſimum totius hujuſce diſputationis fundamentum, quo reges utilitatis publicæ cauſa conſtitutos fuiſſe ſtatuimus. Eo enim poſito, tota lis finita eſt. Quid enim? An regem quæſiſſe homines veriſimile eſt, qui quotieſcunq; collibitũ eſſet, quos vellet, temere necare poſſet? qui, ut ira vindictave corriperetur, obuios quoſq; ad mortem raperet? *qui in linguæ acie*, ut inquit Sapiẽs, *mortem circumferret?* Minime

An princeps vitæ neciſque poteſtatem in ſubditos habeat.

me omnium, Nemo eſt, qui ſalutem ſuam ab alieno arbitrio ultro pendere velit, vix quiſquam amico, vix fratri vitam ſuam concedere auſit. Multo minus itaque extraneo, quamuis præſtantiſſimo, cum Athamas in filios, Aiax in amicos, æmulatione, odio, furore correptus interdum deſæviat. Sin vero quilibet, ut vitam ſuam diligit, ita maxime conſervatam cupit: quam, quæſo, ſecuritatem putes, ſi mucro tenui de filo ſuſpenſus, cervici tuæ perpetuo immineat? quas dapes non faſtidias, ſi iſte metus adſit? Quod vero tenuius filũ deligere queas, quam ſi homuncioni in dies, in horas, in momẽta mutari ſolito, milites quotidie frenum rationis, ut variis perturbationibus rapitur, excutienti, vitam, ſalutemque tuam commiſeris? Quæ, quæſo, ſpes hunc metum, quæ utilitas hoc damnũ periculumque compenſare ullo pacto queat? Innocentes ergo tantum, quos Legis vox damnarit, gladiũ ſtringere poſſunt. An non vero forte, quia vitæ cauſa favorabilior eſt, quos lex damnarit, abſolvere ſaltem rex poterit? Nihilo ſane magis. Quid enim? Graſſatores, prædones, ſicarios, raptores, veneficos, magos forte, & alios humani generis peſtes, quod tyrannos paſſim feciſſe legimus, & facere etiamnum videmus, præpoſtera iſta clemẽtia foveret. Itaq; quod unum lex violata perfugium habet, Aſylum ſceleratorum omnium foret. Qui vindicando ſceleri gladium à lege accepit, ſcelus ipſum adverſus legem armaret: lupos deniq; in ovile accerſceret, qui arcere deberet. At certe, quia interdum ea accidere poſſunt, in quibus lex muta, lege loquente, legis ratio, regis oratione, quaſi interprete, opus habet, cum quis nempe in legis verba magis, quã in ipſius ſententiam incidit, licebit regi, ne ſummum jus ſumma injuria fiat, adhibita in conſilium ratione, quæ legis anima ipſa eſt, legem inter-

l. nominis & rei. §. verbum ex lege. D. de ver. ſignif.

bant, quod ſub Henrico II. in cujuſdam extranei, graviſſimi criminis à rege ipſo accuſati perſona accidit. Cum quis vero reus amicorum precibus ueniam à rege impetravit, Cancellarius, cauſa cognita, recuſare poteſt. Sin & hic connivet, ad judices nihilominus veniat oportet, qui quidem non modo an obreptitia venia ſit, ſed etiam an civilis & legitima diligenter examinare debent, Reus vero, qui codicillos illos veniales impetravit, non prius iis uti & niti poteſt, quam ſeſe corā judicibus ſteterit capite aperto, genib⁹ flexis, carcereſque ultro ſubierit, interim dū cauſæ, quæ regem impulerunt, penſitantur. Hæc ſi minus idoneæ ſunt, mulctatur reus, perinde ac ſi rex non condonarit. Si contra, eſt ſane, quod non regi, ſed legi ejuſque æquitati, vitā acceptam ferat. Hæc partim, ne reges aut privata odia, publica potentia freti, exerceāt, aut publicas injurias auctoritate propria remittant, partim etiam ne ſubditi reges adverſus leges exorari poſſe putent rectiſſime inſtituta fuerunt. Quæ ſi hoc ſeculo male obſervantur; manet tamē id perpetuo ratū, quod dicimus, *Leges in regni incolas, vitæ neciſque poteſtatem habere, non reges, qui legum tantum miniſtri & cuſtodes ſunt.* Enimuero ſubditi regis ſervi, ut vulgo dicitur, minime ſunt, neque enim aut bello capti ſunt, aut precio empti. Quin potius, ut univerſi domini, quod antea probavimus, ita ſinguli fratrum, ſeu agnatorum & conſanguineorum loco cēſendi ſunt. Ne quis miretur: hæc eſt vox Dei, legem regib. præſcribentis: *Ne cor ſuum ſuper fratres ſuos extollant, è quorum medio delecti ſunt,* è qua Bartholus ipſe, licet in ſeculo tyrannorum feraci natus, non veretur dicere, ſubditos non eſſe regis ſeruos, ſed fratres, & fratrum loco & conditione etiam habendos. Itaque Davidem ſubditos eo nomine compellare non pudet.

Subditi ſunt regis fratres, nō ſerui.

Deut. 17.

det. Priſci vero reges vocabantur *Abimelech*, quod Hebraice ſonat, *Pater meus rex*. Nimirum Deus opt. maximus, cujus quotidie clementiam, raro ſeveritatem, etſi juſtiſſimam, ſemperque cum miſericordia conjunctam experimur, Principes vicarios ſuos docere voluit non metu, ſed amore ſubditos retinendos eſſe. Nec vero nobis ipſi ſuccenſeant, quaſi eo pacto quid regiæ dominationi detrahatur. Vere eo amplior eſt, quo diuturnior, *Malus vero*, inquit ille, *diuturnitatis cuſtos metus, cum oderint, quem metuant: &, quem quiſque odit, periiſſe expetat.* At contra, cum ad opes tuendas nil aptius ſit, quam diligi, benevolentia vel ad perpetuitatem fidelis eſt. Itaque qui ſubditos fratrum loco habet, in mediis periculis tutus videatur, qui ſervorum, in eo metu verſetur neceſſe eſt, in quo proculdubio dominus eſſet, qui in medio ſervorū agmine, ſolus in aliqua ſylua relinqueretur. Quot enim quis ſeruos, tot & hoſtes habet: quod omnes fere tyranni, à ſubditis cæſi experti ſunt; cum bonorum regum contra ſubditi non minus de illorum, quam de propria ſalute ſoliciti ſint. Huc pertinet, quod paſſim apud Ariſtotelem legitur, & ab Agaſicle rege Spartæ pronunciatum fuit, *Reges imperare tanquam patres filiis, Tyrannos tanquam dominos ſeruis.* Quod ita accipiendum eſt, ut patriam poteſtatem, non in atrocitate, ſed in pietate, ut ait Martianus Iuriſconſultus, conſiſtere intelligamus. Quod enim ſub glandibus obtinuit, ut patri filium mancipare & occidere impune liceret, non modo inter Chriſtianos locum non habet, ſed inter Ethnicos bene moratos etiam erga ſeruos jam pridem obſolevit. Itaque & pater inauditum filium occidere nequit, quin in Corneliam de ſicariis incidat: & l. Pompeia de parricidiis, non minus tenetur pater, qui filium, quam filius, qui patrem

1. Chronic. c. 28. Bart. in tract. de regim. Civit. Cic. l. 1. Off.

Plato libr. 8. de Republic. Seneca.

Aliud eſt ſervire, aliud obedire. aliud libertas, aliud licentia. l. 1. ff. de parricidi. lib. 2. ad lib. Cor. de ſica ubi Vlp. l. 1. Cic. de

trem occiderit, adeo ut Hadrianus imperator patrem, qui filium ſuum in venatione necaverat, quia novercam adulterare dicebatur, tanquam latronem, in inſulam deportari juſſerit. At ſervos vero quod attinet, admonemur, in Sacris literis, eos tanquam fratres tractare: in prophanis ſaltem ut mercenarios quoſque; jure vero civili tum Ægyptiorum, tum Romanorum, ex Antoninorum conſtitutione, non ſecus in eum, qui proprium ſervuum occiderit, pœna dicitur, quam qui alienum. Quin & ſervus, cui dominus ægrotanti non proſpexerit, quemve eſurire patiatur, liberatur ejus poteſtate: & libertus, cui patronus atrocem injuriam intulerit, poteſt actionem criminis ei intendere. Quod ſi vero longe intereſt inter ſervos & filios, inter dominos & patres, nec tamen olim apud Ethnicos dominis in ſervos ſævire licuit? quid quæſo de eo patre dicemus qui cũ Atreo tragice exclamabit: *Natis ſepulchrum ipſe eſt parens*: de eo principe, qui ſubditorum inauditorum cæde adeo recreatur, ut aliquod millia uno die interficiat, qui cruore nunquam ſatiatur, qui Caligulæ, qui propterea orbis Phaethon vocitabatur, exemplo, unam populo cervicem, quam unico ictu amputare poſſit, ſubinde exoptat? An non adverſus hanc rabiem legis auxilium implorare, & eum gladium, quem legi cuſtodiendæ tuendiſque bonis acceptum, in bonorum necem, legiſque contemptum ſtringit, tanquam tyanno extorquere licebit?

parricid Eccleſ. 33. Cic. li. 3. Offic. Diod. Sic. l. 2. c. 2. l. 1. ff. de his, qui ſunt ſui vel alieni juris.

Sequitur jam, ut videamus, *ſi minus vitæ an bonorum ſaltem dominus dici poſſit?* ac primum in bonis cujuſque privatis diſpiciendum eſt. Nulla vero hodie in principum Comitatu vox crebrior eſt, quam eorum, qui regis omnia eſſe dicunt. Itaque quod ipſe à ſubditis capiat, non auferre, verum quod non auferat, utendum donare: adeoque perſuaſit

hæc

hæc opinio quorundam principum mentes, ut miſeros ſubditos, non ſecus ac boves aratorios, quicquid arent, quidquid terant, ſibi arare terereque dicere non vereantur. Et quidem ita ex facto ſeſe habet, etſi jus plane contrarium ſit. Meminerimus hic perpetuo, Reges in utilitatem populi creatos eſſe, & qui populi commodis ſtudent, reges: qui ſuis, quod ait Ariſtoteles, tyrannos vere cenſeri. Cum igitur ſua quiſque amet, plerique etiam aliena appetant, an veriſimile eſt homines aliquem quæſiviſſe, cui omnia ſua magno labore conquiſita, ultro donarent, an potius, qui, ut ſua cuique diviti æque ac pauperi conſtarent, operam daret? qui ſibi cuncta attribueret, an potius, qui ſua cuique æquabili jure tribueret, qui tanquam fucus inutilis, apum labores exhauriret: an potius, qui mella conſervaret? qui denique propria cujuſque inuaderet, an qui ne ab hoſtib. invaderentur, proſpiceret? Quid, quæſo, mea refert, dicat Agricola, hoſtis, an rex mea mihi rapiat, ſi æque fame pereo? peregrinus, an cives horreũ meum evertat, cellam exhauriat, domum diruat, ſi æque eſurio, contabeſco, compluor, barbari militis, an Romani manu cadam, ſi æque occido? Cur hoſtis, dicet ille, barbarus, ſi tu civis? Cur tyrannus ille, ſi tu rex? Imo vero quo homicidio parricidium gravius eſt, eo ſcelus regis ſcelere hoſtium in pari damno ſuperat. Quod ſi vero homines regem creando ſua quæque regib. non donarunt, ſed conſervanda commendarunt, quo tandem, niſi prædonum titulo, ea ſibi vendicare queant? Propterea Pharaones Ægyptiorum, rerum privatarum cujuſque ipſo jure domini non erant, ſed tum demũ fuiſſe dicuntur, cum ſua quiq; frumento commutaſſent. Etſi de ejus contractus vi diſputari ſane & ambigi poteſt. Non poterat enim Achabus rex Iſrael Nabothum cogere

An omnia ſint Regis.

Gen. 45.

[...]g. c.

cogere, ut vineam ſuam venderet: quin potius etiam ſi voluiſſet vendere, ex lege divina non poterat. Imperatores Romani, quorum immenſa jactatur auctoritas, nihilo plus juris habuerunt. Hodie vero nullum regnum eſt, in quo non liceat ſingulis, etiam viliſſimis, adverſus regem apud Iudices jus ſuum perſequi, ita ut ſæpius rex, quam privatus cauſa cadat: ubi vero cecidit, legi parere æque teneatur. Nec obſtat quod quidam ex Imperatorum familiaribus ſcripſere, *Iure civili omnia regis eſſe, Cæſaremque omnia habere.* Iidem enim ſuam ita ſententiam interpretantur, ut ad reges univerſorum imperium pertineat, ad ſingulos proprietates, omniaque Cæſar imperio, ſinguli dominio poſſideant. Scitum vero eſt illud apud Iureconſultos, non ſi quis navem aut domum in univerſum vindicare poteſt, idcirco ſingulas tabulas, vel ſingulos lapides poſſe vendicare. Itaque regnum Germaniæ, Franciæ, Angliæ rex aſſerere, vindicare, euincere jure poterit: neminem tamen probum, niſi cum manifeſta injuria, proprio lare excludet, quaſi idem, qui univerſorum, ſingulorum etiam poſſeſſor eſſe debeat, aut jure poſſit.

l. venditor. 13. ff. de com. præd. divid. Seneca lib. de benefic. 7. 1. 4. 5. 6. *l. nave 36. ff. de evictionibus.*

An Rex ſit regni proprietarius.

An vero patrimonii regii, publici, inquam, dominii proprietarius dominus eſt? Hoc ſane caput paulo accuratius nobis tractandum eſt. Notandum hoc primum, aliud eſſe fiſci, aliud principis patrimoniũ: alias, inquam, res imperatoris, regis, principis, alias Antonini, Hẽrici, Philippi. Res regis ſunt quas ipſe, ut rex, poſſidet, res Antonini, quas ut Antoninus. Et illas quidẽ à populo, has à parentibus accepit. Hæc diſtinctio in jure Civili crebra eſt, in quo aliud imperii, aliud Cæſaris patrimonium dicitur: alius fiſcus Cæſaris, aliud Reipubl. ærarium: alius Cæſaris, alius fiſci imperatorii procurator: alii Comites ſacrarum largitionum,

l. bene à Zenone, C. de quad. præſc. l.

alii

vnus, de quæſt. Mag. l. 12. C. l. fiſcus. ff. de jure fiſci.

alii rerum privatarum: adeo ut, qui tanquam imperator præfertur privato in hypotheca, tanquam Antoninus poſtponi interdũ poſſit. Conſimiliter in imperio Germanico aliæ ſunt res Maximiliani Auſtriaci, aliæ Maximiliani Imperatoris & alii imperii, aliis ipſius quæſtores, ut etiam alio jure ſunt gentilitiæ principum ditiones, alio quæ Electoratus dignitatibus annexæ ſunt. Quin & alii ſunt apud Turcas fundi ſeu horti patrimoniales Selimi, alii fundi fiſcales: & illi quidem in menſam principis, hi in ſuſtentationem Imperii tantũ impenduntur. Sunt tamen regna ut Francicum, Anglicum & cætera, in quibus privatum patrimonium reges non habent, ſed publicum tantum à populo acceptum in quibus propterea ea diſtinctio non adhibetur. Ac quantum ad res privatas principis, ſi quæ ſunt attinet: non dubium eſt, quin earum proprietarii ſint, non ſecus ac ſinguli cives, quique eas jure civili vendere diſtrahereque pro arbitrio poſſit. Ac certe fiſci, regni, patrimonii regalis, quod *domaniũ* vulgato vocabulo nuncupatur, proprietarii domini nulla ratione cenſeri poſſunt. Quid enim? An quia te aliquis paſtorem gregis cauſa fecit, gregem ipſum deglubendum, dividendum, agendum ferendumq; pro libito tradidit? An quia te populus ducem judicemue urbis regioniſue alicujus conſtituit, urbis regioniſue alienandæ, vendundæ, perdendæ poteſtatem fecit? Cum vero populi una cum regione fiat alienatio, an ſui diſtrahendi, proſtituendi, mancipandi, cui volueris, idcirco tibi auctoritatem dedit? Deinde, num regia dignitas poſſeſſio eſt, an potius functio? Si functio, quid cum proprietate commune habet? ſin poſſeſſio, an non ſaltem ejuſmodi, ut is, à quo traditur, populus ſibi perpetuo proprietatem retineat? Denique ſi patrimonium fiſci, ſeu domanium, reip. dos vere

l. cum ſeruus, 39. §. vlt. D. de le. 1. l. univerſ. 9. & l. ſeq. C. de fund. patrimonio.

vere dicitur, & ea quidem dos cujus diſtractione, dilapidationeve & reſpublica ipſa & regnum,& rex denique ipſe perit,qua tandem lege dotem iſtam alienare licebit: Infatuetur ergo VVenceslaus Imperator, inſaniat Carolus VI. Galliæ rex regnumque,aut ejus partem Anglis donet vendatue: prodigat Malcolmus Scotiæ rex regios fundos, regiamque Gazam exhauriat: quid ſequetur? Qui regem adverſus exterorum impetus elegerunt, regis dementia ſervi exterorum fient: qui ſuis ſigillatim opibus ea ratione caveri voluerunt,univerſi prædæ exponentur: quæ ſibi quiſque, quæve pupillis, ut in Scotia, ademerit ut rempublic. dotaret, leno aliquis abliguriet. Si vero,quod jam ſæpius dixim,[9] reges in uſum populi creati ſunt:quis tandem uſus,erit,ſi non modo uſus ſed etiam abuſus conceſſus eſt? Cui bono tot mala,cui utilitati tot damna,totq;pericula? Si, inquã, dum libertati meæ incolumitative proſpicere volo,memet ipſe mancipo,memet ipſe unius libidini expono, memet in compedes numellaſq, induo:Itaque hoc juris ut natura inſitum, ita & uſu apud omnes fere gentes comprobatum videmus, ut remp. regi ſuo arbitratu minuere non liceat:iſq;qui contra faxit,non regẽ,ſed tyrannum agere cenſeatur. Certe cum reges crearentur, aliquas opes iis tribuere neceſſe fuit, quibus tum regium decus ſervarent, tum vero maxime regia onera ſuſtinerent. Ita etenim & honeſtas & utilitas poſcere videbatur. Ad munus regium pertinebat, judices ubique locorum conſtituere, qui munera non caperent, quique jus venale non proſtituerent: præterea vim, quæ juri, ſi quando opus eſſet, opem ferret,præſto habere, tutas vias, tutum commercium præſtare, &c. Sin bellum metueretur, adverſus hoſtes urbes præſidio munire, valloque cingere, exercitum alere, armamentaria inſtrue-

re. Scitum vero eſt illud, neque pacem abſque bello, neque bellum abſque milite, neque militem abſque ſtipendio, neq; ſtipendium abſque tributo conſiſtere poſſe. Ad pacis itaque onera ſuſtinenda, inſtitutum fuit domanium (qui apud Iureconſultos *Canon* vocitatur) ad belli *tributum*: ita tamen, ut ſi quid gravius ingrueret, extra ordinem indictio ſuccurreret. Quorum quidem omnium finis eſt, utilitas Reip. ut qui in privatam ea convertat, regis nomine plane indignus ſit. Eſt n. Princeps, ait Paulus, Dei miniſter in bonum populi, cique ut in id incũbat, tributa & vectigalia perſolvuntur. Et vere omnia fere olim hanc originem habuiſſe videntur vectigalia Romanorum, ut tutæ eſſent merces pretioſæ, ex India, Arapia, Æthiopia advehi ſolitæ, adverſus piraticas incurſiones, quarum cauſa claſſis publice inſtruebatur: quo in genere erat vectigal maris Rubri, Pedatica, Navigia, Portoria & cætera, ut viæ publicæ, quæ propterea Prætoriæ, Conſolares, Regiæ vocabantur, tutæ à latronibus planæque & faciles præſtarentur. Quod etiamnum onus regio cognitori incumbit, ut Pontes publici reſtaurarentur, ut ex conſtitutione Ludovici Pii, duodecim ſuper ſequanam ut naves trajiciendis fluminibus præſto eſſent, &c. Salinarum vectigalia nulla erant: imo plæreque in privatorum dominio erant: quia quæ natura ultro dabat, non magis quam lux, aura profluens vendi poſſe videbantur. Cumque rex quidam Lycurgus nomine in Aſia minore ſalinis vectigal imponere cœpiſſet, quaſi natura ſuam liberalitatem reſtringi non patiente, derepente exaruiſſe dicuntur. Etſi vero hodie,

Rom. 13.

Pli. l. 19. *cap.* 4. *Arch. in Can. ſi quis Romipetas & peregr.* 24. *q.* 3. *B. in c. §. conventiculat de pace jure tur. fir. l.* 2. *D. ne quid in loco pu. viarum l. magis puto D. de reb. eorum Iuvenalis.*

Si quid Palphurio, ſi credimus Armillate,
Quicquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto eſt,
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

Quo

Qui primus tamen hoc vectigal Romæ inſtituit, Livius cenſor, unde Salinatoris cognomen adeptus eſt ob neceſſitatem reip. præſentiſſimã fecit. In Gallia vero Philippus Longus ob eandem cauſam, in quinquenniũ tantum obtinuerat, cujus cõtinuatio quos motus pepererit, nemo neſcit. Tributa deniq; in bellica ſtipendia inſtituta fuiſſe, vel ex eo apparet, quod ſtipendiariam & tributariam Provinciã facere, idẽ re ipſa ſit. Sic Salomon tributa imperat muniendis urbib. & armamẽtario publico inſtruẽdo, quib. propterea, iis confectis, populus ſub Roboam levari cupit. Turcę vero ipſi tributum provinciarum, *Saarum populi ſanguinem* appellant, quem profundere, aut alio, quam ad populũ defendendũ convertere ſit nefas. Itaq; quæcunque rex bello acquirit ubivis gentiũ, quia communib. opibus acquirit, populo acquirit, non ſibi, quaſi ſeruus inſtitor domino. Quin etiã ſi quid per matrimonium forte adipiſcitur, (quod inquã, pure ſimpliciterq; uxoris ſit) regno acquiri putatur: quia præſumitur non eam ipſam uxorem ducere, quatenus Philippus aut Carolus eſt: ſed quatenus rex: contra vero, ut Reginæ partem habẽt eorũ, qua mariti nondum in regnũ cooptati, acquiſiverunt conſtante matrimonio, ita eorũ quæ poſt regnum adeptum, nullam plane: quia publicis opib. non privatis regis nummis parta cenſentur: quod in regno Francico inter Philippũ Valeſium & Ioannã Burgundam uxorem judicatum fuit. Ve vero pecuniæ in alium uſum extorqueantur, jurat Imperator, ſe nulla, niſi conventus publici auctoritate vectigalia impoſiturũ, tributave indicturum. Idem reges Poloniæ, Hungariæ, Danię, Angliæ, conſimiliter, ex Leg. Eduardi primi. Francorum reges olim in triũ ordinum conventu vectigalia imperabant. Vnde etiam eſt lex Philippi Valeſii, nę collectæ indicantur, niſi

2. Reg. c. 9. & 12.
Poſtel. lib. 3. de rep. Turc.

niſi ſumma neceſſitate urgente, deque trium Ordinum conſenſu. Quin & olim collectæ illæ in arcis per ſingulas diœceſes recondebantur ſelectiſque viris (Electos etiamnum vocant) cuſtodiendæ tradebantur, quibus militibus oppidatim conſcriptis per eorundem manus ſtipendia numerarentur: quod & in aliis regionibus ut puta Belgicis, fieri ſolebat. Hodie ſaltem, ni Senatus conſentiat, rata non ſunt quæcunque imperentur. Sunt vero quædam provinciæ, quæ non niſi de ordinum conſenſu, ex pacto tenentur, ut Linguadocana, Britannica, Provincia, Delphinatus & cæteræ quædam: ut in Belgio plane omnes. Denique ne fiſcus, quo tanquam liene tumente, cætera membra contabeſcunt, omnia ad ſe rapiat, ſuum ubique locorum fiſco demenſum tribuitur. Cum itaque tandem conſtet, quæ regibus ordinarie aut extra ordinem tribuuntur, tributa, vectigalia, domaniumque adeo quod vocatur, univerſum (quo nomine Portoria, iſagogica, exagogica, regalia, bona ἀκληρονόμητα, caduca, commiſſa, & cætera hujuſmodi comprehendimus) in populi utilitatem & defenſionem, regnique ſuſtentamentum attributa fuiſſe: & ita quidem ut iis neuris ſuccifis, populum labaſcere, iis ſubrutis fundamentis regnum corruere neceſſe ſit: ſequitur ſane, eum, qui in diſpendium populi, populum onerat, qui è publico damno lucium captat, ipſumque adeo proprio gladiō ingulat, regem non eſſe: contra, verum regem, ut publicorum negotiorum curatorem: ita & publicarum opum adminiſtratorem, non autem proprietarium dominum eſſe, qui quidem domanium regium non magis quam regnum ipſum alienare, aut diſſipare poſſit. Quod ſi vero aliter ſe geſſerit, ſane ſi reipublicæ intereſt, ut quiſque ſua propriaque re bene utatur, multo magis, republica quis bene utatur, reipu-

reipubl. intereſt. Ac propterea ſi dominus, qui ſua prodigit, ad agnatos & gentiles auctoritate publica deducitur, ſuiſque rebus abſtinere cogitur: multo ſane æquius curator Reip. qui Remp. in publicam perniciem convertit, aut funditus evertit, ab iis quorum intereſt, quibuſq; ex officio convenit, omni adminiſtratione, ni admonitus deſinat, ſpoliari poterit. Quod autem rex in omnibus legitimis imperiis, patrimonii regii proprietarius dominus non ſit, facile eſt oſtenſu. Ne antiquiſſima illa ſecula petamus, quorũ imaginẽ habemus in perſona regis Hethæorum Ephrõ, qui ne agrum quidem ſuum inconſulto populo Abrahamo vendere audet. In omnibus imperiis id juris hodie uſurpatur. Imperator Germaniæ, antequam coronetur, ſancte jurat, ſe ex his, quæ ad imperium imperiiq; patrimonium pertinent, nihil alienaturum, diſtracturum, oppignoraturumue. Si quid vero recuperet, aut acquirat viribus publicis, Imperio, non ſibi quæſitum iri. Itaq; cum Carolus IV. ut VVenceslaus filius deſignaretur imperator, Electorum cuique centum coronatorũ millia pollicitus; quia pecuniam in numerato non habebat, illis, eo nomine telonia, vectigalia imperialia, oppida, proprietates & jura, pignoris titulo obligaſſet: acerrima diſſertatio coorta eſt, & pleriq; oppignorationem irritam eſſe judicarunt: quę ſane non valuiſſet, niſi iis ipſis, qui imperium tueri debebant, eamq; oppignorationẽ imprimis oppugnare, quęſtuoſa fuiſſet, Propterea vero VVenceslaus ipſe coactus eſt tanquã incapax, ſeſe imperio abdicare, quod regalia jura, ducatus præſertim Mediolanenſis, ſibi eripi paſſus eſſet. In regno Polonico lex vetuſta eſt, de non alienandis terris regni Poloniæ, renovata cIↄ. cccLXXV. per regem Ludovicum. Eſt eadem in Hungarico. vnde legimus, Andreã Pannoniæ

regem circa annum cIↄccxxI. apud Honorium tertium Pontificē poſtulatū fuiſſe, quod neglecto jurejurando dominica prædia diſtraxiſſet. In Anglico, lege Eduari, anno cIↄ. ccxcvIII. In Hiſpanico pariter ex cōſtitutione ſub Alfonſo facta renovara demum cIↄ. IↄLX. in Toletanis comitiis, quæ quidem leges ſancitæ fuerunt, cum longò ante tempore conſuetudò vim legis obtinuiſſet. Ac certe in Francico, in quo, tanquam cæterorum exemplari, diutius hæreo, hoc jus perpetuo ſacroſanctum erat. Lex eſt regni antiquiſſima, jura, inquam, cum ipſo regno nata, de domanio non alienando, anno cIↄ IↄLXVI. etſi male obſervetur, renovata. Excipiuntur tantū duo caſus, *Panagium* ſive *Appennagium* (alimenta) liberis fratribuſue attribuendum: ita tamen, ut jus clientelare perpetuo retineatur: deinde, ſi neceſſitas bellica poſtulet, cum pacto tamen redhibitorio. Quod interim utrumque, irritum olim cenſebatur, ni trium Ordinum conventus juſſiſſet: hodie vero, ex quo Parlamentum ſtatarium factum eſt, ni Senatus Lutetianus, qui Senatus parium eſt, & Camera ratiociniorum publicorum comprobarint & præfecti fiſci etiam, edicto Caroli VI. & IX. Vſque adeo vero hoc verum eſt, ut ſi quam Eccleſiam priſci Galliæ reges dotare vellent, etſi ea tum cauſa favorabilis in primis videbatur, optimatum conſenſum adhibére tenerentur: ut exemplo eſſe poteſt Childebertus rex, qui abſque Francorum & Neuſtruſiorum conſenſu monaſterium divi Vincentii Pariſienſis dotare auſus non fuit, ut neque Clodoveus II. & cæteri. Quin ne regalia quidem aut ius nominandi prælatos cuiquam Eccleſiæ remittere poſſunt. Si qui vero fecerunt, ut in gratiam Senonenſis Eccleſiæ Ludovicus XI. Altiſſinodorenſis Philippus quartus: Nivornenſis Philippus Auguſtus, Senatus irritum pronunciavit.

Tit. 20. *Act.* 4.

Paragrap. 11. *&* 16. *legis regiæ lutæ,* 1566.

ciavit. In hanc legem rex Francorum Rhemis *l. peio.* 69.
inaugurandus jurat: quã ſi violet, perinde va- *§. prædiũ.*
leat, ac ſi de Turcico Perſicove imperio con- *D. de leg.*
trahat. Hinc Conſtitutiones, ſive ut vocant, 2. *Ann.*
ſtatuta Philippi Sexti, Ioannis Secundi, Caroli 1329.
V. Sexti, Octavi, de revocandis iis, quæ per
majores ſuos alienata fuerant. Hinc reſciſſæ
in Turonico trium Ordinum conventu, cui
Carolus VIII. intererat, Ludovici undecimi
patris, alienationis pleræque & hæredib. abla-
ta, quæ Tancredo Caſtellano, de ipſo bene me- 1360.
rito, propria auctoritate donarat, oppida. 1374.
Quod & in poſtremo trium ordinum convẽ- 1401.
tu Aureliæ habito, denuo ſancitum fuit. Hæc 1583.
de fundis publicis. At quo regnum Regi præ- *Anno*
ferri evidẽtius appareat, eumque, quam à po- 1483.
pulo accepit majeſtatem, privata auctoritate 1522.
minuere non poſſe, neminẽ ſuo imperio exi- 1533.
mere poteſt, neque ulla regni in parte, ſummi 1549.
imperii jure ceredere. Conatus eſt aliquando *Areſtis e-*
Carolus Magnus, Francicum regnum Germa- *tiam Curi-*
nico imperio ſubjicere. Franci vero verba fa- *æ. Anno*
ciente Vaſcone quodam principe, acriter re- 1560.
ſtiterunt. Ac res ad arma prolapſa fuiſſet, ſi *Paulus*
Carolus ulterius perrexiſſet. Conſimiliter, cũ *Æmilius*
pars aliqua regni Francici, Anglis tradita fuit, *lib.* 3.
ſummum jus perpetuo fere exceptum fuit. Si *Anno*
quãdo vero vis extorſit, ut fœdere Britiniaco, 1195.
quo rex Ioannes, in Vaſconia & Pictonib. ſum- 1200.
mo iure ceſſit: neq; pactum ſeruavit rex, neq; 1269.
magis potuit aut debuit ſervare, quam tutor 1297.
curatorue captiuus, ut tum ille erat: qui ut ſe 1303.
redimeret, bona pupillorũ obligaret. Eodem 1325.
jure Senatus Lutetianus fœdus Confluentium 1330.
reſcidit, quo Carolus Burgundus Ambianum *Anno*
& vicinas urbes regi extorſerat: noſtro etiam 1360.
tempore Maditianum pactum, inter Franciſcũ *Anno*
primum captivum, & Carolum V. Imperat. 1467.
de Ducatu Burgundiæ. Caroli VI. vero dona- *&*
tio regni Franciæ mortis cauſa in Henri- 1525.

cum Angliæ regem collata, ſummæ ipſius inſaniæ argumentum, ſi alia deſint, idoneum eſſe poteſt. Vt autem alia omittam, quæ in hanc rem dici poſſent, quo jure tandem regnum regniue partem ullam donare aut vendere Rex poſſit: cum illa in populo, non in mœnibus conſiſtant: liberorum vero hominum non ſit commercium; cum ne libertos quidem patroni cogere poſſint: ut alio loco, quam illis placeat, domicilium ſuum ponant. Maxime vero, cum non ſervi, ſed fratres, nec fratres modo reges ſinguli ſint, ſed univerſi domini regni dici debeant.

Anno 1420. *Monſtrelet. cap.* 225. *l. liber homo.* 103. *ff. de verb. obl. l. ſiemp.* 34. §. 1. *ff. de contr. empt. l. pẽ. C. de oper. lib.*

An rex ſit regni uſufructuarius.

An vero ſi minus regni proprietarius rex eſt, regni ſaltem domaniique uſufructuarius dici poteſt? Sane ne uſufructuarius quidem. Fructuarius pignori dare poteſt. Diximus vero, reges fiſci patrimonium oppignorare non poſſe. Fructuarius de fructu donare ſuo arbitrio poteſt. Regis contra dona imméſa, irrita cenſentur: impenſæ non neceſſariæ reſcinduntur, ſuperfluæ reſecantur: quod in aliũ, quam in publicum uſum converterit, rapuiſſe cenſetur. Nec vero minus lege Cincia tenetur, quam privatus civis apud Romanos quilibet: in Gallia præſertim, abſque Cameræ ratiociniorum, quam vocant, conſenſu, nulla dona valét. Hinc Camrcæ ordinariæ ſub prodigis regibus annotationes: *Trop donné ſoit repeté:* Id eſt *immenſa eſt hac donatio, itaque repetatur.* Hæc eadem vero qualecunque tandem reſcriptum à rege accipiat, ſe nil, quod regno reique publicæ damnoſum ſit, admiſſuram ſancte jurat: etſi certe parum ſancte obſeruat. Fructuarius denique, quomodo fructibus ſuis utatur fruaturque, lex non curat. Regi contra quomodo, & in quem uſum iis uti debeat, lex præſcribit. Itaque priſci Galliæ reges, dominicos reditus quadrifariam partiri tenebantur. Pars una impendebatur in ſuſtenta-

tionem miniſtrorum Eccleſiæ, & inopum: altera in menſam principis: tertia, in familiarium ſtipendium: poſtrema in refectionem arcium, pontium ædiumque regiarum. Reſiduum ſi quod erat, in ærario reponebatur. Qui vero motus anno circiter cIↃ ccccxii. in Lutetiano trium Ordinum conventu fuerint, quod Carolus VI. in ſuam libidiné ſuorumue, omnia convertiſſet, quodque domeſticæ rationes, quæ antea nonaginta quatuor Francicorum numerorum millia exceſſerant, in tam miſero reipubl. ſtatu ad quingentorum quadraginta Francicorum millia excreviſſent, ex Hiſtoriis ſatis conſtat. Vt autem dominici reditus ita impendebantur, ita & oblationes ſeu auxilia in bellum, ut & indictiones ſeu taleæ in militum ſtipendia tantum deſtinata erant. In cæteris regnis nihilo ſane plus auctoritatis rex habet: imo in pleriſque minus: ut in imperio Germanico & Polonico; Hoc vero ideo in Francico probare voluimus ita ſe habere, ne, quo quis plus injuriæ audet, eo plus etiam juris habere putetur. In ſumma, quod ante diximus, regis nomen non hæreditatem, non proprietatem, non uſumfructum, ſed functionem & Procurationem ſonat. Vt Epiſcopus ad animæ, rex ad corporis curam ſalutemque (in iis, quæ ad bona publica attinent) inſtitutus eſt: ut ille bonorum ſacrorũ, hic profanorum diſpenſator eſt: &, quæ ille in Epiſcopalib. hic in dominicis prædiis poteſtatem, & nihilo majorem habet: prædiorum Epiſcopalium, abſque conſenſu capituli, alienatio non valet: ut nec dominicorũ abſq; conſilio publico optimatũue ſenatu: fructuũ ſacrorum pars una ædificiis, altera pauperib. tertia ſodalibus, quarta Epiſcopo ipſi dicatur: idem vero ferme in reditibus regni diſpenſandis regem præſtare debere videmus Non obſtat, quod hodie paſſim contra uſurpetur Etenim

Monſtrelentus in Carolo 6.

Ex Concil. Valentin.

Cap. 2. de his quæ fiunt à prælatis abſque conſ. capit.

enim nō, quod Epiſcopi pleriq; pauperib. tollant, quæ in leones profundant, aut prædia omnia nemoraque vaſtent, officium Epiſcoporum ullatenus immutatū eſt. Nō, quod imperatores nonnulli omnimodā poteſtatem ſibi tribuerunt: neq; enim quiſquam in ſua cauſa judex eſſe poteſt. Quod ſi vero Caracalla aliquis dixit: *quam gladius ſupereſſet, pecuniā non defuturam:* aderit & Hadrianus Cæſar, qui dicat *ſe ſic geſturum principatum, ut ſciat rem populi eſſe non ſuam*, quod unum fere regē à tyranno diſtinguit. Non, quod Attalus Pergamenorū rex, populum Romanū, regni hæredē inſtituerit: quod Alexander Ægypti, Ptolemæus

Flor. lib. 2. Cyrenorū regnum, populo Romano, aut Pra-

Liu. li. 70 ſutagus Icenorum Cæſari legaverint. Iſta ſane

Taci. li. 14 magna vis, Iuris vim debilitare non poteſt: imo, quo major eſt, eo minus jus noſtrū lædit. Quæ etenim Romani juris pretextu capiebāt, ſi is prætextus defuiſſet nihilominus vi occupaſſent. Videmus vero noſtro fere tempore Venetos imaginariæ cujuſdā adoptionis prætextu, quæ abſque vi ridicula plane fuiſſet, re-

Volater libr. Greg. 3. gnum Cypri occupaſſe. Non obſtat quoq; donatio Conſtantini in Sylveſtrē Pontificem, iſta enim palea Gratiani jam pridem exolevit, inique damnata eſt. Non donatio Ludovici Pii in Paſchalem, Romæ nempe, cum parte Italiæ; quia enim donabat Pius, quæ non poſſidebat, nemo reſtitit. At Carolo patri, Francorum regnum imperio Germanico ſubdere volenti, Franci jure reſtiterunt: & ſi perrexiſſet, vi reſiſtere parabant. Non, quod Salomonem Hiramo regi Tyri, viginti oppida tradidiſſe legimus: neque enim ea donavit, ſed creditori in ſolutum tradidit, ac intra certum tempus recuperavit, quod ex ipſo textu liquet. Erant vero præterea fundi ſteriles, à reliquiis Gentium culti, quos ab Hiramo receptos Iſraelitis demum excolendos incolendoſque dedit. Nihilo ma-

1. Reg. c. 9. 2. Chron. c. 8.

:o magis obſtare poteſt, quod in quibuſdam fere regnis ea pactio inter regem & populum non ita diſerte intercedat. Etenim ut ea etiã nulla ſit, conſtat tamen jure naturæ, reges reipub. non everſores, ſed moderatores eſſe, jus reipub. ſuis pactionibus mutare non poſſe: dominos tantum, cum pupillis proſpitiunt, non ſecus ac tutores haberi: dominum vero eum non cenſeri, qui civitatem libertate ſpoliat, & mancipii inſtar divend t. Nõ denique, quod quædam regna ſint à regibus ipſis parta, quia enim non ſuis, ſed publicis manibus, viribus, opibus regna acquirunt: nil vero magis rationi conſentaneũ eſt, quam ut ea, quæ publicis opibus, & communibus civium periculis parta ſunt, abſque communi conſilio non alienentur: quod & inter ipſos prædones obtinet. Societatem humanam dirimit, qui contra facit. Itaque etſi imperium Germanicum Franci, iidemque Gallicum regnum vi occuparint: id tamen juris in utroque obtinet. In ſumma: ſtatuamus tandem oportet, reges patrimonii regii non proprietarios, non fructuarios, ſed adminiſtratores tantum eſſe: cumque ita ſit, multo ſane minus, aut rerum privatarum cujuſque, aut rerum publicarum, quæ ad ſingula municipia pertinent, proprietatem, uſumfructumue ſibi tribuere poſſe.

lib. 2. §. jus rei publ. D. de adminiſtr. re. ad civ. pert. li. tutor. 27. D. de ff. de admin. tutor. l. ſi fundum §. ſi tutor. ff. depoſiti & expreſſius Extraua. de re judic c. intellecto. l. 2. & paſſim C. de interdict. com. rerum alienam.

Hic tamen nobis, antequã ulterius progrediamur, ſcrupulus eximendus eſt. Cum populus Iſraeliticus regem poſtulaſſet, dixit Deus Samueli: *Audi vocem populi: verum ſignifica ei primum, quodnàm ſit futurum jus Regis, qui regnabit ſuper eos.* Tum vero Samuel hoc regis jus futurum inter alia expoſuit, ut agros, vineas, oliveta cujuſque capiat, quæ miniſtris ſuis donet, res cujuſque privatas in ſuum uſum convertat: denique ipſos in ſervitutem redigat. Mirum vero, quanti hunc textũ

1. Sam. c. 8. v. 14.

Aulici noſtri faciant: qui alias univerſam Scripturam ludibrio habent. Vult hic Deus opt. max. populo Iſraelitico ipſius levitatem oſtendere, qui cum Deum ipſum præſentem haberet, qui judices, duceſque belli, quoteſcunque rogabatur ipſos & probos ipſi eligeret, lubricum tamen homuncionis, in horas mutari ſoliti, quam Dei immortalis immutabile imperiũ mallet. Indicat itaque illis quam lubrico in loco ſit rex conſtitutus, quam proclivis vitium in violentiã lapſus, quam præceps regni in tyrannidem mutatio. Regem etenim, quem ei tradat, gladium in ipſos ſtricturum, ſua poteſtate præpoſtere uſurum, jus in vi omne poſiturum. Hoc vero, quod ultro ſibi accerſant malum, tum demum ſenſuros, cum remedio locus non fuerit. Denique non quod ſit jus regum, ſed quod jus ſibi reges tribuere ſoleant: non quod facere ex officio debeant, ſed quid plerunque ex maleficio uſurpent, hoc in textu deſcribitur. Id autem ex Deutero. 17, quod Deus Legem regib. præſcri-
Deut. 17. bit manifeſte liquet. Hic dicit Samuel, Regem ſubditos loco ſervorum habiturum: illic præcipit Deus, ne cor ſuum ſuper fratres extollat: ne inquam, in ſubditos, quos conſanguineorum loco habere tenetur, inſoleſcat. Hic, currus fabricaturum, equites inſtructurum, propria cujuſque invaſurum dicit: illic, ne equos congreget, ne aurum argentumue accumulet, ne populum in Ægyptum, id eſt, in ſeruitutem reducat, monetur. Hic Achabus depingi-
1. *Reg.* 21. tur, qui Nabothi vineam ſcelere acquirit: illic
2. *Sam.* David, qui ne aquam quidem periculo ſuorũ
23. *v.* 16. hauſtam, bibere juſtum putat: hic prædicit Samuel, Regem, quem jure cuſtodiendo poſtularint, exlegem futurum: illic contra Deus, Legem ſuam regi per ſacerdotes tradi jubet, quam deſcribat, perpetuoque ante oculos habeat. Itaque Samuel ipſe ſacerdos ſummus,

Legem

Legem ipſam regiam, quæ Deuter. 17. extat, Sauli in volumine deſcriptam tradit, quod certe minime feciſſet, ſi eandem violare jus fuiſſet. In ſumma: perinde eſt, ac ſi dixiſſet Samuel: Petiſtis Regem exemplo cæterarum gentium, plerique vero ſunt tyranni, Regem, qui vobis jus diceret: plerique vero quicquid velint, ſibi licere arbitrantur. Interim tamen Deum, cujus ipſa voluntas juſtitiæ regula eſt, ultro deſeritis. Extat autem apud Herodotum Hiſtoria, è qua facile cognoſcitur, quam proclivis ſit regni in tyrannidem mutatio, cujus Samuel populum admonitum volebat. Dejoces propter inſignem juſtitiæ commendationem à Medis Iudex primum eligitur: mox, ut, ſi qui jure reſiſterent, eos conpeſcere poſſet, cum idonea poteſtate Rex conſtituitur. Tum ſatellites petit, dein arcem Ecbatanam, adverſus contumaciam injutias ſibi extrui curat: demum in propriis injuriis vel minimis ulciſcendis totus eſt: ad extremum vero regis vultum intueri, regis in conſpectu ridere, aut ſpuere, crimen judicatur. Vſque adeo periculoſum eſt, impotenti animo, qualis eſt plerorumque hominum, nimiam potentiam concedere. Non ergo docet eo in loco Samuel, abſolutam eſſe regis potentiam: imo contra populum, ne diſſolutæ hominis impotentiæ, nimium potentiæ tribuat, admonitum cupit. Non regis vim exaggerat, ſed aggere coercendam dicit: non effrænem aliquem licentiam regi concedit: quin potius frenum injiciendum tacite ſuadet. Hac vero oratione moti Iſraelitæ, regum ſuorum potentiã temperaſſe videntur: quod & omnes prudentes nationes, ſive proprio, ſive hoc eodem exemplo, ſive etiam alieno periculo edoctæ, ſapiter fecerunt, ut ex iis, quæ ſequuntur, manifeſtum erit.

Fœdus ſive pactum inter regem & populum.

Deut, 17. 1. *Sam*. 10.

Diximus in conſtituendo rege duplex fœ-

v. 25. dus initum fuiſſe: primum, inter Deum & re-
2. *Sam.* c. gem & populum, de quo ſupra: ſecundum in-
5. v. 3. ter regem & populum, de quo nobis jam a-
2. *Reg.* c. gendum eſt. Saule rege conſtituto, traditur ei
11. v. 17 & lex regia ſecundum quam imperet. David in
22. Hebrō init fœdus coram Domino, id eſt, Deo
2. *Chron.* c. teſte adhibito, cum omnibus ſenioribus Iſra-
23. v. 3. el, qui univerſum populum repræſentabant;
2. *Reg.* c. tum vero demum in regē ungitur, Ioas quo-
23. v. 3. que cum univerſo populo terræ, in domo Do-
1. *Chro.* 11. mini, Iojada ſummo ſacerdote verbis præe-
v. 3. unte. Impoſitum vero dicitur ei una cum di-
ademate teſtimonium: quod plerique legem Dei, quæ paſſim eo nomine vocatur, interpretantur. Conſimiliter Ioſias promittit, ſe obſervaturum præcepta, teſtimonia & ſtatuta, in libro fœderis comprehenſa. Quibus nominibus intelliguntur leges, quæ tum ad pietatem, tum ad juſtitiam pertinent. Quibus omnibus in locis dicitur fœdus initum cum univerſo populo, univerſa multitudine, omnibus ſenioribus, omnibus hominibus Iudæ: ut intelligamus, quod etiam ſigillatim exprimitur, non modo principes Tribuum verum etiam omnes Chiliarchos, Centuriones, magiſtratuſque inferiores adfuiſſe, urbium nomine; quæ ſingulæ per ſe cum rege paciſcerentur. In eo pacto agebatur de creando rege. Populus enim regem faciebat, non rex populum. Itaque non dubium eſt, qui populus ſtipularetur, rex promitteret. Stipulatoris vero partes in jure potiores cenſentur. Stipulabatur ille à rege, an non juſte & ſecundum leges regnaturus eſſet? hic, facturum ſpondebat. Populus demum ſe juſte imperanti fideliter obſequuturum reſpondebat. Itaque promittebat rex pure, populus ſub conditione: quæ ſi non impleretur, populus ipſo jure omni oblgatione ſolutus cenſeretur. In primo fœdere ſeu pacto, Pietas in obligationem

venit:

venit: in ſecundo, Iuſtitia: illo promittit rex, ſe pie obediturum Deo: hoc, ſe juſte imperaturum populo, illo, ſe gloriam Dei: hoc, utilitatem populi curaturum: in illo ineſt conditio, *Si legem meam obſervaris:* in hoc, *Si jus unicuiq; ſuum tribueris.* Illius, ni impleatur, Deus proprie vindex eſt: hujus, legitime univerſus Populus, quive univerſum populum tuendum ſuſceperint, regni proceres. In omnibus vero legitimis imperiis ita perpetuo obſervatum fuit. Perſæ ſacrificiis rite peractis, hanc cum Cyro conventionem faciunt: *Tu primum Cyre, ſi quis Perſis bellum faciat, aut leges violet, promittiſne auxilium patriæ tuæ, omnibus viribus tuis?* Ac ut reſpondit: *Nos Perſæ,* ajunt illi, *viciſſim tibi auxilio erimus, ſi quis tibi patriam tuenti obſequi nolet.* Xenophon vero hanc conventionem συμμαχίαν, id eſt confœderationem vocat, quomodo Iſocrates orationem de officio ſubditorum erga principem συμμαχικὸν λόγον. Inter reges Spartanorum & Ephoros fœdus ſingulis menſibus renovabatur, etſi illi ſemper ex Heraclidis erant. Vt vero jurebant reges, ſe ſecundum leges patriæ regnaturos, ita Ephori, ſi feciſſent, regnum in ipſorum manu ſtabilituros. Conſimiliter in regno Romanorum Romulus cum ſenatu & populo hoc pactum facit. Populus leges ferret, ipſe rex latas cuſtodiret: Bellum populus decerueret, ipſe gereret. Et ſi vero imperatores plerique vi & ambitu magis, quam ullo jure imperium Romanorum adepti ſunt & lege regia, quam vocant omnimodam poteſtatem ſibi arrogarunt: quæ tamen extant legis illius fragmenta tum in libris, tum in Romanis inſcriptionibus, ſatis docent, Reipublicæ curandæ & adminiſtrandæ, non evertendæ, & per tyrannidem opprimendæ facultatem conceſſam illis fuiſſe. Quin & legibus ſeſe teneri, profeſſi ſunt boni

Xenophon lib. 8. de Pæd.

Xenophon de Republ. Laced. Dionyſ. Hali. libr. 1.

imperatores & ſenatui imperium acceptum tulerunt, & ad ſenatum graviſſima quæque retulerunt, eoque inconſulto, quidquā,quod ad ſummam rei pertineret, decernere nefas putarunt. Quod ſi vero hodierna imperia ſpectemus, nullum ſane eſt, quod eo nomine dignum cenſeatur, in quo inter Principem & ſubditos pactum ejuſmodi non intercedat. In imperio Germanico, non ita pridem ſolebat rex Romanorum, in imperatorem coronandus, fidem & hominium præſtare imperio ſecus ac vaſallus ſeniori, cum inveſtituram feudi accipit. Licet vero per Pontifices verba concepta, in quæ jurabat, paulo immutata fuerint, res tamen eadem perpetuo manet. Itaque Carolum V. Auſtriacum certis legibus & conditionibus in imperatorem cooptatum ſcimus ut & alios, qui ſequuti ſunt, quarum ſumma erat: *leges latas cuſtoditurum: novas, inconſultis Electoribus, non laturum: publica publico conſilio curaturum: nil alienaturum oppignoraturumue ex iis quæ ad imperium pertinent:* & cætera; quæ ſigillatim ab Hiſtoriographis recenſentur. Cum vero imperator Aquiſgrani coronatur, Colonienſis Archiepiſcopus ſtipulatur primum: *an non ſit Eccleſiam defenſurus, juſtitiam adminiſtraturus, imperium conſervaturus, viduas, orphanos, omneſque omnino miſeratione dignos protecturus?* Quod ubi ſolenniter ante aram juravit, rogantur principes, quique imperium repræſentant, an ipſi idem promittere velint. Nec vero prius aut ungitur, aut gladium, reip. defendendæ nomine, aliave imperii inſignia accipit, quam juſiurandum illud præſtiterit. Ex quo ſane manifeſtum eſt, imperatorem pure, principes imperii ſub conditione obligari. In regno Polonico quin idem obſervetur, dubitabit nemo, qui ritum in Henrici Andegavenſis electione coronationeque nuper

Specu. Saxo. lib. 3. art. 54

Sleid. lib. 1. & 2.

nuper admodum obſervatum intellexerit. In primis cum conditio de utraque religione, tum Evangelica, tum Romana, conſervanda appoſita fuit, quam conceptis verbis ter ſtipulantibus proceribus ter ſpopondit. In Hungarico, Bohemico, & cæteris, quæ recenſere longum eſſet, idem plane fit. Nec vero tantum ubi electionis jus integrum hactenus manſit, verum etiam ubi ſucceſſio mera vulgo obtinere putatur, eadem prorſus ſtipulatio intervenire ſolet. Rex Franciæ quando inauguratur rogant primum Laudunenſis & Bellovacus Pares Eccleſiaſtici, populum, qui adeſt, univerſum, eumne regem eſſe cupiat jubeatque? Vnde etiam à populo tum eligi in ipſa inaugurationis formula dicitur. Vbi populus conſenſiſſe videatur, jurat, ſe leges Frāciæ privilegiaque ac jura in univerſum omnia tuiturum, domanium non alienaturum, & cætera: quæ etſi interpolata fuerunt, & longe diverſa ab antiqua formula, quæ extat in Bibliotheca capituli Bellovacenſis, in quam Philippus primus juraſſe comperitur: nihilominus tamen diſerte ſatis exprimuntur. Nec vero prius accingitur gladio, ungitur, coronatur à Paribus, (qui & ipſi corollis ornati ſunt) ſeptrumque & virgam juſtitiæ accipit, aut rex proclamatur, quam populus juſſerit: neque etiam prius ei Pares jurant, quam ipſis fidem dederit, ſe leges accurate cuſtoditurum. Eæ vero ſunt, ne patrimonium publicum dilapidet, ne vectigalia, portoria, tributa ſuopte arbitrio imponat indicatve, ne bellum decernat, pacemque faciat: denique, ne quid in publicum, niſi publico conſilio ſtatuat. Item ſua Senatui, ſua Comitiis, ſua regni officiarii conſtet auctoritas: & cætera, quæ perpetuo in regno Francico obſervata fuere. Vbi vero provinciam aliquam, urbemve ingreditur, privilegia ejuſdem confirmare re-

tenetur, inque ejus leges & conſuetudines ſe ſe ſacramento devincit. Quod nominatim apud Tholoſates, Delphinates, Armoricos, Provinciales, Rubellanos ipſos obtinet, quorum cum regibus conventiones diſertiſſimæ ſunt: quæ fruſtra omnes eſſent, niſi locũ cõditionis in contractu tenere cenſerentur. Extat antiquorum regum Burgundiæ jusjurandum his verbis: *Omnibus legem, juſtitiam: maniburgium*, id eſt tutelam, *conſervabo* In Anglia, Scotia, Suedia, Dania idem fere mos eſt, qui in Francia. At certe nuſquam diſertius, quam in Hiſpania. In Regno enim Aragonico, peractis multis ceremoniis inter eum qui juſtitiam Aragonicam, ſeu publicam majeſtatem repræſentat, in ſublimiori quodam ſolio, & regem inaugurandum, qui illi fidem & dominium præſtat, lectiſque legibus & conditionibus, quibus implendis obligatur, his tandem verbis Proceres lingua vernacula regem affantur: *Nos, qui tantum valemus, quantum vos*, (ita enim fert idioma Hiſpanicum) *& plus poſſumus, quam vos, regem vos eligimus, cum his & his conditionibus. Inter vos & nos imperat magis quam vos.* Ne vero ſe perfunctorie tantum aut conſuetudinis antiquæ obſervandæ cauſa juraſſe putet, tertio quoque anno in publico conventu hæc eadem verba ei repeti ſolent. Quod ſi regia potentia fretus inſoleſcat, léges publicas violet, fidem datam deniq; negligat: tum ſane ipſo jure, ſũmo eo anathemate devotꝰ cenſetur, quo olim Eccleſia Iulianum Imperatorem apoſtatã devovit. Cujus quidem ea vis eſt, ut non pro eo amplius, ſed in eum preces concipiantur: ipſi vero ſua fide & obligatione plane ſoluti ſint, eo jure, quo vaſallus ſeniori excommunicato parere neq; ex officio debet, neq; ex ſacramento tenetur, quod tum Concilii tum Conventus publici apud eos decreto ſancitum eſt.

In Annal. Burgund.

In Concil. Tolet. 4. *c.* 14. *& in Tolet.* 6. *li.*

Con-

Conſimiliter in regno Caſtellæ, Concilio in dicto rex inaugurandus publice primum admonetur ſui officii: mox perleguntur conditiones diſertiſſimæ quæ ad reipublicæ utilitatem pertinent. Tum jurat rex, ſe eas diligenter & fideliter obſervaturum. Demum vero magnus Equitum magiſter illi ſeſe jurejurando adſtringit, quem cæteri deinde principes civitatumq; legati ſuo quique ordine ſequuntur. Quod & in Luſitanico, Legionenſi, cæteriſque Hiſpaniæ regnis perinde obſervatur. Neque vero minores principatus alio jure inſtituti fuerunt. Extant Brabantinorum cæterorũq; Belgiæ populorum, Auſtriacorum Carinthiorum & cæterorum cum Principibus ſuis diſertiſſime conventiones, quod ſane conditionũ locum obtinent: Brabantini vero in primis, ne ulli ambiguitati locus daretur, cõditioné iſtã expreſſerunt. In duce enim ſuo inaugurando, cõventionibus antiquis, quib⁹ nil fere ad reip. conſervationem deeſt, coram duce perlectis, ni eas omnes obſervarit, ſibi integrum eſſe alium quemlibet ſuo arbitratu eligere, palam ei diſerteque proteſtantur. Ipſe vero tum in eas, accepta conditione ultroque agnita, ſeſe ſacramento devincit. Quod etiam poſtremo in Philippi Hiſpaniarum regis inauguratione obſervatum fuit. In ſumma: inter Regem & ſubditos contractum mutuo obligatorium eſſe, nemo negare poſſit: nempe ut bene imperanti bene obediatur, qui quidem jurejurando ab illo primum, deinde ab his cõfirmari ſolet. Quæro vero hic, cur jurat aliquis, niſi ut ex animo ſe ac ſerio loqui oſtendat? An vero quidquam naturæ magis conſentaneum eſt, quam ut ea, quæ placuerũt, ſerventur? Deinde cur rex primus jurat, ſtipulante populo, niſi ut conditionem ſive tacitã ſive expreſſam recipiat? Cur vero conditio contractui apponitur, niſi eo tantum, ut, ni ea im-

2. Feu. tit. 28. §. 2.

Laicyenſæ. entric.

Ludovicus Guiciard.

l. 1. D. de pac. l. non minorem 20. D. de tranſact. libr. 2.

Feud. I. 29. §.24. & tit. 47.

Impleatur, contractus ipſo jure ſolutus ſit? Quod ſi vero conditionis implendæ defectu contractus ipſo jure ſolutus eſt, quis perjurum populum vocet, qui regi conditionem, quam implere debuit & potuit, negligenti, legemque, in quam juravit, violanti, obſequium deneget? Quis vero contra eum regem fœdifragum, perjurum, eo beneficio prorſus indignum non cenſeat? Etenim ſi vaſallum clientelæ nexu lex liberat, in quem ſenior feloniam commiſit, etſi ſane ſenior fidem proprie non dat vaſallo, ſed vaſallus ipſi? ſi patronum clienti fraudem facientem lex duodecim Tabularum ſacrum eſſe jubet: ſi liberto adverſus patroni atrocem injuriam actionem civilia jura permittunt: ſi ſervum ipſum iis caſibus poteſtate herili liberant cum tamen naturalis tantum, non civilis obligatio inſit: an non multo magis ſolutus erit populus ea fide, quam regi præſtitit, ſi rex, qui primus ipſi tanquam domino procurator, ſolenniter juravit, fidem fregerit? An non vero etiam ſi non iſti ritus, non ea ſacra, non ea ſacramenta intervenirent: ſatis tamen ipſa natura docet, Reges ea conditione à populo conſtitui, ut bene imperent? judices, ut jus dicant? duces belli, ut exercitum adverſus hoſtes educant? Quod ſi vero ſæviunt, injuriam inferunt, hoſtes ipſi fiunt: ut reges non ſunt, ita nec agnoſci à populo debere. Quid ſi, inquies, populum aliquem vi ſubactum, in ſua verba jurare princeps coegit? Quid ſi, inquam ego, prædo, pirata, tyrannus, cum quo nulla juris ullius ſocietas eſſe cenſetur, (admoto gladio, ſyngrapham ab aliquo extorſerit? An non ſcitum eſt, fidem vi elicitam non obligare? maxime vero, ſi contra bonos mores, contra Naturæ jus quidquam promittatur? Quid vero magis cum Natura pugnat, quam ſi populus ſibi ipſe catenas & compedes

Dionyſ. Hali. li. 2.

Cic. I. Off.

inji-

injiciat? ſi jugulum ſe ſuum mucroni objecturum, ſi manus ſibi ipſi ſe violenter allaturum, principi (quod idem plane eſt) promiſerit? Itaque inter regem & populum mutua obligatio eſt, quæ ſive civilis, ſive Naturalis tantum ſit, ſive tacita, ſive verbis concepta, nullo pacto tolli, nullo jure violari, nulla vi reſcindi poteſt. Cujus quidem tanta vis eſt, ut princeps, qui eam contumaciter violet, tyrannus: populus, qui ultro rumpat, ſeditioſus vere dici poſſit.

Qui ſint tyranni.

Ariſt. c. 10. lib. 5. Polit. Bart. in tractat. de Tyrannide.

Iam cum hactenus regem deſcripſerimus: ſequitur, ut Tyrannum paulo accuratius deſcribamus. Regem eum eſſe diximus, qui regnum ſive per ſtirpem, ſive per electionem delatum, riteque commiſſum, legitime etiam regit atque gubernat. Eum itaque tyrannum, utpote regi plane contrarium eſſe, ſequitur, qui aut vi maliſque artibus imperium invaſit, aut ultro ſponteq; delatum regnum contra jus & fas regit, contraque leges & pacta, quibus ſeſe ſacroſancte devinxit, pervicaciter adminiſtrat. Quod etiam utrumque in unum eundemque hominem cadere poteſt. Ille vulgo dicitur Tyrannus abſque titulo, hic Tyrannus exercitio. Poteſt vero fieri, ut & vi occupatum regnum, juſte: & jure delatum, injuſte quis regat. At certe cum regnum jus ſit magis, quam hæreditas: & functio, quam poſſeſſio: videtur, qui ſuo munere male fungitur, quam qui munus non rite accepit, eo nomine dignior. Sic Papa male ingreſſus, dicitur intruſus: male gubernans, dicitur abutens.

Pythagoras.

Dicebat ille, Ξένος ἀνὴρ δίκαιος οὐ μόνον πολίτου, ἀλλὰ καὶ συγγενοῦς διαφέρει. *Præſtat extraneus quivis juſtus, non modo civi, verum & conſanguineo.* Ita etiam nobis dicere liceat: Princeps non rite conſtitutus, modo juſtus ſit, cuivis rite inaugurato, qui injuſte gubernet, longiſſime præſtat. Cum etenim reges pa-

paſcendo, judicando, curando populo ſint inſtituti: malo ſane me fur paſcat, quã paſtor devoret: malo mihi prædo jus dicat, quam judex vim faciat: malo me empiricus curet, quam medicus rite inſulatus veneno interimat: malo falſus tutor mea bona bene adminiſtret, quã legitimus dilapidet. Deinde utcunq; illũ ambitio ſolicitet, videri poſſit quodammodo vim primo feciſſe, ut poſtea juſtitiam exerceret, ut Cyrus, Alexander, Romani, qui victis plerunq; autonomiam & immunitates privilegiaq; concedebant: cũ hic ſane eo tantũ, ut injuſte regnet, jus ſuũ jactare videatur, quod hodie non modo Moſchi, Turcæve: verum & Chriſtiani principes permulti faciunt. Itaque illorum factũ tractu temporis interdũ convaleſcit: horum quo ſeneſcit magis, eo deterius evadit. Quod ſi vero, ait Auguſtinus, ſunt illa regna, magna tantum latrocinia, in quibus juſtitia locum non habet: ſunt in eo quidem pares, quod uterq; latro, uterq; prædo, uterq injuſtus poſſeſſor eſt, cum ſane non minus fur injuſtus poſſeſſor ſit, qui rem alienam invito domino capit, quam qui oblata male utitur. At ejus certe longe gravius flagitiũ eſt, qui interimendum, quam qui conſervandum cœpit: ejus, inquam, qui vano titulo fretus, injuſte, quam qui eo titulo plaxe deſtitutus, juſte tamen regnum vi occupatum gubernat. Iam vero & Tyranni abſq; titulo, differre inter ſe poſſunt. Sunt enim qui fines alienos ambitioſe invadunt, quales Nimbrodus, Ninus, Chananæi, ut ſuos dilatent. Hi etſi inter ſuos reges dicantur, in illos tamen, quos ultro nec laceſſiti invadunt, tyrannidem exercent. Sunt qui regnum ſuffragiis deferri ſolitum, adepti, hæreditarium fraude, ambitu, corruptela aliiſve artibus facere conantur, quorum exempla non longe petenda forent, qui ſane eo pejores illis exiſtunt, quo fraus, quamvis odioſior,

Xenophon. Plutarch. in Alex. in Æmilio, Cæſar. Sueton. in Cæſare, c. 75.

Augu. lib. 4. de civitat. Dei c. 4.

ſior, ait Cicero, eſſe debet. Sunt qui nefando patricidio patriam ipſi invadunt, ac viperarum inſtar matrem in ipſo enixu eviſcerant, quales qui duces belli creati à populo, Rempublicam invadunt, ut Cæſar Romæ Dictaturæ prætextu, ac plerique Italiæ principes. Sunt & fœminæ, quæ regna legibus patriis maſculis tantum deferri ſolita, occupant, eorumve adminiſtrationem ad ſe rapiunt: ut Athalia Iudaici, Semiramis Aſſyrii, Agrippina Romani imperii ſub Neronis filio: Mammea ſub Alexandro Severo: Semiamira ſub Heliogabalo: Brunechildes aliquot Francici regni. Quæ quidem impuberes filios ita educari curabant, ut puberes facti voluptatibus tantum indulgerent: itaque omnium rerum poteſtas penes eas tantum earumve ſervos, miniſtros & pædagogos remaneret. Sunt denique ii, qui deſidia, ignavia, luxu; legitimorum alioqui principum abutentes, ipſoſque voluptatibus, deliciiſque ineſcantes, quales ſub Gallicis præſertim Merovingiis quidam majores palatii ob illa egregia miniſteria creati, regiam auctoritatem ad ſe totam transferunt, nudumqne nomen regibus relinquunt. Qui quidem omnes ejus generis ſunt, ut quamvis cæteroquin juſte gubernarent, eo tamen ipſo, quod juriſdictionem illam prædonum tantum jure habent, merito tamen tyranni ſine titulo cenſeri poſſint. Iam Tyranni exercitio qui dicantur, non tam facile, ac, quinam vere reges, definire poſſis. Etenim quia illis libido, his ratio imperat: & hæc quidem ipſa ſibi ſuos limites præſcribit, illa vero contra nullis finibus circumſcribi poteſt: quod ſit proprie regum jus, facile: quæ vero quantæque tyrannorum injuriæ, difficulter admodum explicari queat: nimirum, ut rectum uniforme atque unicum eſt: obliquum contra varium

&

& multiplex: Ita jus ſimplex eſt, & paucis verbis explicabile, cum injuriæ nullis caſibus definiri poſſint, quin perpetuo plures omittantur, quam explicentur. Etſi vero certæ regulæ ſunt, quibus eos ſi non depingere, ſaltem ut agnoſci poſſint, apte delineare queas: nulla tamen certior, quam ſi artes tyrannicas cum regiis virtutibus actionibuſque contuleris. Tyrannus eminentes in ſegete ſpicas demetit: primores Reipubl. dolo, fraude, calumniis opprimit: conſpirationes in ſe initas ſubinde, quo citius eos è medio tollat comminiſcitur, ut Tiberius, Maximinus & cæteri, denique, ne conſanguineis quidem ac fratribus parcit: Rex contra non fratres modo quaſi conſortes agnoſcit; verum etiam optimates omnes fratrum loco habet, iiſque dignitatem ſuam acceptam ferre non veretur. Tyrannus adverſus nobiles, ignobiles & quaſi terræ filios extollit: qui quod ſua omnia ipſi debeant, quibuſlibet in rebus adulentur & inſerviant: Rex unumquemque in ſuo gradu tuetur, Proceres tanquam regni amicos fovet, iis non minus, quam ſibi conſultum cupit. Tyrannus viros graves & juſtos odio proſequitur, ſuſpectoſque habet, ac ne qui tales evadant, omni arte curat: quia vero non prius ſe tutum putat, quam omnium mores corruperit, popinas, ganeas, lupanaria, ludos, nt Cyrus domandis Sardis, inſtituit: Rex contra viros bonos undequaque accerſit, invitat, invitos ad ſe trahit: ne vero deſint, literarios ludos aperit, gymnaſia inſtituit: ſeminaria virtutum ubique locorum excolit. Tyrannus congregationes publicas, quantum in ſe eſt, aut vitat, aut tollit, conventus Ordinum, Comitia, diætas reformidat, ac veſpertilionis inſtar lucem hominum refugit, quin & colloquia ſermones geſtuſque ſubditorum ſuſpecta habet Rex, quia teſte cœlo

Ariſt.c.11. lib. 5. Polit.

vivit

vivit, in multitudine Senatorum gloriatur iiſque inconſultis nil agendum putat: nec modo eos conventus non veretur, verum reveretur inprimis & honorat. Tyrannus ſubditos inter ſe collidit, ſactiones in rep. ſerit, fovet & alit: unius ope alteram delet, ac ſuperſtitem tandē opprimit, ex eoque tanquam ulcere, quod perfidi chirurgi ſolent, lucrum perpetuum captat: denique, quod Vitellius ille, olere hoſtem mortuum, præſertim civem dicere non veretur, aut ſaltem ſentit: Rex pacem inter ſubditos, ut pater concordiam inter liberos, conſervat, rixarum ſemina ſuffocat, cicatricem quam citiſſime obducit, ne rebellium quidem cædem abſque lachrymis audire poteſt. Itaque quos hic adverſus hoſtium impetus tuetur & defendit: ille, quovis hoſte pernicioſior, proprium mucronem in ſuā viſcera ut adigant, cogit. Tyrannus exteros in præſidiis collocat, arces adverſus cives extruit, populum exarmat, & arce expellit, barbaris & ſtigmaticis ſatellitibus circumſtipatur, ac locuſtas & delatores in ſubditos, tanquam exploratores in hoſtem, publico ære conducit: Rex adverſus hoſtes non tam ſe mœnibus, quam populi benevolentia tuetur: quot cives habet, tot ſe ſattellites habere putat: non tam quot circum ſe habeat, quam ne quos habere cogatur, cogita: arces arcendis hoſtibus, non coercendis civibus extruit: in populo denique præſidium ſuum omne collocat. Itaque etſi habet ille lictores & ſatellites innumeros, qui turbam ſummoveant, non ſummovent ii tamen metum, ſuſpicionem, miſeroſque miſeræ mentis tumultus, utcunque arcem urbis muniat, arcem interea ſummam, mentem inquam, tyrannorum tyrannus Metus & Pavor occupat. Hic neque in turba. animo turbatus eſt, neque in ſolitudine ſolicitus, ipſa conſcientia tutus, ipſa

Liu l. 2. c. 1. Dionyſ. Hal lib. 5. de Arunſilio Porſena Prov. 14, v. 28.

Bart. in tractat. de Tyrann.

ipſa turba ſtipatus, urbem, forum, plateas ſecure obambulat. Tyrannus, ſi civiles diſſenſiones deſint, bellum foris gerit, munimenta extruit, qualia Pharao, ut Iudæos, Polycrates, ut Samios occuparet, quæ cetera minus attenderent: ideoque bellum ſemper aut parat, aut minatur, aut imminere ſimulat: accerſit denique potius, quam arceſſat. Rex nunquam niſi coactus, nunquam niſi reipublicæ cauſa bellum facit, nunquam denique hamo aureo piſcatur, aut bellum ſuſcipit, è quo plus reſpublica periculi metuere, quam lucri ſperare poſſit. Ille demum artes omnes init, quibus opes ſubditorum exhauriat, ut in victu quærendo anxii, de libertate recuperanda minus cogitent: itaque omnia in fiſcum convertit: hic in privatorum opibus ſuas conſiſtere ratus, apud ſubditos ſuas quodammodo opes deponit, ſeque tum ampliſſimum theſaurum habere putat, cum ſubditi divitiis affluunt. Demit ille multis, quod paucis iiſque indignis donet: exhaurit omnes, ut in paucos profundat: publica diruit, ut ſua ædificet, ſanguinem populi ad deliquium uſque elicit, quem adulatoribus aliquot ebibendum propinet: hic ſibi ſuiſque commodis demit, ut populo largiatur, publica extruit atque ornat, univerſos locupletat, ſanguineque adeo ſuo populum alit & ſuſtentat. Si ille, quod interdum Tiberius, Nero, Commodus & cæteri, viſcerationes populo concedit, facit ut populum eo facilius poſtea eviſceret, ipſique ſua quaſi viſcera commedenda apponit: cum hic ſane, ſi venam ſecet interdum, ſi ſanguinem eliciat, ad incolumitatem populi ſalutemque tuendam, non propriam libidinem exatiandam, faciat. Itaque ut hunc Scriptura ſacra paſtori, ita & illum leoni rugienti comparat, cui tamen vulpes ſępiſſime copulata eſt. Quæ enim totius injuſtitiæ,

Ægid. Rom. de reg. pri.

Prov. 18. *v.* 5.

ſtitiæ, ait Cicero, capitaliſſima eſt, etſi re ipſa id facit Tyrannis: id tamen ita fere curat, ut tum, cum maxime fallit, vir bonus eſſe videatur. Itaque pietatem erga Deum ſimulat, quam Ariſtoteles *artium tyrannicarum potiſſimam* vocat. Verum ut populus quidquam in eum moliri vereatur, quem, quia Deum reveretur: Deo charum eſſe veriſimile ſit. Studium erga rempublicam: verum non tam ut reipublicæ proſit, quam ne ſibi ipſi noceat, Iuſtitiæ quoque & fidei laudem in quibuſdam rebus, nimirum levioribus affectat: verum, quo facilius in gravioribus injuriam facere & fallere poſſit: non ſecus ſane, quam latrones, & qui maleficio & ſcelere paſcuntur, qui ſine juſtitiæ portiuncula ſaltem aliquandiu conſiſtere nullo modo poſſent. Clementiæ denique: verum ita ut ſceleſtis quibuſdam veniam indulgeat, quos morte mulctare, clementia ſumma eſt. Breviter, quod rex ipſe eſt, tyrannus callidus videri vult: & ut virtutis amore homines incendi ſcit, ita & virtutis umbra aliqua decipiendos eſſe novit: at certe utcunque vultum fingat, vulpina cauda ſemper prominet: utcunque obganniat, rictus & rugitus leonem prodit. Porro ut regnum bene conſtitutum omnia cæterorum bonorum regiminum commoda in ſe habet: ita & tyrannis omnium pravorum incommoda & vitia continet. Habet ab ariſtocratia regnum, quod optimates quique in conſilium adhibentur: habet ab obligarchia tyrannis, quod peſſimi & corruptiſſimi quique. Vt illic multitudo regum, hic tyrannorum caterva dominatur. Habet regnum à politia, quod omnium ordinum conventus habentur, ad quos optimi quique, de republica deliberaturi, mittendi diliguntur: habet & à democratia ſeu ochlocratia tyrannis, quod, ſi minui eos conventus impedire poſſit, ſaltem ut cor-

Ariſt. c. 11. *lib.* 5. *Polit.*

Tho. Aqu. in ſecunda quæſt. 12. *artic.* 11.

corruptiſſimi quique ambitu & malis artibus eo mittantur, ſollicite curet, quod noſtris etiam temporibus factitatum ſcimus. Sic paſſim regis vultum tyrannus, regni ſpeciem tyrannis imitatur: & quo aſtutius, eo diutius durat: cum tamen vix ulla, teſte Ariſtotele, ad centeſimum uſque annum perveniſſe legatur. In ſumma: Rex ſtudet utilitati publicæ, tyrannus propriæ. At ſane cum, ut ſunt homines, nuſquam reperiri queat, qui omnibus in rebus utilitatẽ publicam ſpectet, nec diu conſiſtere quin ullatenus ejus rationem habeat: ubi utilitas publica prævalet, rex & regnum: ubi propria, tyrannus & tyrannis locum habere dicentur. Hæc de tyrannis exercitio, in quibus depravatiſſimorum morum rationẽ nõ habemus qui non tam malum principem, quam malum virum facere dicuntur. Si cui vero hæc deſcriptio uſque quaque non ſatisfaciet, præterquam quod accuratiores forte tyrannorum imagines in Hiſtoriis inveniet, vivos & ſpirantes tyrannos, omnibuſque numeris abſolutos hoc tempore, quos intueatur, multis in regionibus, quod & Ariſtoteles ſuo ſeculo conqueritur, habet. Ac tandem ad ſummam quæſtionem his tanquam gradibus pervenimus.

Bart. in tractat de Tyran. & de Regim. civit.

Vidimus, quomodo reges, ſive ſecundum capita, ſive etiam ſecundum ſtirpes eligantur à Deo, & conſtituantur ab univerſo populo, quid rex, quid regni officiarii præſtare teneantur, quantum pateat illius potentia, quantum etiam horum munus & officium, quæ pacta quamque ſancta in rege conſtituendo intercedant, & quæ iis conditiones inſint, ſive tacitæ ſive expreſſæ: demum, quis tyrannus abſque titulo, quis etiam exercitio: ſequitur modo tandem, cum legitimo Regi, ſuoque officio tum erga Deum, tum etiam erga populum bene fungenti, tanquam Deo obe-

Qui tyrannos

obediendum eſſe conſtet: ut, an per quos, tyranno reſiſti, quibuſque modis jure poſſit, edifferamus. Ac de eo, qui abſque titulo tyrannus vulgo vocitatur, primum agendum eſt. Ergo Ninus aliquis populum nullo ſibi jure devinctum, nulla injuria laceſſitus vi invadat: Cæſar patriam remque publicam Romanam opprimat: Populus dolo parricidioque regnum Polonicum ex electivo hæreditarium facere conetur: Brunichildis aliqua Francici adminiſtrationem una cum Protadio ſuo totam ad ſe transferat: aut Ebroinus, Theodorici ignavia fretus, gubernacula regni invadat, populumque ſervitute opprimat: quid hic juris ſtatuemus? Primus docet nos jus Naturale, vitam & libertatem noſtram, qua ſine vita vix vitalis eſt, adverſus omnem vim & injuriam conſervare & tueri. Inſevit id Natura canibus adverſus lupos, tauris adverſus leones, columbis adverſus accipitres, pullis adverſus miluos: longe vero magis homini adverſus hominẽ ipſũ, ſi ipſi fiat lupus. Itaque repugnare, necne liceat, qui ambigit, cum natura ipſa pugnare videtur. Accedit jus Gentium, quo diſtincta ſunt dominia, fixi limites, conſtituti fines, quos, quiſq; adverſus quoſlibet defendere tenetur. Itaq; non minus licebit reſiſtere Alexandro, ſi nullo jure fretus, nulla injuria laceſſitus, gentem aliquam cũ potentiſſima claſſe invadat, quam Diomedi piratæ, ſi uno myoparone mare infeſtum reddat. Nec enim: eo poſito Diomedem Alexander jure, ſed impunitate tantum ſuperat. Non minus Alexandro regionem aliquam depopulanti, quam graſſatori pallium involanti: non minus, ſi urbem machinis ſubruat, quam latroni, qui parietem ſuffodiat. Accidit vero potiſſimum jus Civile, quo ſocietates hominum, quæque certis legibus conſtitutæ ſunt, ut illæ uno hę alio modo gu-

abſque titulo coercere teneantur.

Otto Friſing. Chro. 5. *c.* 7. *Amon. l.* 4. *c.* 1. *Gre. Turo. l.* 4. *c.* 5. *l.* 5. *c.* 30. *libr.* 8. *cap.* 29.

 ber-

bernentur: aliæ ab uno, vel paucis, aliæ ab univerſis regantur: quædam imperium muliebre reſpuant, nonnullæ admittant: quædam reges ex quadam ſtirpe, quædam promiſcue eligant, &c. Hoc jus ſi quis vi dolove rumpere tentet, quia ſocietatem, cui debet omnia, violat, quia in patriam cuniculos agit, cui natura cui legibus cui ſacramento devincti ſumus, ei omnes reſiſtere tenemur: adeo ut, ſi negligamus, proditores patriæ deſertores ſocietatis humanæ, juris contemptores vere ſimus. Vt vero nos adverſus hoſce tyrannos, juræ naturæ, gentium, civilia arma capere jubent: ita nec ulla omnino ratio dehortari poteſt. Non intervenit jusjurandum, non pactum ullum, non ulla obligatio neque publica, neque privata. Itaque vel privato cuilibet tyrannidem hujuſmodi, ſi intrudatur, depellere licet, Non habet hic locum lex Iulia majeſtatis, quæ perduelles in patriam, aut in principem punit. Neque enim Princeps is eſt, qui rempub. alienoſve fines, nullo jure fretus, invadit: neque perduellis, qui patriam armis defendit. Quin potius huc pertinet jusjurandum, quod Athenis puberes omnes præſtare in Aglauræ templo ſolebant: *Pugnabo pro ſacris, pro legibus, pro aris & focis, ſive ſolus, ſive cum multis, & ne patriam meam deteriorem, quam accepi, poſteris tradam, omnibus viribus enitar.* Non leges de ſeditioſis ſeditioſus eſt is, qui contra publicam diſciplinam populum defendendum ſuſcipit. Seditionem autem non facit, ſed tollit, qui everſorem patriæ, publicæque diſciplinæ coerceret. Habet vero contra locum lex de Tyrannicidis, quæ & vivos præmiis, & mortuos epitaphiis, & ſtatuis honorat, ut Harmodium & Ariſtogitonem Athenis, Brutum & Caſſiũ in Græcia ſtatuis æneis, publico decreto, Aratum Sicyoniũ quoque quod patriã illi à Paſi-

l. ult. D. ad leg. Iul. majeſt.

Bart. tract. de Guel. & Gibel. Pli. l. 4. Alex. lib. 6. c. 4. Plut in Arato Vale.

ſtrati, Cæſaris, Nicoclis tyrãnide liberaſſent. Quod quidẽ uſq; adeo probavit antiquitas, ut Xerxes ipſe, Athenis devictis Harmodii & Ariſtogitonis ſtatuas, in regnũ ſuum trãsferret: Seleuc⁹ in priſtinã ſedẽ reportandas curaret: Rhodii vero eaſdẽ urbi ſuæ appulſas, cũ in hoſpitiũ publice invitaſſẽt, ſacris etiã in pulvinarib⁹ collocarẽt. Habet etiã Lex de deſertoribus & proditoribus adverſus eos, qui patriam oppreſſam neglexerint, cum eos qui metu hoſtium languorem ſimulant, clypeũve abjiciunt, pari cum illis pœna afficiendos eſſe ſtatuat. Ad hoc itaque tanquam incendium publicum, omnes ſinguloſque conclamare, cum hamis & falcibus concurrere, aquam conferre oportet. Non expectandus præfectus vigilum, ſi obdormiat: non præfectus urbi, ſi cunctetur: certatim quiſque aquam hauriat, tectum ſcandat, flammam arceat, oportet. Si etenim, dum Capitolium furtim conſcendunt Galli, conſopiti ſunt milites, dormiunt vigiles, mũti ſunt canes: anſeres ipſi excubent, vigilent, ad arma conclament, oportet. Et illi quidem exauctorabuntur, infamia mulctabuntur, inque perpetuam rei memoriam ſuſpendentur: hi contra, & in Capitolio perpetuo nutrientur, & immortali laude decorabuntur.

Max. lib. 2. c. vltim. li. 3. & lib. omne delictum, §. ut. ff. de re milit.

Hæc dum tyrannis, ut loquuntur eſt in Fieri, id eſt, dum tyrannus molitur, machinatur, cuniculos agit. At certe ſi ſemel ita rerum potiatur, ut populus victus, ſeſe in judicando ei devinciat reſpublica oppreſſa, ſuam in eum poteſtatem transferat, regnum in ſuarum legum mutatiouem rite conſentiat: tum ſane, quia titulum, quem antea nullum habebat, adeptus eſt, nec ex facto tantũ, ſed jure poſſidere videtur, etſi populus ἑκὼν ἀεκόντι γε θυμῷ, id jugum recepit: æquum tamen eſt, ut obtemperet, & Dei voluntati

qui regna de gente in gentem ſuo arbitrio transfert, placide acquieſcat. Aloqui enim nullum eſt regnum cujus juriſdictio in dubium revocari non poſſit: id tamen, modo, qui prius ſine titulo tyrannus erat eum titulum adeptus, legitime gubernet, & tyrannidem non exerceat. Ita jure optimo reſtitit regis
2. *Reg. c.* 4. auſpiciis populus Iudaicus Senacheribo Aſſy-
& 25. riorum regi, Palæſtinam invadenti. At da-
Ierem. 37. mnatur puniturque Sedechias rex, unaque univerſus populus, qui poſt fidem rite datam, nulla injuria laceſſitus. à Nabuchodonozore deficit, nimirum vbi fides data eſt, non eſt ullus amplius pœnitentiæ locus: ac in præliis quidem quiſque, quantum viribus poteſt, eniti debet: ubi vero captivus fidem dederit, præſtare tenetur: ita & contendat populus omni conatu, ut ſua jura retineat: at ubi ſeſe alieni juri, non tam nolens, quam non volens, ſubjecit; imperium victoris æquo animo patiatur. Sic Pompejus, Cato, Cic. &c. bonorum civium officio fungebantur, cum arma adverſus Cæſarem rempublicam evertentem arripuerunt: nec excuſari poſſint ii, quorum deſidia factum eſt, ut illorum conatus minus felicem exitum conſequerentur. Auguſtus ipſe cuidam Catonem conviciis proſcindenti, reſpondiſſe legitur: *bonum civem fuiſſe Catonem, qui præſentem reipub. ſtatum mutari nollet, qui quidem abſque ſummo omnium diſcrimine mutari nequeat.* Quin & Brutus, Caſſius, Caſca, & cæteri, qui, re adhuc flagrante, Cæſarem interfecerunt, accuſari non poſſint. Itaque publico decreto ſtatuæ æneæ Athenis ipſis erectæ fuerunt, juxta Harmodii & Ariſtogitonis ſtatuas, cum Au-
Xiphilinus guſtum & M. Antonium cœſo Cæſare fuge-
in Augu- rent. At certe ſeditioſus fuerit Cinna, qui le-
ſto. ge regia jam lata, qua populus ſuam in Auguſtum omnem poteſtatem contulerat, in eum con-

conſpiraſſe legitur. Conſimiliter dum regnū Francorum Carlingi à Merovingiis, aut Capetani à Carlingis ad ſe rapere conabantur, abſque ulla ſeditionis culpa reſiſtere licuit: ex quo publico conſilio, ordinumque auctoritate tranſlatum fuit regnum, non amplius licuit. Idem vero prorſus juris eſt, ſi quæ fœmina regni Salici gubernacula occupet, ſi quis mere electivum regnum hæredibus aſſerat, quamdiu leges illæ publicæ, auctoritate Conſilii univerſi, id eſt eorum qui populum univerſum repræſentant, abrogatæ non ſunt Nec vero ſpectare hic oportet, utra factio major ſit, utra potentior, utra clarior. Plures libidine, quam ratione reguntur: itaq; plures ferme tyrannidi, quam reipublicæ inſerviunt. At Roma eſt, inquit Pompejus, ubi Senatus. Senatus, ubi legum reverentia, libertatis amor, patriæ conſervandæ ſtudium Itaq; etſi Romam Bremius occupare videtur: Roma interim Veiis eſt ubi Camillus, qui Romā vindicet à ſervitute. Veios itaque migrent. Quirites oportet, eumque omni ſtudio, omni conatu, omni induſtria adjuvent. Etſi, inquam Themiſtocles, relictis Athenis, in claſſem cc. triremium cum bonis omnibus ſeſe recepit, non ideo quiſquam ex illis civitate privatus eſt. Quin potius, ut ille reſpondiſſe legitur: Ducentæ hæ triremes, ſunt nobis vice civitatis totius Græciæ maxime, quia ad defenſionem eorum omnium, qui ſalutem publicam tueri volunt, comparatæ ſunt. Non etenim ubi area fuerit; ibi continuo Eccleſia Dei erit: poteſt enim capi à Palæſtinis: Non, inquam, ubi aquilæ viſentur, ubi legionum nomina audientur, ibi continuo Romanum exercitum eſſe conſequitur. At omnino ſane, ubi qui patrriam adverſus tyrannidem tueatur, qui ſervitute oppreſſum populum ad pileum vocet, qui muliebrem impotentiam coerceat, qui adu-

Plut. in Themi.

adulatores ignavia principis ad omnem injuriam abutentes comprimat, qui ambitionem intra ſuos limites manere jubeat. Et hæc quidem de tyrannis abſque titulo dicta ſunto.

Adverſus Tyrannos exercitio quantum jure concedatur.

Ad eos vero, qui tyrannidem exercent, ſive ii jure primum, ſive vi imperium adepti ſunt, quantum attinet, caute admodum nobis examinandum eſt. Primum ſane conſideremus oportet, Principes omnes homines natos eſſe: propterea non minus à perturbatione rationem, quam animam à corpore ſeparari poſſe. Non eſt ergo, quod non niſi præfectos Principes habere velimus: ſed potius nobis optime conſultum putemus, ſi vel mediocres nacti fuerimus. Itaque non, ſi quibuſdam in rebus princeps modum non ſervat; non, ſi rationi interdum non obtemperat; non, ſi ſegnius utilitatem publicam curet; non, ſi aut in jure dicundo minus diligens, aut in bello propulſando minus acer: continuo tyrannus erit. Equidem cum non ut bobus, homo hominibus Deus aliquis, ſed homo eadem ſorte natus præſit: ut ſuperſus Princeps fuerit, qui homininibus tanquam beſtiis abuti voluerit: ita iniquus populus, qui in principe Deum in lubrica iſta natura divinitatem quæſiverit. At certe ſi rempublicam conſulto evertat, ſi jura proterve pervertat, ſi nullam fidei datæ, nullam conventionum, nullam juſtitiæ, nullam pietatis curam habeat: ſi ſuorum ipſe ſit hoſtis, ſi denique eas artes quas enumeravimus, aut omnes, aut præcipuas ineat: tum ſane tyrannus, (etſi id nomen ante non male ſonabat) id eſt Dei hominumque hoſtis, judicari poterit. Ergo non de minus bono principe, ſed de peſſimo: non de minus prudenti, ſed de malitioſo & veteratore: non de juris imperito; ſed de juris contemptore: non de imbelli, ſed de populi hoſte regnique vaſta-

tore

tore agimus. Illum juvare poſſet prudentia ſenatus, juris cognitione prætor, belli peritia tribunus: hic optimatibus, ſenatoribus ducibus belli unam cervicem optat, quam unico ictu amputare poſſit, nec ullos magis odio proſequitur. Et ille quidem etſi jure tolli etiam poſſet, tolerari tamen utcunq; queat: hic contra, quo diutius toleratur, eo intolerabilior evadit. Præterea, ut principi non quodlibet licet: ita nec populo ſæpe, quod licet, expedit. Sæpe etenim accidere poteſt, ut remedium, quod adhibetur, ipſo morbo deterius ſit. Itaque omnia prius, quam ferrum adhibere: omnia prius quam arma experiri, ſapientem decet. Si quid ergo per vim fraudemve, adverſus remp. geri videant, qui populum repræſentant, principem admoneāt primū: nec vero expectent, dum malū ingraveſcat, & vires acquirat. Eſt tyrannis febri hecticæ ſimilis quæ primo facilis curatu difficilis cognitu, poſtea vero cognitu facilis, curatu inprimis difficilis evadit. Itaq; principiis obſtabūt, nec quidquā vel minimum prætermittent. Si vero pergat, nec ſępius admonitus reſipiſcat, ſed eo tantū tendat, ut impune quidvis patrare poſſit: tum ſane tyrannidis reus peractus eſt, & quæcunq; adverſus tyrannum ſeu jure, ſeu juſta vi licent, adverſum eum adhiberi poſſunt. Eſt tyrānis non modo crimē, ſed omniū criminū caput, & quidem velutiacervus. Tyrannus remp. ſubruit, ex univerſis prædam agit, omnium vitæ inſidiatur, omnibus fidem violat, omnē ſacri jurisjurandi religionem contemnit. Itaque quovis latrone, prædone, homicida, ſacrilego, tanto eſt ſceleratior, quanto plures & univerſos, quam ſingulos offendere, gravius eſt. Quod ſi cenſentur illi omnes infames, ſi capite plectuntur, ſi morte pœnas luunt: ſi quis pœnas tam atroci crimine dignas comminiſci queat? De-

indeprobavimus, reges omnes regiam dignitatem à populo accipere: populum univerſum rege potiorem & ſuperiorem eſſe: regem regni, imperatorem imperii ſupremum tantum miniſtrum & actorem eſſe: populum vero vere dominum exiſtere. Sequitur ergo, tyrannum in populum, tanquam feudi dominum, feloniam committere, regni imperiique ſacram Majeſtatem lædere, rebellem eſſe: ac propterea in eaſdem leges incidere, & longe graviores pœnas mereri. Itaque ait Bartolus, poterit is deponi à ſuperiori, vel ex l. Iulia de vi publica, juſtiſſime puniri. Superior vero univerſus populus eſt, quive eum repræſentant, electores, palatini, patricii, ordinum conventus, &c. Quod ſi vero eo progreſſus fuerit, ut non abſque vi armata expelli poſſit: tum ſane licebit illis populum ad arma vocare, exercitum conſcribere, & tanquam adverſus hoſtem patriæ reique publicæ judicatum, vim, dolum, omnemque machinam experiri. Denique de eo tandem ſententiam quæ de Manlio Capitolino lata fuit, ferre licebit: Manlius fuiſti mihi, cum præcipites ageres Senones. Iam quia unus factus es ex Senonibus, unde eos depuliſti, tu ipſe præcipitandus es. Non incident propterea regni officiarii in crimen ſeditionis. In ſeditione enim duas omnino partes eſſe neceſſe eſt: quæ cum de contradictoriis plerunque certent, unius juſtam, alterius injuſtam cauſam eſſe conſequitur. Iuſta ſane erit, quæ leges defendet quæ communem utilitatem tuebitur, quæ regnum iis præſertim auctoribus conſervabit. Injuſta contra, quæ leges violabit, legum violatores defendet, patriæ everſores tuebitur. Iuſta, inquit Bartolus, quæ tyrannicum regimen deponere volet: injuſta quæ juſtum. Licita, quæ ad bonum publicum: illicita, quæ ad privatum tendet. Itaque ait, Tho-

In tractat. de Tyran. & in tractat. de Regim. civit.

Vale. lib. 6. c. 3.

Bart. in tractat. de Guel. & Gibell. argum. 1. §. cogitur. ff. de vi & vi arma.

Thomas, quia regnum tyrannicum, quod non ordinatur ad bonum commune, ſed ad privatum regentis, non eſt juſtum: perturbatio iſtius regni non habet rationem ſeditionis. Non incident quoque in crimen Majeſtatis. Committitur hoc crimen in legitimum principem. Legibus vero Princeps, nil niſi lex animata eſt. Itaque cum is, qui leges, quantum in ſe eſt, exanimat, eo nomine cenſeri non poſſit: hi, qui in ipſum arma capient, eo crimine non tenebuntur. Committitur & in rempubl. At quia illa demum ibi eſt, ubi legum auctoritas valet, non ubi privata tyranni libido rempub. abſorbet, tyrannus ejus criminis reus erit, qui publicam majeſtatem lædit: vindices reip. hi, qui tyrannum, ſua auctoritate freti, exque officio oppugnabunt. Neque enim hoc caſu ſinguli, ſed univerſi: non inquam ſubditi, ſed domini ab auctore ſuo rationem rei geſtæ repetere videntur. Nihilo magis perfidi cenſebuntur. Eſt inter principem & populum ubique locorum mutua & reciproca obligatio: promittit ille, ſe juſtum principem futurum: hic, ſi talis fuerit, ſe obſequuturum. Obligatur ergo populus principi, ſub conditione: Princeps, populo pure. Itaque ſi minus adimpletur cōditio, ſolutus eſt populus, irritus contractus, obligatio ipſo jure nulla. Perfidus ergo Rex, ſi injuſte imperet: præfidus populus, ſi juſte imperanti non obtemperet. At omni perfidiæ crimine vacuus populus, ſi injuſte imperanti publice renunciet, aut regnū retinere illegitime cupiēti armis evincere conetur: Ergo licet regni officiariis aut omnibus, aut ſaltem pluribus tyrannum coercere. Nec vero modo licet, verum ita quidem illis ex officio incumbit, ut ni fecerint, nullo pacto excuſari poſſint. Neq; enim putent Electores, Palatini, Patricii, cæteriq; Optimates, eo tantum creatos & inſtitu-

Tho. Aqui. in ſecund. ſecu. q. 12. ar. 11. in fi. l. 1 D. ad l. Iul. majeſt.

Cic. Para. 4.

ſtitutos eſſe ſe, ut ſemel forte in rege inaugurando ſeſe antiquo more paludatos conſpiciendos exhibeant, ut palliatam quandam fabulam ludant, ut Rolandi, Olivarii, Renaldi cæterorumque procerum perſonam eo die, quaſi in ſcena induant vt Arthuri menſam rotundam, quam vocant, ſpecie quadam repræſentent: cæterum, poſtquam dimiſſa eſt turba, & Calliopius, Vale, dixit, ſuis ſe partibus optime functos arbitrentur. Non iſta per jocum dicuntur, non iſta perfunctorie fiunt, non ſunt iſthæc puerorum ludi, qui regem, ut eſt apud Horatium, per fabulam creant: quin potius ſciant Optimates, ut in honoris, ita & in oneris partem ſe vocari, & rempub. commiſſam & commendatam eſſe regi quidem, ut ſupremo ejus ac præcipuo tutori: ipſis vero, ut contutoribus. Itaque ut tutores (etiam honorarii) dati ſunt, quaſi obſervatores actus ejus, qui tutelã præcipue gerit, qui rationem ab eo aſſidue exigant & ſollicite curent, qualiter converſetur: ita & hi, ut obſervent regem, qui quantum ad providentiam pupillarem, tantum domini loco habetur) ne quid in populi detrimentum gerat. Item ut contutoribus imputatur, tutoris qui gerit, factum, ni, cum deberent & poſſent, ſuſpectum fecerint, removendumque etiam curarint, nempe ſi cum iis adminiſtrationem nõ communicet, ſi non ex fide tutelam curamve geret, ſi dolum admittet, ſi quid ſordide aget, vel pernicioſe pupillo, ſi quid intercipiet ex rebus pupillaribus, ſi pupillo inimicus eſſet: denique ſi nimis ruſticus, ſegnis, imperitus, &c. ita & optimates ex principis facto tenebuntur, ni ipſius tyrannidem aut tollant, aut antevertant, aut ſegnitiem ſua vigilantia & diligentia ſuppleant. Denique, ut, quotieſcunque non facit tutor nomine pupilli, quod quivis paterfamilias idoneus faceret, non videtur

Vlp. l. 3. ff. de adm. & peric. tut. & curat. l. 27. ff. eod. l. 4. ff. de adm. & peri. tut. l. 3. ff. de ſuſp. tut. & curat.

detur defendi: ut vero melius defendatur, cótutores proſpicere tenentur: ita multo æquius, ſi non patrem familias, ſed hoſtem agat Princeps, optimates in ipſum agere poterunt ac debebunt, cum ſane nihilo minus ex ipſius facto, ac è proprio teneantur. Attendant optimates præterea, regem in adminiſtrāda rep. primas partes tenere quidé: at ipſos ſecundas, tertias, ſuas quoſq; ſuo loco. Non ergo, ſi ille ſuas male agat, hi ſequentur: non, ſi rempub. perdat, connivebunt, Reſpub. enim iis non ſecus, quam illi concredita eſt: & ita quidem, ut non modo ipſi per ſe ſuo officio bene fungantur, ſed principem in officio ſuo contineant. Denique, ut rex utilitatem reip. curaturum ſe promittit: ita & illi. Non igitur, ſi fidem frangat, ſuo ſe propterea ſacramento abſolutos putabunt, non magis ac epiſcopi ſi Pontifex hæreſim tueatur, aut Eccleſiam perdat: imo eo magis implendo ſacramento ſeſe obligari putabunt, quo ille magis fœdifragus fuerit. Itaq; ſi colludunt, prævaricatorum: ſi connivent, deſertorum & proditorum: ſi remp. à tyrannide non vindicant, tyrannorum numero cenſentur, ut certe patroni, tutores, reguli denique ſunt, ſi quam tuendam ſuſceperunt, omnibus modis tueantur atque defendant. Hæc vero etſi ſatis per ſe firma, exemplis etiam demonſtrari poſſunt. Reges Chananæi, qui populum Iſraeliticum dura ſervitute, tum corporali, tum ſpiritali, premebant, (commeatu enim & armis interdicebant) tyranni vere erant, exercitio, inquam, non abſque titulo, Eglon enim & Iabin viceſimum fere annum placide imperabant. Deus vero excitat extra ordinem Ahod, qui Eglonem ex inſidiis confodiat: & Deboram, quæ exercitum Iabini profligat, atque eo miniſterio populum ex tyrannide liberet. Non id quidem, quod magiſtratibus ordinariis, principibus tri-

l. 10. & 33 D. de adm & peric. tutor & cur.

Iud. 5.

buum, & cæteris minus liceret: quin potius Debora ſuam ipſis ignaviam deſidiamque improperat, & nonnullos etiam propterea exe-cratur. At certe Deus, populi ſui miſertus, deſidiæ ordinariorum extra ordinem ſuccurrebat. Roboamus Salomonis filius, tributis non neceſſariis populum levare recuſat, rogatus ab univerſo populo in Comitiis inſoleſcit; adulatorumque conſilio fretus graviora etiam arroganter minatur. Ambigit nemo, quin juxta fœdus inter regem & populum primum initum, eam ſuperbiam coercere optimates potuerint. At in eo peccatum fuit, quod per ſeceſſionem fecerunt, quæ in Comitiis faciunda erant: deinde, quod à ſtirpe Iuda (cui regnum Deus ipſe attribuerat) ad aliam ſceptrum tranſtulerunt. Denique quod ſæpe alias accidit, rem juſtam & legitimam injuſte fecerunt. In aliis imperiis crebra ejuſce rei exempla occurrunt.

Aug. l.17. de Civit. Dei. c.22.

Liu. l.1.

Brutus tribunus Celerum, & Lucretius præfectus urbi, adverſus Tarquinium Superbum populum convocant: cujus auctoritate regno pellitur. Quin & bona ejus in fiſcum rediguntur. Vnde ſatis apparet, ipſū, ſi prehenſus fuiſſet, ſecundū leges publicas procul dubio mulctatū fuiſſe, cauſæ vero narrātur hę; quod morem tolleret, quo rex ſenatū conſulere ſolebat quod ſuo arbitrio pacem bellumque faceret, quod fœdera inconſulto populo, ſenatuque, iniret: quod leges, quarum cuſtos eſſe debuerat, violaret: in ſumma, quod fœdus inter Reges & Quirites, ut ante retulimus, ſancitū negligeret. Ad imperatores vero Romanos quod attinet, palā eſt ſententia, qua ſenatus Romanus Neronem hoſtem Reipub. judicavit, undeque & gemoniis damnavit: qua Vitellium ignominioſe mutilatum, perque urbem tractum, morte mulctavit: qua Maximinum imperio ſpoliavit, Maximum vero & Albinum

in ejus locum ſuffecit. Quibus aliæ ex probatiſſimis auctoribus adjungi poſſint. Nec vero Trajanus imperator ſe aut legibus ſolutum putavit, aut pœnæ tyrannorum exemptum voluit: qui cum gladium præfecto Prætorii traderet: *Si bene*, inquit, *imperavero*, *pro me: ſin contra*, *adverſus me ſtringito*. Conſimiliter Franci, Concilii publici auctoritate, curantibus regni officiariis, Childericum primum, Sigibertum, Theodoricum, Childericũ tertium regno expulerunt, alioſque ac nonnullos ex alia ſtirpe, propter tyrannidem iis ſuffecerunt. Quin & propter deſidiam, ignaviam, inſaniam, quum aut exterorum injuriis, aut adulatorum mulierumue libidini aut impotentiæ parebant, quoſdam exauctorarunt, & quaſi Phaethonti habenas abſtulerunt, ne univerſi incendio eodẽ conflagrarent: ut Theodoricum Ebroini cauſa, Dagobertum Plectrudis & Theobaldi ipſius amaſii, & cæteros: nempe perinde eſſent rati, ſive mulier ſive mulieroſus princeps imperaret, ſeu tyrannus, ſeu ſub ignavo principe tyrannuli dominarentur, ſeu denique ipſe diabolus eſſet, ſeu à diabolo ipſo poſſideretur. Non ita vero pridem Ludovicum undecimum, principem imperioſiſſimum, curatores triginta ſex recipere coegerunt, quorum conſilio Rempubl. gerere teneretur. Ecquid autem alias juris habuerint aut Carlingi Merovingiorum loco in regnum cooptati, aut qui hodie obtinent. Capetani, Carlingis publici Concilii decreto antelati: niſi populo univerſo, per regni Concilium, quod trium Ordinum conventum vocant, quaſi per epitomen repræſentato, & illos exauctorare, & hos auctoritate ſua in ſolio ſtabilire jure licuit? Eodem pacto Imperio Germanico ſpoliatos legimus Adolphum cIↃ. CCXCVI. quod pecunia corruptus, bellum feciſſet regi Galliæ in gratiam Angli. VVenceslaum

laum cIↄcccc. etſi non tam mali principes hidici poſſunt, quam minus boni. Anglico Eduardus ſecundus ob tyrannidem in ſubditos, præſertim Proceres, quos inuahdita cauſa de medio tollebat, Eliſabetba uxore ipſius Parlamentum regni adverſus eundem implorante: quo auctore, regno indignus judicatus eſt. Non ita pridem Chriſtiernus Danico, Fticus Suedico, Maria regina Scotico nuper admodum, quod & in Polonico, Hungarico, Hiſpanico, Luſitanico, Bohemico, & cæteris factitatum hiſtoriæ fide dignæ teſtantur. Quid vero de Pontifice ipſo? Cardinales, inquiunt, quia ipſum elegerunt, aut ſi minus officio ſuo fungantur, patriarchæ, qui primates ſunt poſt Cardinales, poſſunt, eo invito, ceris de cauſis convocare Concilium in eoque pontificem judicare. Si per notorium delictum ſcandalizet univerſam Eccleſiam: ſi ſit incorrigibilis, ſi reformatio neceſſaria ſit tam in capite, quam in membris, ſi contra Juramentum præſtitum Concilium congregare nolit, & cætera, Ex facto vero multos Concilii auctoritate deſtitutos fuiſſe legimus. Sin vero, ait Baldus, pervicaciter abutantur: primo utendũ eſt verbis, ſecundo, herbis, id eſt, medicamentis, poſtremo, lapidibus, & ubi non ſufficit virtutis ingeniũ, valere debet armorũ præſidium. Quod ſi vero & doctorum fere omnium calculis, & Conciliorũ decretis, & ipſis rebus geſtis probatur, conciliũ Papam deponere, ut loquunt, jure poſſe, qui tamen regem ſeſe regũ iactat, & quanto ſol luna, tanto Imperatore ſuperiorem venditat, quin etiam regum imperatorumque pro libito exauctorandorum auctoritatem ſibi arrogat: quis tandem dubitare queat, quin à Concilio publico cujuſq; regni, non modo tyrannus, ſed ex regno, ob ſuam inſaniam pernicioſus, deponi & exauctorari poſſit?

Eroiſſa, l. 2. c. 1. & ſeq.

Ant. de But. Conſi. quod poſitum eſt inter Conſil. Paul. de Caſ. vol. antiq. nu. 412. incip. viſo puncto. Mart. Laudenſ. tract. de Cardin. in 2. q. 35. Phil. Dec. in quodam conſilio cujus verba fuerunt.

Age

Age vero, in navi iſta noſtra politica vino ſeſe ingurgitet navarchus, adiutores plerique aut dormiant, aut mutuis poculis inebriati imminentem ſcopulum ludibundi intueantur. Navis interea aut eum curſum non teneat, quem domino expedit, aut brevi peſſum itura videatur: quid hic ſub præfecto alicui vigili & ſolicito faciendum putes? An dormientibus autem vellicabit, aut latus fodiet tantum: interim vero, ne quid cæterorum injuſſu facere videatur, periclitanti navi opem atque operam ſuam non præſtabit? Quæ vero iſthæc aut amentia, aut potius impietas fuerit? Agedum, inquam, cum tyrannis, ut ait Plato, quædam phreneſis ſit & ebrietas, princeps Rempublica funditus evertat, optimates plerique colludant, conniveant, ſaltem conſopiti ſint: populus, qui Reipub. dominus eſt, miniſtrorum illorum aut fraude, aut negligentia, quæ ipſa culpa eſt, in ſummas anguſtias redactus ſit: exiſtat interea optimatum unus aliquis, qui graſſantem tyrannidem animadvertat, & ex animo execretur, quid huic adverſus illam faciendum putes? An collegas ſui tantum officii admonebit, qui ipſi quantum poſſunt, officiunt? At, præterquam quod admonere periculoſum eſt, & eo rerum ſtatu crimen capitale cenſetur: perinde faciat, ac qui, cæteris auxiliis ſpretis, projectis armis, apud prædones, in media ſylva leges citet, & orationem de juſtitia habeat; id vero vere eſt, quod dicitur, cum ratione inſanire, quid ergo? ad gemitus populi obſurdeſcet, ad latronum ingreſſum obmuteſcet, & oſcitabit denique, & manus in ſinum inſeret? At ſi vel in caligatum, qui metu hoſtium languorem ſimularit, proditoris pœnam jura ſtatuunt: quam tandem in eum ſtatuemus, qui, quos ipſe tuendos ſuſcepit, ſive malitia, ſive ignavia prodit? Quin potius, cautis

And. Bat. in d. conſ. 1. li. 1. c. 6.

l. 3. & l. omne delictum §. ult ff. de re milit.

tis per celeuſma, quæ opus erit, imperabit: curabit, ne quid Reſpublica detrimenti capiat, ac rege etiam invito & renitente, regnum per quod ipſe rex exiſtit, conſervabit, regemque ipſum, tanquam phreneticum, aut furioſum ni alias poſſit, pedibus manibusque revinctum, ſanabit. Enimuero non eſt, ut diximus, univerſa regni adminiſtratio regi à populo commendata: ut nec pontifici univerſalis Eccleſiæ epiſcopatus, (aiunt) ſed optimatum cuique pro virili. At certe, quia concordia ab civitate proficiſcitur, ne qua inter Pares æmulatio eſſet, rex inſtitutus fuit, qui ſupremum, in adminiſtratione Reipubl. locum teneret. Iurat rex, ſe ſalutem regni curaturum, idem optimates etiam ſinguli per ſe. Num ergo, ſi rex, aut optimates plerique, neglecta fide, Rempublicam aut perdant, aut periclitantem deſerant, debebunt propterea cæteri Rempubl. deſerere, aut ſaltem minus defendere tenebuntur, quaſi ſuo jurejurando ſoluti ſint? Quin potius tum maxime fidem ſuam præſtare debent, cum cæteri negligunt, præſertim cum in eum finem præcipue, tanquam ephori, ſint inſtituti: ac quidque demum juſtum cenſeatur, cum finem ſuum attigit. Num etenim ſi plures eandem rem promiſerunt, unius perjurio alterius obligatio perimitur? num ſi plures ejuſdem ſummæ correi ſunt, unius fraude cæteri liberantur? Num, ſi plures contutores pupillum male tuentur, ibi illorum culpa unus aliquis vir bonus tutelæ onere minus tenetur? Quin potius, nec illi perfidiæ infamiam vitare poſſunt, ni quatenus in iis poſitum eſt, fidei ſuæ ſatisfacere conentur: nec hi ſeſe periculo tutelæ male geſtæ judicioque eximere, ni cæteros contutores ſuſpectos agant: cum ſane non modo tutor unicus cæteros ſuſpectos agere poſſit, & removendos curare, verum

etiam

etiam remotus. Itaque qui regno imperiove univerſo opem operamque ſuam promiſerint, quales Comes ſtabuli, Mareſchalli, Patricii & cæteri, aut qui alicui ſpeciatim regioni, urbive, quæ regni partem faciat: quales Duces, Marchiones, Comites, Majores & cæteri, univerſæ Reipublicæ, eiue Reipublicæ parti, quam ipſis ſecundum regem populus commiſerit, tyrannide oppreſſæ ſuccurrere tenentur. Et illi quidem univerſum regnum à tyrannide vindicare debent, ſi poſſunt: hi tanquam tutores per regiones dati, eam regni partem, cujus tutelam ſuſceperunt. Illi, inquam, tyrannum coercere, hi à ſuis finibus arcere tenentur. Itaque Mathathias, tanquam optimatum unus, cæteris partim conniventibus, partim colludentibus. Antiocho regnum Iudæorum tyrannice opprimente, populum arma capturus his verbis affatur: *Reſtauremus populum populi noſtra, dimicamus pro populo noſtro, proque ſanctis locis noſtris.* vnde non pro religione tantum, ſed pro patria, pro focis, inquam, non minus juſte, quam pro aris arma capi poſſe adverſus tyrannum, (qualis is erat) liquido apparet. Neque enim reprehenduntur à quoquam, quod regnum evicerint, ſed quod regiam dignitatem, quæ ad tribum Iudæ pertinebat, ſibi vendicarint. Exempla eodem pertinentia apud hiſtoriographos plurima occurrunt. Arbactus Mediæ præfectus, Sardanapalum inter mulieres penſa diſtribuentem, opesque regias in meretrices profundenté interficit. Vindex Galliarum, & Galba Hiſpaniarum Præſides, à Nerone connivente ad ipſius tyrannidem ſenatu deficiunt, unaque Gallia & Hiſpania univerſa Verum inſigne eſt inprimis Laconicum illud judicium quod ſane ab eo ſenatu profectum, apud omnes gentes in rem judicatam tranſire debet. Cum Lacedæ-

*Machab. lib.*1.*c.* 3. *v.*45.

cedæmonii Byzantium poſſiderent, Clearchum ducem exercitus urbi præfecerant, qui frumentum civibus ereptum, militibus extraneis diſtribuebat. Interea vero familiæ civium fame peribant. Anaxilaus igitur, unus ex urbis optimatibus, ea tyrannide commotus, de patriæ deditione cum Alcibiade paciſcitur: atque is paulo poſt in urbem recipitur Anaxilaus Spartæ accuſatus ob Byzantii deditionem, cauſam ſuam ipſe agit. Spartani hominem abſolverunt: quia, aiunt, bella gerenda ſunt cum hoſtibus, non cum rerum natura. Nil vero magis naturæ repugnat, quam ſi, qui urbem aliquam defendere tenentur, ipſis hoſtibus iniquiores ſint. Hæc Lacedæmonii qui juſte regnabant, quibus vix ulli boni reges non aſſentiantur. Nimirum, qui bene regnare cupiunt, quid in tyrannos ſtatuatur, quid optimates jure poſſint, quid populus ipſe, ſusque deque habent. Verum ulterius adhuc nobis progrediendum eſt.

Tenetur nautarum quilibet, ſi nauarchi culpa negligentiave navis periclitetur, manũ admovere. Tenetur Optimatum quilibet, ſi principis collegarumque ſcelere, vel deſidia Reſpublica pereat, laboranti ſuccurrere, regnũ denique in ſolidum, ejuſve ſaltem eam partem, quæ ſibi commiſſa fuerit, à tyrannide vindicare. An vero tandem mediaſtino cuilibet idem licebit? An Herdonio Sabino, Euno Suriano, Spartaco gladiatori forte, an, inquam, privato cuilibet ſervos ad pileum vocaret, ſubditos ad arma ciere, manus denique cum principe conſerere, ſi tyrannis urgeat, licebit? Minime vero. Singulis ſeu privatis Reſpublica commiſſa non eſt: imo ipſi optimatum & magiſtratuum curæ, non ſecus ac pupilli, commiſſi ſunt. Itaque non tenentur Rempublicam tueri, qui ſeipſos tueri non poſſint. Singulis neque à Deo, neque à populo gladius

gladius conceſſus eſt. Itaque ſi gladium in uſu ſtringant, ſeditioſi ſunt, quamvis cauſa juſta videatur. Singuli denique principem non conſtituunt, ſed univerſi. Itaque univerſorum, eorum, inquam, qui univerſos in regno, regione, urbeue, quæ regni partem faciat, repræſentant, juſſum expectent oportet, aut unius ſaltem ex illis, antequam adverſus principem quidquam moliantur. Etenim ut pupillus, non niſi tutore auctore, actionem intendere poteſt, etſi pupillus quidem dominus vere eſt, tutor vero pro domino tantum, quantum ad pupillarem providentiam attinet habetur: itaneque populus, niſi iis auctoribus, in quos ſuam auctoritatem & poteſtatem tranſtulit, ſive ij ordinarij magiſtratus ſint, ſive in conventu publico extra ordinem creati: quos, inquam, gladio ſuo in eam rem accinxit, quibus ſe regendum curandumque tradidit: qui denique, non ſecus ac prætor ille Romæ, qui inter ſervos & dominos jus dicebat, eo loco vere conſtituti ſunt, ut ſi quæ lis inter regem & ſubditos oboriatur, judices & vindices ſe præſtent, ne ipſi ſubditi in ſua ipſorum cauſa ſententiam pronuncient. Itaque ſi vectigalia & tributa iniqua imperari, ſi quæ contra pacta inue fraudem fieri videantur, nec tamen optimatum ullus reclamet aut repugnet, conquieſcendum ſibi putent, ac cogitent, optimos medicos morbum ut antevertant, aut tollant, venæ ſectionem, humorum euacuationem, ſcarificationem ſæpe imperare, Ita enim rerum natura comparatum eſſe, ut vix ullum malum abſque altero curari, vix quicquam abſque improbo labore acquiri poſſit. Habent exemplum populi Iſraelitici ſub Salomone, qui tributa, quæ ad templum extruendum, regnumque muniendum graviſſima imperabantur, non recuſavit: quia publico conſilio

l. 1. C. de ſeditioſis. l. 8. l. 9. ff. de auctor. & conſt. tutor. curat.

Seneca lib. 1. de Benef.

conſilio, ad Dei gloriam reique publicæ decus & ornamentum ea imperari judicabat. Habent & Chriſti Servatoris noſtri, qui etſi Rex ipſe regum erat, quia tamen privatam perſonam tum ſuſtinebat, tributum libenter perſolvit. Si manifeſtæ tyrannidi faveant optimates ipſi, aut ſaltem non repugnent, recordentur, propter peccata populi, Deo permittente, regnare hypocritas, qui, ni ſe ad Deum ipſi ex corde convertant, nullis machinis everti poſſint. Itaque non pedibus, nō manibus, ſed genibus flexis opus eſſe. Denique malos principes ferant, meliores optent, & non ſecus ac grandinem, illuviones, tempeſtates, cæteraſque naturales calamitâtes tyrannidem illam ſibi æquo animo ferendam, aut ſedes mutandas putent. Si David in montes ſeſe recipit, & Sauli tyranno parcit, qui non erat ex optimatibus populi: Chriſtus, quia regnum ipſius non erat de hoc mundo, in Ægyptum fugit, ſeſeque tyrannidi ſubducit: paulus, quia ſingulorum Chriſtianorum, non magiſtratuum officium deſcribit, vel Neroni ipſi obediendum eſſe docet. At ſi optimates omnes, aut plerique, aut unus ſaltem aliquis manifeſtam tyrannidem coercere, aut magiſtratus ab ea regni parte, quæ ſibi commiſſa fuerit, arcere conetur, & ita quidem ut is ſit, qui ejus expellendæ prætextu alia non invehant, tam ſane, tanquam agmine facto, certatim ad delectum concurrant, obnixe pedibus manibuſque opem ferant, an tanquam Deus ipſe cœlitus ſignum pugnæ adverſus tyrānnos dederit, Remp. regnumq; à tyrannide vindicare conentur. Etenim ut populū per tyrannos, ita & tyrannos per populum punit & caſtigat Deus: ratumque perpetuo eſt, quod Syrachus dicit, *Regna transferri de gente in gentem, propter iniquitates, injurias & ſcelera principum, omnem vero tyrannidem parum diur-*

Ioh. 14. *v.* 30.

Eccl. 10.

tur-

turnam exiſtere. Sic Centuriones & milites, Ioiadæ ſummi ſacerdotis juſſa alacriter exequuntur in vindicanda Athaliæ, reginæ tyrannide. Sic pii omnes ex Iſraele, ad Machabæos ſeſe recipiunt, partim ut verum Dei cultum, partim ut Rempub. adverſus impios & iniquos conatus Antiochi tueantur: Deus vero juſtis eorũ conatibus favet, & proſperum exitum largitur. Quid vero? An non etiam aliquando ex ipſis privatis vindicem tyrannidis aliquem Deus excitare poteſt? An non idem ipſe, qui tyrannos è plebe, nullo titulo, nullo prætextu fretos, puniendo populo excitat, liberatores etiam vel ex ima plebe excitare poterit? An non idem, qui Iabino, qui Egloni populum mancipavit, per Ehodem, Baracum, Deboram, eundem ab optimatibus derelictum liberavit, & quaſi manumiſit? Quid ergo jam obſtat, dices, quin idem Deus, qui nobis tyrannos hoc tempore immiſit, tyrannorum ultores etiam extra ordinem mittat? Cur, ſi Achab ſævit in viros bonos, ſi Iezabel Nabotho falſos teſtes ſubornat, non erit & Iehu, qui familiam Achabi deleat, qui ſanguinem Nabothi vindicet, qui Iezabelem canibus lacerandam projiciat? Certe, quod antea reſpondi, ut juſtitiæ ita neque miſericordiæ divinæ, ullo tempore quidquam decedit. At vero, cum evidentia illa ſigna, quibus extraordinariam illorum heroum vocationem Deus confirmare ſolebat, nobis hoc ſeculo ut plurimum deſint, videat populus, ne dum ſicco pede duce aliquo impoſtore, mare transfretare cupit, in gurgitem, quod Iudæis accidiſſe aliquando legimus, præceps ruat: ne, dum vindicem tyrannidi quærit, ſequatur forte aliquem, qui, eo tyranno expulſo, tyrannidem ipſam ad ſe transferat: ne denique, dum reipublic. merere geſtit, privatæ alicujus libidini militet: itaque, quod mul-

multis rebuſp. præſertim Italicis accidit, dum præſens malum arcere conatur, longe gravius accerſat.

In ſumma, ut hunc tandem tractatum concludamus, principes eliguntur à Deo, conſtituuntur à populo. Vt ſinguli principe inferiores ſunt, ita univerſi, & qui univerſos repræſentant, regni officiarii, principes ſuperiores ſunt. In conſtituendo principe intervenit fœdus inter ipſum & populum, tacitum, expreſſum, naturale, vel etiam civile, ut bene imperanti bene pareatur, ut reipubl. inſervienti omnes inſerviant, ut legibus obtemperanti omnes obſequantur, &c. Hujus vero fœderis ſeu pacti regni officiarii vindices & cuſtodes ſunt. Qui hoc pactum perfide & pervicacitate violat, is vere exercitio tyrannus eſt. Itaque regni officiarii ipſum & ſecundum leges judicare, & renitentem vi coercere, ſi alias non poſſunt, ex officio tenentur. Hi duorum generum ſunt. Qui regni univerſi tutelam ſuſceperunt, quales Comes ſtabuli, Mareſchalli, Patricii, Palatini & cæteri, ſinguli per ſe cæteris conniventibus aut colludentibus, tyrannum coercere debent: qui alicujus partis, regioniſue, quales duces, marchiones, comites, conſules, majores, tyrannidé tyrannumq; ab ea regióe urbeve arcere jure ſua poſſunt. Porro ſinguli ſive privati adverſus tyrannos exercitio, gladium non reſtringent: quia non à ſingulis, ſed ab univerſis conſtituti ſunt. At adverſus eos, qui abſque titulo ſeſe intrudũt; quia nulla pactio interceſſit, promiſcue admittuntur. Quo in genere cenſeri poſſunt ii, qui ignavia deſidiave legitimi principis abutentes, tyrannidem in ipſius ſubditos exercẽt. Et hæc hactenus: quibus ex ſecunda quæſtione, quæ forte deſunt, adjungi poſſunt.

An jure poſſint, aut debeant vicini Principes auxilium ferre aliorum Principum ſubditis, religionis puræ cauſa aſſlictis. aut manifeſta tyrannide oppreſsis?

SVccedit jam alia quæſtio, in qua certe, defini⁊nda, conſcientia magis, quam ſcientia opus eſt, quæque ſi charitas hoc ſeculo locum ſuum obtineret, plane otioſa eſſet. At quia, ut nunc ſunt mores, charitate ipſa nil quidquam eſt inter homines aut carius aut rarius: videtur etiam à nobis breviter tractanda. Tyranni, tum animarum, tum corporum, tum Eccleſiæ, tum reipublicæ regnive, coerceri, expelli, & puniri, per populum poſſunt. Vtrunque jam rationib. evicimus. Verum, quia vel ea fraus tyrannorum, vel ea ſubditorum ſimplicitas plerunque eſt, ut vix ante cognoſcātur illi, quam rapuerint: aut hi de ſua ſalute cogitent, quam ferme perierint, in caſque anguſtias redacti, hi, à quib ſuis viribus emergere non poſſunt, alienas implorare coguntur: quæritur, *utrum ius religionis, aut reipubl. regni Chriſti, aut regni ſui cauſam tuentibus principes Chriſtiani auxilium ferre jure poſsint?* Et multi quidem, cum afflictis opem ferendo ſuas ſe opes aucturos ſperarunt, protinus licere judicarunt. Sic enim Romani, Alexander Magnus, & cæteri multi, tyrannorum coercendorum prætextu, pomœria ſæpe ſua protulerunt. Nec ita pridem vidimus Henricum II. Franciæ regum, bellum intuliſſe Carolo V. Principum Imperii, & quidem Proteſtantium liberandorum defendendorumque prætextu: ut etiam Henricum VIII. Angliæ regem Proteſtantibus Germaniæ opem ferre paratum, ut Carolo V. negotium faceſſeret. At ſi aut periculi aliquid inde metuatur, aut lucri

minus

minus ſperari poſſit, tum plane pleroſque principes, liceat, nec ne, diſputantes audias. Et ut illi pietatis prætextu, aut ambitionem, aut quæſtum tegebant: ſic hi deſidiæ ſuæ juſtitiam obtendunt, cum ſane nec illos vt..e hortaretur pietas, quæ aliena tantum quærit, nec hos juſtitia dehortari debeat, quæ tota foras ſpectat, & quaſi projecta eſt. Ergo, utriſque poſthabitis, in religionis primum cauſa quid vera pietas, quidque juſtitia ſuadeant, videamus. Primum ratum ſit, Vnicam eſſe Eccleſiam, cujus caput Chriſtus, cujuſque ita membra inter ſe cohærent conſentiantque, ut nullum ex illis vel minimum, vim læſionemue pati poſſit, quin cætera lædantur & dolorem percipiant, ut in univerſa Scriptura docet. Propterea comparatur Eccleſia corpori. Corpus vero ſæpe non brachii modo, aut cruris, ſed minimi etiam digiti læſione afficitur, aut vulnere perit. Fruſtra itaque jactet aliquis; hujus ſibi corporis ſalutem cordi eſſe, qui, quod totum tueri poteſt, membratim dilaniari & diſcerpi patitur. Comparatur ædificio. Ædificium vero, quamcunque in partem cuniculi agantur, totum ſæpe corruit: quamcunque contignationem flamma inuadat, in univerſum periclitatur. Ridiculus itaque fuerit, qui forte quod in hypogæo habitet, flammam à tecto arcere cunctaretur. Male ſanus, qui cuniculos contrariis eludere nolit: quod in hunc non in illum parietem admoveantur. Comparatur & navi. Navis vero tota ſimul periclitatur, tota ſimul perit. Itaque æque tuti ſunt, qui in prora, ac qui in puppi, qui in carina, ac qui in tranſtris, ſi tempeſtas ſæviat, cum certe vel vulgato proverbio, qui in eodem periculo verſantur, in eadem navi eſſe dicantur. His poſitis, certe qui ejus dolore, incēdio, jactatione non commovetur, ex eo corpore non eſt, in familia

Chri-

Chriſti non cenſetur, locum in Arca nullum habet. Qui vero vel tantillum commovetur, nihilo magis dubitare debet, an Eccleſiæ mẽbris vexatis opem ferre debeat, quam an ſibi ipſi, an ſeipſum juvare, cum omnes in Eccleſia unum ſimus. Quin potius quiſque in ſuo munere ſuam iis opem, operamque præſtare tenetur: & eo utique majorem, quo ampliore à Deo opes, nec tam poſſidendas, quam diſpenſandas accepit.

Hæc Eccleſia ut unica eſt, ita etiam ſingulis Principibus Chriſtianis in univerſum & in ſolidum commendata atque commiſſa eſt. Quia enim uni alicui univerſam committere, lubricum erat, ſingulis vero ſingulas ejus partes, ab ejus unitate plane alienum: univerſam ſingulis, ſingulas ejus partes univerſis commiſit Deus. Nec vero ut propugnent eam tantum, verum etiam, ut, quantum poſſint, propagandam curent. Itaque ſi unam ejus partem, Germanicam forte, aut Anglicam, princeps regionis illius curet, alteram vero oppreſſam, ſi opem ferre poſſit, deſerat & negligat, Eccleſiam deſeruiſſe cenſetur: cum ſane ſponſa Chriſti unica ſit, quam, ne uſquam violetur, corrumpaturve, omnibus viribus protegere ac tueri debat. Hujus univerſæ inſtaurationem ut privati quique genibus flexis, ita magiſtratus, pedibus manibus, totis, inquam, viribus promovere tenentur. Neque non alia eſt Eccleſia Epheſina, alia Coloſſienſis, & cæteræ, ſed ſingulæ illæ univerſæ Eccleſiæ partes ſunt: univerſa vero regnum Chriſti eſt, quod omnes privati optare debẽt: reges vero, principes, magiſtratus, amplificare, dilatare, propugnare & propagare ubique, & adverſus quoſcunque tenentur. Propterea apud Iudæos unicum templum erat, à Salomone extructũ, quod unitatem Eccleſiæ repræſentabat. Ridiculus vero & plectendus foret æ ii.uus, qui

tis per celeuſma,quæ opus erit,imperabit: curabit, ne quid Reſpublica detrimenti capiat, ac rege etiam invito & renitente, regnum per quod ipſe rex exiſtit, conſervabit, regemque ipſum, tanquam phreneticum, aut furioſum ni alias poſſit, pedibus manibusque revinctum, ſanabit. Enimuero non eſt, ut diximus, univerſa regni adminiſtratio regi à populo commendata: ut nec pontifici univerſalis Eccleſiæ epiſcopatus, (aiunt) ſed optimatum cuique pro virili. At certe, quia concordia ab civitate proficiſcitur, ne qua inter Pares æmulatio eſſet, rex inſtitutus fuit, qui ſupremum, in adminiſtratione Reipubl. locum teneret. Iurat rex, ſe ſalutem regni curaturum, idem optimates etiam ſinguli per ſe. Num ergo, ſi rex, aut optimates plerique, neglecta fide, Rempublicam aut perdant, aut periclitantem deſerant, debebunt propterea cæteri Rempubl. deſerere, aut ſaltem minus defendere tenebuntur, quaſi ſuo jurejurando ſoluti ſint? Quin potius tum maxime fidem ſuam præſtare debent, cum cæteri negligunt, præſertim cum in eum finem præcipue, tanquam ephori, ſint inſtituti: ac quidque demum juſtum cenſeatur, cum finem ſuum attigit. Num etenim ſi plures eandem rem promiſerunt, unius perjurio alterius obligatio perimitur? num ſi plures ejuſdem ſummæ correi ſunt, unius fraude cæteri liberantur? Num, ſi plures contutores pupillum male tuentur, ibi illorum culpa unus aliquis vir-bonus tutelæ onere minus tenetur? Quin potius, nec illi perfidiæ infamiam vitare poſſunt, ni quatenus in iis poſitum eſt, fidei ſuæ ſatisfacere conentur: nec hi ſeſe periculo tutelæ male geſtæ judicioque eximere, ni cæteros contutores ſuſpectos agant: cum ſane non modo tutor unicus cæteros ſuſpectos agere poſſit, & removendos curare, verum

etiam

etiam remotus. Itaque qui regno imperiove univerſo opem operamque ſuam promiſerint, quales Comes ſtabuli, Mareſchalli, Patricii & cæteri, aut qui alicui ſpeciatim regioni, urbive, quæ regni partem faciat: quales Duces, Marchiones, Comites, Majores & cæteri, univerſæ Reipublicæ, eiue Reipublicæ parti, quam ipſis ſecundum regem populus commiſerit, tyrannide oppreſſæ ſuccurrere tenentur. Et illi quidem univerſum regnum à tyrannide vindicare debent, ſi poſſunt: hi tanquam tutores per regiones dati, eam regni partem, cujus tutelam ſuſceperunt. Illi, inquam, tyrannum coercere, hi à ſuis finibus arcere tenentur. Itaque Mathathias, tanquam optimatum unus, cæteris partim conniventibus, partim colludentibus. Antiocho regnum Iudæorum tyrannice opprimente, populum arma capturus his verbis affatur: *Reſtauremus populum populi noſtra, dimicamus pro populo noſtro, proque ſanctis locis noſtris.* vnde non pro religione tantum, ſed pro patria, pro focis, inquam, non minus juſte, quam pro aris arma capi poſſe adverſus tyrannum, (qualis is erat) liquido apparet. Neque enim reprehenduntur à quoquam, quod regnum evicerint, ſed quod regiam dignitatem, quæ ad tribum Iudæ pertinebat, ſibi vendicarint. Exempla eodem pertinentia apud hiſtoriographos plurima occurrunt. Arbactus Mediæ præfectus, Sardanapalum inter mulieres penſa diſtribuentem, opesque regias in meretrices profundentē interficit. Vindex Galliarum, & Galba Hiſpaniarum Præſides, à Nerone connivente ad ipſius tyrannidem ſenatu deficiunt, unaque Gallia & Hiſpania univerſa Verum inſigne eſt inprimis Laconicum illud judicium quod ſane ab eo ſenatu profectum, apud omnes gentes in rem judicatam tranſire debet. Cum Lacedæ-

Machab. lib. 1. *c.* 3. *v.* 45.

cedæmonii Byzantium poſſiderent, Clearchum ducem exercitus urbi præfecerant, qui frumentum civibus ereptum, militibus extraneis diſtribuebat. Interea vero familiæ civium fame peribant. Anaxilaus igitur, unus ex urbis optimatibus, ea tyrannide commotus, de patriæ deditione cum Alcibiade paciſcitur: atque is paulo poſt in urbem recipitur Anaxilaus Spartæ accuſatus ob Byzantii deditionem, cauſam ſuam ipſe agit. Spartani hominem abſolverunt: quia, aiunt, bella gerenda ſunt cum hoſtibus, non cum rerum natura. Nil vero magis naturæ repugnat, quam ſi, qui urbem aliquam defendere tenentur, ipſis hoſtibus iniquiores ſint. Hæc Lacedæmonii qui juſte regnabant, quibus vix ulli boni reges non aſſentiantur. Nimirum, qui bene regnare cupiunt, quid in tyrannos ſtatuatur, quid optimates jure poſſint, quid populus ipſe, ſusque deque habent. Verum ulterius adhuc nobis progrediendum eſt.

Tenetur nautarum quilibet, ſi nauarchi culpa negligentiave navis periclitetur, manũ admovere. Tenetur Optimatum quilibet, ſi principis collegarumque ſcelere, vel deſidia Reſpublica pereat, laboranti ſuccurrere, regnũ denique in ſolidum, ejuſve ſaltem eam partem, quæ ſibi commiſſa fuerit, à tyrannide vindicare. An vero tandem mediaſtino cuilibet idem licebit? An Herdonio Sabino, Euno Suriano, Spartaco gladiatori forte, an, inquam, privato cuilibet ſervos ad pileum vocaret, ſubditos ad arma ciere, manus denique cum principe conſerere, ſi tyrannis urgeat, licebit? Minime vero. Singulis ſeu privatis Reſpublica commiſſa non eſt: imo ipſi optimatum & magiſtratuum curæ, non ſecus ac pupilli, commiſſi ſunt. Itaque non tenentur Rempublicam tueri, qui ſeipſos tueri non poſſint. Singulis neque à Deo, neque à populo gladius

gladius conceſſus eſt. Itaque ſi gladium in uſu ſtringant, ſeditioſi ſunt, quamvis cauſa juſta videatur. Singuli denique principem non conſtituunt, ſed univerſi. Itaque univerſorum, eorum, inquam, qui univerſos in regno, regione, urbeue, quæ regni partem faciat, repræſentant, juſſum expectent oportet, aut unius ſaltem ex illis, antequam adverſus principem quidquam moliantur. Etenim ut pupillus, non niſi tutore auctore, actionem intendere poteſt, etſi pupillus quidem dominus vere eſt, tutor vero pro domino tantum, quantum ad pupillarem prōvidentiam attinet habetur: itaneque populus, niſi iis auctoribus, in quos ſuam auctoritatem & poteſtatem tranſtulit, ſive ij ordinarij magiſtratus ſint, ſive in conventu publico extra ordinem creati: quos, inquam, gladio ſuo in eam rem accinxit, quibus ſe regendum curandumque tradidit: qui denique, non ſecus ac prætor ille Romæ, qui inter ſervos & dominos jus dicebat, eo loco vere conſtituti ſunt, ut ſi quæ lis inter regem & ſubditos oboriatur, judices & vindices ſe præſtent, ne ipſi ſubditi in ſua ipſorum cauſa ſententiam pronuncient. Itaque ſi vectigalia & tributa iniqua imperari, ſi quæ contra pacta inue fraudem fieri videantur, nec tamen optimatum ullus reclamet aut repugnet, conquieſcendum ſibi putent, ac cogitent, optimos medicos morbum ut antevertant, aut tollant, venæ ſectionem, humorum euacuationem, ſcarificationem ſæpe imperare, Ita enim rerum natura comparatum eſſe, ut vix ullum malum abſque altero curari, vix quicquam abſque improbo labore acquiri poſſit. Habent exemplum populi Iſraelitici ſub Salomone, qui tributa, quæ ad templum extruendum, regnumque muniendum graviſſima imperabantur, non recuſavit: quia publico conſilio.

l. 1. C. de ſeditioſis. l. 8. l. 9. ff. de auctor. & conſt. ator. curat.

Seneca lib. 1. de Benef.

conſilio, ad Dei gloriam reique publicæ decus & ornamentum ea imperari judicabat. Habent & Chriſti Servatoris noſtri, qui etſi Rex ipſe regum erat, quia tamen privatam perſonam tum ſuſtinebat, tributum libenter perſolvit. Si manifeſtæ tyrannidi faveant optimates ipſi, aut ſaltem non repugnent, recordentur, propter peccata populi, Deo permittente, regnare hypocritas, qui, ni ſe ad Deum ipſi ex corde convertant, nullis machinis everti poſſint. Itaque non pedibus, nõ manibus, ſed genibus flexis opus eſſe. Denique malos principes ferant, meliores optent, & non ſecus ac grandinem, illuviones, tempeſtates, cæteraſque naturales calamitâtes tyrannidem illam ſibi æquo animo ferendam, aut ſedes mutandas putent. Si David in montes ſeſe recipit, & Sauli tyranno parcit, qui non erat ex optimatibus populi: Chriſtus, quia regnum ipſius non erat de hoc mundo, in Ægyptum fugit, ſeſeque tyrannidi ſubducit: paulus, quia ſingulorum Chriſtianorum, non magiſtratuum officium deſcribit, vel Neroni ipſi obediendum eſſe docet. At ſi optimates omnes, aut plerique, aut unus ſaltem aliquis manifeſtam tyrannidem coercere, aut magiſtratus ab ea regni parte, quæ ſibi commiſſa fuerit, arcere conetur, & ita quidem ut is ſit, qui ejus expellendæ prætextu alia non invehant, tam ſane, tanquam agmine facto, certatim ad delectum concurrant, obnixe pedibus manibuſque opem ferant, an tanquam Deus ipſe cœlitus ſignum pugnæ adverſus tyrãnnos dederit, Remp. regnumq; à tyrannide vindicare conentur. Etenim ut populũ per tyrannos, ita & tyrannos per populum punit & caſtigat Deus: ratumque perpetuo eſt, quod Syrachus dicit, *Regna transferri de gente in gentem, propter iniquitates, injurias & ſcelera principum, omnem vero tyrannidem parum diu-*

Ioh. 14. *v.* 30.

Eccl. 10.

tur-

turnam exiſtere. Sic Centuriones & milites, Ioiadæ ſummi ſacerdotis juſſa alacriter exequuntur in vindicanda Athaliæ, reginæ tyrannide. Sic pii omnes ex Iſraele, ad Machabæos ſeſe recipiunt, partim ut verum Dei cultum, partim ut Rempub. adverſus impios & iniquos conatus Antiochi tueantur: Deus vero juſtis eorũ conatibus favet, & proſperum exitum largitur. Quid vero? An non etiam aliquando ex ipſis privatis vindicem tyrannidis aliquem Deus excitare poteſt? An non idem ipſe, qui tyrannos è plebe, nullo titulo, nullo prætextu fretos, puniendo populo excitat, liberatores etiam vel ex ima plebe excitare poterit? An non idem, qui Iabino, qui Egloni populum mancipavit, per Ehodem, Baracum, Deboram, eundem ab optimatibus derelictum liberavit, & quaſi manumiſit? Quid ergo jam obſtat, dices, quin idem Deus, qui nobis tyrannos hoc tempore immiſit, tyrannorum ultores etiam extra ordinem mittat? Cur, ſi Achab ſævit in viros bonos, ſi Iezabel Nabotho falſos teſtes ſubornat, non erit & Iehu, qui familiam Achabi deleat, qui ſanguinem Nabothi vindicet, qui Iezabelem canibus lacerandam projiciat? Certe, quod antea reſpondi, ut juſtitiæ ita neque miſericordiæ divinæ, ullo tempore quidquam decedit. At vero, cum evidentia illa ſigna, quibus extraordinariam illorum heroum vocationem Deus confirmare ſolebat, nobis hoc ſeculo ut plurimum deſint, videat populus, ne dum ſicco pede duce aliquo impoſtore, mare transfretare cupit, in gurgitem, quod Iudæis accidiſſe aliquando legimus, præceps ruat: ne, dum vindicem tyrannidi quærit, ſequatur forte aliquem, qui, eo tyranno expulſo, tyrannidem ipſam ad ſe transferat: ne denique, dum reipubli. merere geſtit, privatæ alicujus libidini militet: itaque, quod mul-

multis rebuſp. præſertim Italicis accidit, dum præſens malum arcere conatur, longe graviꝰ accerſat.

In ſumma, ut hunc tandem tractatum concludamus, principes eliguntur à Deo, conſtituuntur à populo. Vt ſinguli principe inferiores ſunt, ita univerſi, & qui univerſos repræſentant, regni officiarii, principes ſuperiores ſunt. In conſtituendo principe intervenit fœdus inter ipſum & populum, tacitum, expreſſum, naturale, vel etiam civile, ut bene imperanti bene pareatur, ut reipubl. inſervienti omnes inſerviant, ut legibus obtemperanti omnes obſequantur, &c. Hujus vero fœderis ſeu pacti regni officiarii vindices & cuſtodes ſunt. Qui hoc pactum perfide & pervicacitate violat, is vere exercitio tyrannus eſt. Itaque regni officiarii ipſum & ſecundum leges judicare, & renitentem vi coercere, ſi alias non poſſunt, ex officio tenentur. Hi duorum generum ſunt. Qui regni univerſi tutelam ſuſceperunt, quales Comes ſtabuli, Mareſchalli, Patricii, Palatini & cæteri, ſinguli per ſe cæteris conniventibus aut colludentibus, tyrannum coercere debent: qui alicujus partis, regioniſue, quales duces, marchiones, comites, conſules, majores, tyrannidé tyrannumq; ab ea regiõe urbeve arcere jure ſua poſſunt. Porro ſinguli ſive privati adverſus tyrannos exercitio, gladium non reſtringent: quia non à ſingulis, ſed ab univerſis conſtituti ſunt. At adverſus eos, qui abſque titulo ſeſe intrudũt; quia nulla pactio interceſſit, promiſcue admittuntur. Quo in genere cenſeri poſſunt ii, qui ignavia deſidiave legitimi principis abutentes, tyrannidem in ipſius ſubditos exercẽt. Et hæc hactenus: quibus ex ſecunda quæſtione, quæ forte deſunt, adjungi poſſunt.

Quæſt.

An jure poſſint, aut debeant vicini Principes auxilium ferre aliorum Principum ſubditis, religionis puræ cauſa afflictis. aut manifeſta tyrannide oppreſsis?

SVccedit jam alia quæſtio, in qua certe, definienda, conſcientia magis, quam ſcientia opus eſt, quæque ſi charitas hoc ſeculo locum ſuum obtineret, plane otioſa eſſet. At quia, ut nunc ſunt mores, charitate ipſa nil quidquam eſt inter homines aut carius aut rarius: videtur etiam à nobis breviter tractanda. Tyranni, tum animarum, tum corporum, tum Eccleſiæ, tum reipublicæ regnive, coerceri, expelli, & puniri, per populum poſſunt. Vtrunque jam rationib. evicimus. Verum, quia vel ea fraus tyrannorum, vel ea ſubditorum ſimplicitas plerunque eſt, ut vix ante cognoſcātur illi, quam rapuerint: aut hi de ſua ſalute cogitent, quam ferme perierint, in eaſque anguſtias redacti, hi, à quib ſuis viribus emergere non poſſunt, alienas implorare coguntur: quæritur, *utrum iis religionis, aut reipubl. regni Chriſti, aut regni ſui cauſam tuentibus principes Chriſtiani auxilium ferre jure poſsint?* Et multi quidem, cum afflictis opem ferendo ſuas ſe opes aucturos ſperarunt, protinus licere judicarunt. Sic enim Romani, Alexander Magnus, & cæteri multi, tyrannorum coercendorum prætextu, pomœria ſæpe ſua protulerunt. Nec ita pridem vidimus Henricum II, Franciæ regum, bellum intuliſſe Carolo V. Principum Imperii, & quidem Proteſtantium liberandorum defendendorumque prætextu: ut etiam Henricum VIII. Angliæ regem Proteſtantibus Germaniæ opem ferre paratum, ut Carolo V. negotium faceſſeret. At ſi aut periculi aliquid inde metuatur, aut lucri minus

minus ſperari poſſit, tum plane pleroſque principes, liceat, nec ne, diſputantes audias. Et ut illi pietatis prætextu, aut ambitionem, aut quæſtum tegebant: ſic hi deſidiæ ſuæ juſtitiam obtendunt, cum ſane nec illos vt.e hortaretur pietas, quæ aliena tantum quærit, nec hos juſtitia dehortari debeat, quæ tota foras ſpectat, & quaſi projecta eſt. Ergo, utriſque poſthabitis, in religionis primum cauſa quid vera pietas, quidque juſtitia ſuadeant, videamus. Primum ratum ſit, Vnicam eſſe Eccleſiam, cujus caput Chriſtus, cujuſque ita membra inter ſe cohærent conſentiantque, ut nullum ex illis vel minimum, vim læſionemue pati poſſit, quin cætera lædantur & dolorem percipiant, ut in univerſa Scriptura docet. Propterea comparatur Eccleſia corpori. Corpus vero ſæpe non brachii modo, aut cruris, ſed minimi etiam digiti læſione afficitur, aut vulnere perit. Fruſtra itaque jactet aliquis; hujus ſibi corporis ſalutem cordi eſſe, qui, quod totum tueri poteſt, membratim dilaniari & diſcerpi patitur. Comparatur ædificio. Ædificium vero, quamcunque in partem cuniculi agantur, totum ſæpe corruit: quamcunque contignationem flamma inuadat, in univerſum periclitatur. Ridiculus itaque fuerit, qui forte quod in hypogæo habitet, flammam à tecto arcere cunctaretur. Male ſanus, qui cuniculos contrariis eludere nolit: quod in hunc non in illum parietem admoveantur. Comparatur & navi. Navis vero tota ſimul periclitatur, tota ſimul perit. Itaque æque tuti ſunt, qui in prora, ac qui in puppi, qui in carina, ac qui in tranſtris, ſi tempeſtas ſæviat, cum certe vel vulgato proverbio, qui in eodem periculo verſantur, in eadem navi eſſe dicantur. His poſitis, certe qui ejus dolore, incẽdio, jactatione non commovetur, ex eo corpore non eſt, in familia

Chri-

Chriſti non cenſetur, locum in Arca nullum habet. Qui vero vel tantillum commovetur, nihilo magis dubitare debet, an Eccleſiæ mébris vexatis opem ferre debeat, quam an ſibi ipſi, an ſeipſum juvare, cum omnes in Eccleſia unum ſimus. Quin potius quiſque in ſuo munere ſuam iis opem, operamque præſtare tenetur: & eo utique majorem, quo ampliore à Deo opes, nec tam poſſidendas, quam diſpenſandas accepit.

Hæc Eccleſia ut unica eſt, ita etiam ſingulis Principibus Chriſtianis in univerſum & in ſolidum commendata atque commiſſa eſt. Quia enim uni alicui univerſam committere, lubricum erat, ſingulis vero ſingulas ejus partes, ab ejus unitate plane alienum: univerſam ſingulis, ſingulas ejus partes univerſis commiſit Deus. Nec vero ut propugnent eam tantum, verum etiam, ut, quantum poſſint, propagandam curent. Itaque ſi unam ejus partem, Germanicam forte, aut Anglicam, princeps regionis illius curet, alteram vero oppreſſam, ſi opem ferre poſſit, deſerat & negligat, Eccleſiam deſeruiſſe cenſetur: cum ſane ſponſa Chriſti unica ſit, quam, ne uſquam violetur, corrumpaturve, omnibus viribus protegere ac tueri debat. Hujus univerſæ inſtaurationem ut privati quique genibus flexis, ita magiſtratus, pedibus manibus, totis, inquam, viribus promovere tenentur. Neque non alia eſt Eccleſia Epheſina, alia Coloſſenſis, & cæteræ, ſed ſingulæ illæ univerſæ Eccleſiæ partes ſunt: univerſa vero regnum Chriſti eſt, quod omnes privati optare debét: reges vero, principes, magiſtratus, amplificare, dilatare, propugnare & propagare ubique, & adverſus quoſcunque tenentur. Propterea apud Iudæos unicum templum erat, à Salomone extructũ, quod unitatem Eccleſiæ repræſentabat. Ridiculus vero & plectendus foret ædituus, qui

partem aliquam ſartam tectam curaret, cæteras complui pateretur. Conſimiliter reges Chriſtiani omnes, cum inaugurantur, gladium tuendæ nominatim Catholicæ ſeu univerſæ Eccleſiæ accipiunt, quo in manum accepto, omnes plagas Orbis deſignant, inque orientem, occaſum, meridiem, ſeptentriones eum vibrant, ne ulla ejus pars excepta cenſeatur. Cum vero Eccleſiæ protectionem eo ritu ſuſcipiunt, veram procul dubio intelligunt, non falſam. Itaque ei, quam veram & puram eſſe profitentur, in integrum reſtituendæ operam ſuam præſtare debent. Ita vero à piis principibus obſervatum fuiſſe, exempla docere poſſunt. Tempore Ezechiæ regis Iuda, jam pridem mancipatum erat regnum Iſrael regi Aſſyriorum nimirum inde ab Oſea Rege. Itaque ſi ea Eccleſia Dei tantum, quæ in regno Iuda erat, non etiam univerſa Ezechiæ commiſſa fuiſſet: ſi, inquam, eodem modo cuſtodiendi fuiſſent limites agrorum in Eccleſia defendenda, ac in tributo forte imperando: Ezechias proculdubio, ea præſertim tempeſtate, qua Aſſyrii orbis imperio potiebantur, ſeſe continuiſſet. At videmus, eum invitaſſe per veredarios univerſum Iſraelem, ſubditos, inquam, regis Aſſyrii, ad Paſcha celebrandum in Ieruſalem, quin & pios in Iſraele, in diruendis excelſis ſuis, in ditionibus nimirum Ephraim & Manaſſe & cæteris, quæ Aſſyriis parebant, adjuviſſe. Sic etiam legimus Ioſiam regem, in primis pium, non regnum ſuum modo, verum & Iſraeliticum, regi tum Aſſyriorum plane addictum, cultu idolorum repurgaſſe. Nimirum ubi Dei gloria, ubi Chriſti regnum agitur, nulli limites, nulli fines, nulli cancelli, piorum principum zelum arcere debent. Sin vis forte major immineat, recordentur horum exemplo, qui vere Dominũ timent, neminem metuere poſſe. Hæc piorum prin-

2 Chronic. c. 31.

2. Reg. c. 22.

2 Chronic. 34. 7. 6. & 35.

principum exempla ex quo Eccleſia, quæ prius Palæſtina circumſcribebatur, per univerſum orbem diffuſa fuit, Chriſtiani Principes multi inſequuti ſunt. Erant Conſtantini & Licinius imperatores ambo: ille Orientis, hic Occidentis. Erant & collegæ pari poteſtate præditi. Notum vero eſt, quod vulgo dicitur: *Parem in parem non habere imperium.* Nihilominus tamen Conſtantinus Licinium Chriſtianos, in iiſque nobiles pleroſque religionis ſive cauſa, ſive prætextu, relegantem, divexantem, contrucidantem, bello petit, religionis liberum cultum Chriſtianis vi impetrat: fidem deniquefrangentem, & ad priſtinam ſævitiam revertentem Theſſalonicæ morte mulctari jubet. Conſtantinus, inquam, ille Magnus, cujus uſque adeo pietas ab omnibus illius ſeculi Theologis celebratur, ut de eo quidam dictum velint, quod eſt apud Eſaiam Prophetam: *Reges Eccleſiæ nutricios & paſtores futuros.* Eo mortuo, diviſum fuit Romanum imperium inter filios, æquo jure, nulla cuiquam adjuncta prærogativa: ex his Conſtans Orthodoxos, Conſtantius natu major Arrianos fovebat. Et hic quidem Athanaſium Arrianorum hoſtem, Alexandria expulerat. Certe ſi limitum ulla ratio haberi debuit, inter fratres debuit. Interim tamen minatur ille fratri, ni Athanaſium reſtituat, ut facere paratus, ni quam primum eum hic in integrum reſtituiſſet. Quod ſi vero unius epiſcopi reſtituendi cauſa hæc facere non dubitavit: an non multo æquius, cum pars populi aliquanta opprimitur, cum auxilium implorat, Optimatibuſque auctoribus, religionem ſuam tueri cupit? Sic & Theodoſius, Attico epiſcopo ſuadente, adverſus Choſroem Perſarum regem bellum ſuſcepit, ut Chriſtianis religionis cauſa vexatis ſuccurreret, etſi ii privati vere erant. *Sozo. lib. 7. c. 18.*

Quod ſane juſtiſſimi illi principes, qui tot leges ſanxerunt, quique tantam juris curam habuerunt, minime feciſſent, ſi eo facto alienos fines & jura gentium violari judicaſſent. Quorſum vero tot expeditiones principum Chriſtianorum in Syriam adverſus Saracenos, quorſum toties imperatæ decimæ ille Saladinides, quorſum tot bella ſocialia adverſus Turcas, tot adverſus eoſdem indictæ cruciatæ, ſi quibuſuis Chriſtianis principibus, etiam remotiſſimis, Eccleſiam Dei tyrannide, Chriſtianos captivos ſervitutis jugo liberare non licuit? Quibus vero argumentis impellebantur ad id bellum, quibus rationibus urgebantur, niſi, quod Eccleſia una eſſet, quod Chriſtus omnes omnino ad delectum undiquaque vocaret? quod communia pericula communibus armis depellenda eſſent? quæ omnia pariter huic noſtræ cauſæ plane conveniunt. Quod ſi vero licuit illis adverſus Mahometem, nec modo licuit, verum ut alacribus præmium, ita & ignavis & cunctatoribus pœna ſtatuta fuit: cur non & adverſus Chriſti hoſtem? Si, inquam, in Græcos Trojam noſtram obſidentes, cur non & in Sinonem incendiarium? Denique ſi Chriſtianos ſervitute corporea (neminem enim cogunt Turcæ) liberare pium fuit; an non multo magis miſerorum animas manumittere, inque libertatem reſtituere? Et hæc quidem tot piorum principum exempla, legis inſtar eſſe poſſunt. Verum quid Deus ipſe per os Prophetarum in eos qui Eccleſiæ inſtaurationem non promoveant, aut afflictionem negligant, paſſim decernat, audiendum eſt. Gaditæ, Rubenitæ, & dimidia tribus Manaſſe, petunt à Moſe ſuam ſibi ſuiſque familiis portionem tribui cis Iordanem. Et Moſes quidem tribuit: verũ ea lege atque conditione, ut Fratres, cæteros, inquam, Iſraelitas, in conſequenda terra Chanaan

Num. 32. *Ioſue. cap.* 4. 7, 12. *Deut. ca.* 3. v. 20.

naan non adjuvent modo: verum, quia primi portionem obtinuerunt, præcedant eos, & in prima acie ſint collocati. Sin minus, eoſdé diris devovet, anathemate percutit, atque iis comparat, qui ad Cadesbarne rebelles judicati fuerant. Quid enim? ait. Fratres veſtri belligerabuntur, vos vero interea hic quieſcetis? Quin potius trajicietis Iordanem, nec prius huc ad penates veſtros regrediemini, quam Deus hoſtes ſuos expulerit à facie ſua; requiéque fratribus veſtris, non ſecus ac vobis, conceſſerit. Tum demum vero innocentes eritis coram Domino & Iſraele: nimirum quos primos tanto beneficio dignatus eſt Deus optimus maximus, ni fratres adiuvent, ni laborum ſocii ſint, ni præcedant, graviſſimæ pœnæ proculdubio manent. Conſimiliter cum Debora duce, Nephthalitæ & Zabulonenſes in Iabinum tyrannum arma cepiſſent, ac interim tribus Ruben, quæ prima in armis eſſe debuerat, ſeſe fiſtula inter gregũ paſcua oblectaret, Galaad intermedio amne ſeſe tutum putaret: Dan maris imperium jactaret: Aſſur denique montium aſperitate confideret, Spiritu Dei per Propheti ſſam loquéte, diſertiſſime omnes damnantur. *Maledicite Merez,* ait Angelus Domini, *diris devovete habitatores ejus, quia non venerunt in auxilium Domini cum ſtrenuis.* At benedicta Iahe uxor Heberi Cinæi, quæ (licet fœdus cum gentibus cauſari potuiſſet) Siſaram nihilominus ipſum hoſtilis exercitus ducem confodit: itaque pie Vrias: *Arca,* inquit, *Iſrael, Iuda, habitant ſub tentoriis ſub pellibus degunt, noctem ſæpe inſomnem ſub dio tranſigunt: ego vero cum uxore epulabor, genio indulgebo, deliciabor? Vivit Deus nunquam hoc faciam.* Impie contra principes Iſrael, qui mõtium Samariæ difficultate, Sioniſque munitione freti, luxu diffluunt, convivantur, comeſſantur, in eburneis lectis dormiunt, capilliti-

Iud. 5.

2 *Sam. cap.* I. *v.* II.

Amos 6.

um perungunt. Interea vero Ioſephum contritum, cruciatum, mire vexatum deſpiciunt, nec ejus afflictione ullo modo commoventur. *Propterea vero*, ait Deus exercituum, *ſuperbiam domus Iacob odi, magnificas ipſius ædes deteſtor. Iuravi per animam meam: Tradam civitatem, & circuitum ejus.* Qui vero tantopere luxuriabantur, in tranſmigratione mox primi erant. Impie quoque Ephraimitæ, qui Gedeoni & Iephtæ victoriam adeptis & triumphantibus non modo non gratulantur, verum invident: quos tamen periclitantes deſeruerant. Item Iſraelitæ, qui Davide re-

Iud. 8. & 12. rum potito, exclamant: *En caro tua, & oſſa tua ſumus nos*: qui prius, eodem in angu-

2. *Sam.* c. 5. ſtias redacto, dicebant: *Non eſt nobis pars in Davide, non in filio Iſai.* Impie Chriſtiani illi nomine tenus omnes, qui ſacris Eccleſiæ epulis communicare volunt, calicem amaritudinis cum fratribus ne deguſtant quidem; qui ſalutem in Eccleſia quærunt, ſalutem & incolumitatem Eccleſiæ & membrorum ſuorum non curant. Denique unum Patrem Deum; nam familiam Eccleſiam agnoſcunt, unum ſe in Chriſto corpus eſſe profitentur: neque tamen aut Chriſto in membris affecto opem ferunt, aut inopi opes ſuas impertiun-

Num. 31. tur. Quam vero ejus impietatis pœnam futuram putamus? Moſes comparat deſertores fratrum, rebellibus Cadesbarne. Horum vero nemo, ita decernente Deo, terram Chanaan ingreſſus eſt. Ne ullam itaque in Chanaan cœleſti ſibi ſedem quærant, qui Chriſto miſerrime cruciato, ac millies quotidie morienti, opemque illorum oſtiatim quaſi imploranti non ſubveniunt. Chriſtus ipſe æterno igni damnat eos, qui ipſum peregrinantem non exceperunt, frigentem non foverunt, nudum non veſtierunt, inopem non juverunt, captivum non liberarunt. Ignem ita-

taque æternum paratum ſibi ſciant oportet, qui quotidie talia patientem, ſurda aure prætereunt, quantumvis magna interim miracula edere videantur: & adeo quidem, ut quibuſuis infidelibus tolerabilius, quam illis futurum ſit. Quid enim? Iudæine proprie, Scribæ, inquam, & Phariſæi, Chriſtum crucifigunt, Ethnicine, Turcæ, Chriſtiani denique quidam in membris ſuis perſequuntur, cruciant, divexant? Minime ſanè Iudæi impoſtorem, Ethnici maleficum, Turcæ infidelem, alii hæreticum credunt & profitentur. Itaque ſi mentem illorum omnium ſpectes, è qua vulgo crimen metimur, noxios illi omnes, impios & pœnam meritos perſequi, Chriſtum proprie occidere non videntur. At vere perſequuntur, vere occidunt ii tantum, qui quem Meſſiam, Redemptorem, Deum profitentur, in ſuis membris torqueri ac crucifigi, cum impedire poſſint, ultro patiuntur. In ſumma qui quem neci eripere poteſt, non eripit, æque tenetur, ac qui occidit. Quia n. noluit opem ferre: voluit occidi. In crimine vero voluntas ipſa ſpectari debet. At certe eo gravius eſt Chriſtianorum præſertim Principum qui Religionis cauſa vexatis opem non ferunt, homicidium, quo plures, quos liberare poſſent, interficiunt: & quo fratrem quam quemlibet, interficere, ſceleratius eſt. Atrocius, quam ipſorum Tyrannorum ſcelus: quo virum bonum, juſtum, pium, innocentem, quam latronem, impoſtorem, magum, hæreticum interficere: quo Deum quam quemlibet hominé petere, flagitioſius eſt, quo denique perfidia in pari facto ignorantiã ſuperat. *Aug. in Pſal. 82. Amb. l. 1. de Off. Gratiam. in Decr.*

An vero de iis, qui tyrannide oppreſſis rẽpublicam adverſus tyrannidem defendentib. non opem ferunt, idem ſtatuere licebit? cum non tam arctæ neceſſitudinis, non tam arcti fœderis ratio habeatur: cum, inquam, non de

Eccleſia quæ una omnium eſt. quæ una univerſaque ſingulis commiſſa eſt: ſed de Republica, quæ alia aliorum eſſe poteſt, alia aliis ſigillatim commendata eſt, hic agatur? Proximus eſt, ait Chriſtus, non Iudæus Iudæo tantum, ſed Samaritano & cuivis homini. Proximum autem debemus, ut nos ipſos, amare. Itaque non Iudæus Iudæum tantum, ſed & quemlibet peregrinum etiam & ignotum, latroni, ſi poſſit, eripere tenetur ſi officio ſuo ſatisfacere velit. Nec diſputabit quiſquam, an liceat alium defendere, qui ſeipſum tueri juſtum judicabit: cum ſane alium, quam ſemetipſum, defendere eo juſtius ſit, quo quæ mera charitas, quam quæ aut ira, aut vindicta, aut alia animi perturbatio facit, juſtiora exiſtunt & in propriis injuriis ulciſcendis, nemo modum teneat: in alienis, licet gravioribus immoderatiſſimi quique modum tenere poſſint. Verum, eſt quod ab Ethnicis ipſis diſcamus, quid à nobis humana ſocietas hac in re, quidque communis omnium natura requirat. Quia, ait Cicero, una omnium hominum natura eſt, hoc vel natura ipſa præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam tamen cauſam, quod homo ſit, conſultum velit. Sin minus, omnis humana conſociatio diſſolvatur, neceſſe eſt. Itaque ut juſtitiæ duo fundamenta ſunt: primum ne cui noceatur: deinde, ut omnium, ſi fieri poſſit, utilitati ſerviatur, ita & injuſtitiæ duo genera ſunt: unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſunt, non propulſant injuriam. Nam qui injuſte in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus violenter videtur afferre ſocio: qui autem non defendit, nec obſiſtit ſi poteſt, injuriæ tam eſt in vitio, quam ſi aut parentes aut amicos aut patriam deſerat: ita quod ille facit, ita facere judicatur,

judicatur, quæ furor brevis cenſetur: quod hic, mala mens vere & malus animus, qui tyrannus perpetuus eſt. Et illius furor utcunque, hujus deſtinatum conſilium nulla ratione excuſari queat. Dices; Vereor, ne dum ab illo injuriam depello, huic faciam injuriam. Imo vero juſtitiæ prætextu injuſtitiam tuam tegere vis: cum ſi te ipſe conſulas, non te juſtitia, ut officium deſeras, ſed quævis alia cauſa potius moveat. Etenim, ut ait ille alio loco, aut inimicitias, aut laborem, aut ſumptus ſuſcipere non vis, aut etiam negligentia, pigritia, inertia aut tuis ſtudiis, quibuſdamve occupationibus ſic impediris, ut eos quos tutari debeas, deſertos eſſe patiaris. Dum vero tuum te negotium agere dicis, ne cuiquam facere videaris injuriam, in alterum injuſtitiæ genus incurris. Deſeris enim vitæ ſocietatem: quia nil confers in eam ſtudii, nil operæ, nil facultatum. Hæc Ethnici philoſophi & Politici, pie ſane magis, quam multi hoc ſeculo Chriſtiani. Hinc vicinus ni domino ſævienti ſervum eripiat, legib. Romanorum tenetur. Apud Ægyptios vero qui obiter hominem à latronibus cædi, aut quamlibet injuriam pati comperiſſet, neque ſubveniſſet, ſi potuiſſet, mortis erat reus: ſin minus, latrones coram magiſtratu accuſare tenebatur? Quod ſi neglexiſſet, plagis ad certum numerum, triduanoq; jejunio plectebatur. Quod ſi id vero vicino in vicinum jure licet; imo ex officio incumbit, ſi obuio cuique in latronem, an nõ multo magis licebit bono principi, non ſervis quidem adverſus ſævientẽ dominum, aut filiis adverſus furentem patrem: ſed regno adverſus tyrannum: Reipubl adverſus privatam unius libidinem, populo, domino, inquam adverſus ſervum & actorem publicum, opem ferre & patrocinari? imo vero ſi neglexerit, an non ut ille latronis hic tyranni no-

Diod. Sicul. li. 2. cap. 2.

Thucydides lib.2. mé pœnaſq; merebitur? Hinc Thucydides, *non ii modo,* ait, *tyranni ſunt, qui alios in ſervitutẽ redigunt, verũ longe potius ii, qui cum eam violentiam reprimere poſsint, non curant, inprimis vero, qui defenſores Græciæ & communis patriæ vocitari volũt: patriæ vero oppreſſæ non opitulãtur*, & recte. Tyrannus enimquam violenter invadit tyrannidem, violenter retinere quodammodo cogitur. Quia lupum, ut dicebat Tyberius, auribus tenere ſibi videtur, quem neque abſque vi retinere, neque abſque periculo dimittere poteſt. Itaque crimen crimine ut extinguat, multa ſcelera patrat, ac aliis injuriam inferre cogitur, ne ſibi ipſe injurioſus ſit. Hic vero princeps, qui tyranni ſcelera, innocentumque cædem, quæ impedire poteſt, otioſus ſpectat, quia ex eo quaſi gladiatorio ludo voluptatem captat, tanto tyranno criminoſior eſt, quanto qui gladiatores committit, ipſo homicida gladiatore, quanto qui voluptatis cauſa, eo qui metu neceſſitateve coactus, hominem interficit. Si opponunt quidam: *Verum culpa eſt, ei aliena ſeſe immiſcere:* reſpondeat Terentianus Chremes. *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.*

Pomp. de reg. jur. le. 39. Si quod alii, ut latebras impietati quærant, diſtinctos eſſe limites, diſtinctas jurisdictiones: in alienam vero meſſem falcem injicere non licere: nec ego ſane conſulo, ut eo prætextu fines alienos invadas, juriſdictionem alterius ad te rapias, meſſem vicini in aream tuam traducas, quod plerique eo prætextu faciunt. Non, inquam, ut arbitri illius exemplo, de quo Cicero, rem controverſam tibi ipſe adjudices. Quin potius principem regnum Chriſti invadentem coerceas, tyrannum intra limites ſuos contineas, populo afflicto, reipublicæ proſtratæ, manum auxiliarem porrigas. Ita vero id præſtes, ut non tuæ utili-

utilitati, ſed humanæ ſocietati omnino conſulas. Cum enim juſtitia tota foras ſpectet, injuſtitia ſui tantum rationem habeat: juſte demum id feceris, ſi commodorum tuorum rationem ullam habueris. Breviter, ſi princeps fixos pietatis & juſtitiæ limites violenter tranſſilit, poterit vicinus pie juſteque extra limites ſuos proſilire, non ut invadat aliena, ſed ut ſuis illum conventum eſſe jubeat: quin impius & injuſtus erit, ſi negligat. Si princeps in populum tyrannidem exerceat, non minus aut ſegnius illi opem feret, quam illi ſi populus ſeditionem moveat: imo eo promptius debebit, quo plures, quam unum pati, miſerabilius eſt. Si Porſena Tarquinium Superbum Romam reducat, multo æquius Conſtantinus à populo ſenatuque Romano accerſitus, Maxentium Tyrannum urbe expellit. Denique ſi homo homini lupus ſiat, quin & homo homini Deus, ut eſt in proverbio, eſſe poſſit, nil plane vetat. Itaque Herculem in deorum numerum retulit Antiquitas, quod Procruſtem, Buſyridem, & alios tyrannos, humani generis peſtes orbiſque monſtra ubique terrarum puniret & domaret. Sic & imperium Romanum quamdiu liberum ſtetit, Orbis terræ adverſus tyrannorum latrocinia patrocinium vocitabatur: quia regum, populorum, nationum portus & refugium erat Senatus. Sic Conſtantinus à Romanis in Maxentium tyrannum accerſitus, ducem exercitus Deum habuit, cujus expeditionem univerſa Eccleſia miris, laudibus extulit, cum tamen eandem haberet auctoritatẽ Maxentius in Occidente, quam in Oriente Conſtantinus. Carolus Magnus quoque in Longobardos bellum ſuſcepit à Patriciis Italiæ in auxilium vocatus, cum tam & Longobardorum regnum jam pridem ſtabilitum eſſet, & nihil ipſe juris in illos ſibi vendicare poſſet.

Conſimiliter cum Carolus Calvus rex Francorum præſidem ejus regionis, quæ Sequanam & Ligerim amnes interiacet, Lambertum ducem & Iamætium per tyrannidem de medio ſuſtuliſſet, ac cæteri Galliæ optimates ad Ludovicum Germaniæ Regem, Caroli ex-alia matrę fratrem, confugiſſent, auxilium in Calvum ejuſque matrem Iuditham, ſceleratiſſimam fœminam petituri: is in ampliſſimo principum Germaniæ cœtu ſupplices audivit, quorum unanimi conſilio, reſtituendis exulibns, bellum in Calvum publice decretum fuit. Denique ut tyranni ubique locorum extiterunt aliqui: ita & apud omnes Hiſtoriographos vindicatæ per Principes vicinos tyrannidis, defenſique populi exempla paſſim extant, quæ Principes hodierni, in tyrannis tum corporum, tum animæ, tum Reipublicæ, tum Eccleſiæ Chriſti, coercendis, imitari debent, ni ipſi tyranni meritiſſimo jure nominari velint.

Ac (ut tandem uno verbo hunc tractatum concludamus) jubet pietas, legem Dei cuſtodiri, Eccleſiamque tueri: juſtitia tyrannos, juris reique publicæ everſores, coercere: charitas, oppreſſis ſuccurrere, manumq; adjutricem præbere. Qui vero hæc tollunt; pietatem, juſtitiam, charitatem de medio tollere & extinguere omnino volunt.

FINIS.

ALDI-

ALPHONSVS MENESIVS
BENAVIDES, Tarraconenſis,
Galliam alloquitur.

Gallia, quid ſævo toties fremis horrida motu
Relligio ſanctas ſles laniata comas?
Cur populus bello regem populumque viciſsim
Rex petit? indigno terra cruore rubet?
Cur fratrem frater lacerat? cur viſcera civis
In ſua crudeles ipſe acuit gladios?
Vnde animis novus iſte furor? quæ tanta libido,
Sanguine cognato commaculare manus?
Scilicet, ut quondam, ſtabulis emiſſus Iberis,
Prata, per & campos, & juga fertur equus,
Aut ratis in ſcopulos errat peritura latentes,
Nullus ubi celſa puppi magiſter adeſt:
Haud aliter, legem populo dum frena relaxas.
Dum Regi ſolvis vincula, tota ruis.
At, populum & regem ſolitis tu ſiſte lupatis,
Ilicet antiquus reſtituetur honos.
Si ponas illi leges, hic ſervet eaſdem
Atolles ſurſum, Gallia læta caput.
Tu modo ne monitis aures præbere recuſa,
Divino Brutus quæ pius ore canit.
Candida pax primum coeat, Concordia ſurgat,
Fœdere ſacrorum conſocianda tibi:
Bis ſeni, ut ſolitũ, Proceres moderentur habenas.
Quos Patriæ patres dicitis, atque Pares:
Quis olim ducibus Rex atque auctoribus uſus,
Arma foris rexit templa, forumq́; domi.
Moribus antiquis, Regni Conventus agatur
Legitimus Statuum nomine Tergeminum.
Hoc Regum indomitos freno diſtringere greſſus,
His placeat loris colla ſuperba regi.
Nam ſi nec leges, nec publica commoda rerum,
Vnius arbitrio cuncta licere ſinunt:
Quis novus hic mos eſt? quæ tãta licẽtia? Gallus
Cur Princeps legum vincula nulla ferat.
Non licuit Regi, jus, vectigalia cenſum,
Aut pacem, aut forti bella gerenda manu,
Connubij aut tæda, nova vel decernere facta,
Ni populus, veteri more, juberet idem.

Ah?

DE IURE MAGISTRATUUM IN SUBDITOS, ET òfficio Subditorum erga magiſtratus.

TRACTATUS BREVIS ET Perſpicuus his turbulentis temporibus, utrique ordini apprime neceſſarius.

Ad Reges & Principes paræneſis Davidis.

Pſalm 2.

Servite Iehovæ in timore & exultate in tremore Oſculamini filium, ne forte iraſcatur & percatis in via, cum exarſerit furor eius.

Ad Subditos.

1. Petr. 2. 13.

Proinde ſubjecti eſtote cuilibet humanæ ordinationi propter Dominum.

DE IVRE MAGISTRATVVM IN SVBDITOS ET officio ſubditorum erga magiſtratus.

QVÆST. I.

SOLA unius Dei opt. max. voluntas cum perpetua ſit & immutabilis omnis Iuſtitiæ regula, illi ſine exceptione parendum eſſe dicimus. Quod vero ad obedientiam Principibus debitam attinet, utique ſi ex Dei ore perpetuo imperarent: tanquam Deo illis quoque ſemper & ſine exceptione obediendum eſſet. At cum plerunque contrarium illis eveniat, addenda eſt ad illam hæc conditio, *dum nihil vel impium, vel iniquum præcipiant.* Impia mandata voco, ſive irreligioſa, quæ aut ea jubent quæ Deus in prima Legis ſuæ tabula vetat, aut ea vetant quæ in illa Deus præcepit. Iniqua vero præcepta dico, quibus id fieri inhibetur, vel non fieri jubetur; quod quiſque pro ſua vocatione, aut publica, aut privata proximo ex charitate debet.

Hoc porro tum rationibus tum manifeſtis exemplis probare non erit difficile. Ait Dominus per Eſaiam Prophetam, *Gloriam meam alteri non dabo.* Quamvis autem non ita perſpicue Dominus locutus eſſet, re ipſa tamen conſtat non poſſe ſine ſcelere edicta ex ſolo hominum arbitrio manantia, iis exæquari quæ Deus ipſe mandavit. At par eſſet, æqualiſque Dei & hominum auctoritas, ſi hominibus perinde ac Deo, ſine exceptione parere ſemper eſſet neceſſe. Addo etiam quoties DEI juſſa hominum mandatis poſtponuntur, toties homines ſupra DEI thronum evehi. Iam ad exempla veniamus.

Humana mandata divinis æquiparari ſine Dei injuria nõ poſſe.
Exod. 1.21

Phara-

Pharaonis edictum de occidendis omnibus pueris maſculis Hebræorum, iniquum erat, eique merito obſtetrices parere recuſarunt, quarum domibus ſeu familiis idcirco Deus benedixit. Nabuchadnezaris autem de ſtatua aurea adoranda edictum, plane impium & irreligioſum fuit: Et ideo Danielis ſocii illi obtemperare nolentes, pietatis & conſtantiæ ſuæ Deum approbatorem, idque manifeſto miraculo, habuerunt. Mandatum autem Ieſabelis de occidendis Dei prophetis & impium,& ſibi iniquum fuit: pie ergo fecit Abdias, qui illos non modo non occidit, ſed vivos & occultavit & aluit. Cum porro Antiochus juberet Idolis ſacriſicia offerri, ſacroſanctas ceremonias violari, & divina ſcripta Prophetarum, legiſque igne comburi: ſancte tandem illius furori, qui reliqui erant fideles Duce Mathathia ſeſe oppoſuerunt, Principes etiam ſacerdotum & ſummum ſcribarum conſilium cum Euangelii prædicationem ſuis minis prohibere conarentur: tantum abeſt, ut illis Chriſtus, aut poſt eum Apoſtoli, morem geſſerint, ut ille quidem ſæpe publice in templo illis inuitis concionaretur: Hi vero aperte reſponderint, *ſe malle Deo obſequi quam hominibus.* Quorum exemplũ conſtantiſſime poſtea ſancti Martyres ſunt ſecuti. Itaque rurſus infero, magiſtratuum omnium auctoritatem (quantumuis magna potentia & imperio ſint præditi) duabus hiſce metis à Deo ipſo poſitis veluti ſeptis concludi, Pietate ſcilicet & Charitate: Quas ſi tranſilire ipſis contigerit meminiſſe juvabit Apoſtolici illius dicti, *præſtat Deo quam hominibus obedire:* ne vel ex eorum ſimus caterua quibus Dominus per Michæam maledicit, quod impiis regis ſui mandatis obediiſſent: vel perverſa eorum exempla imitemur, qui immaniſſimos etiam tyrannos tanquam Deos

Mandatum iniquũ Mandatum impium.

Dan. 3.

Ioan. 9. 12.

Pietas & charitas humanæ obedientiæ meta.

Mich. 6. 16.

Deos adorarunt. Dei & titulos & effecta illis tribuentes. Quod de Domitiano præcipue teſtatur impurus ille Poeta Martialis, quum ſcribere auſus eſt.

Edictum Domini Deique noſtri.

Vtinam vero hoc noſtro ſeculo non inveniantur qui ab adulatione ejuſmodi haud longe abſint.

QVAEST. II.

Hoc vero jacto fundamento: Lubet etiam in quædã alia inquirere, quæ ad hoc argumẽtum pertinere videntur, ut multorum conſcientiis ſatis fiat. Primo autem quæritur, *num magiſtratus teneatur omniũ legum ſuarum cujvis rationem reddere, ut & æquas & pias eſſe comprobet?* Reſpondeo, non teneri: Quinimo æquum eſſe ut probi omnes ſubditi probe de dominis ſuis ſentiant, nihilque injuſti de illis aut præſumant aut ſuſpicentur: imo nec decere ut de rebus etiam dubiis nimis curioſe privati homines inquirant præter ſuum vel captum, vel conditionem. Si quorum tamen hæſitat conſciẽtia, poſſunt illi ac debent etiã (modeſte tamen & pacifice) ſcrutari quid rationis & juſtitiæ mandato inſit, quo aliquid facere vel jubentur vel inhibentur: ſtat enim firmum Apoſtoli dictum, *Quidquid fit ſine fide* (id eſt dubitante conſcientia juſte ne id fiat, an ſecus) *peccatum eſt.* Cæterum ſi aperte irreligioſum, aut iniquum eſt quod præcipitur: tum quæ ſupra dicta ſunt, locum habeant.

QVAEST. III.

Præterea quæritur, *quouſque hac ſententia de non obſervandis irreligioſis iniquiſue Magiſtratuum edictis, extendẽda ſit?* Hic reſpondeo: Vnicuique conſiderãdum quid ſua ferat conditio ac vocatio, ſive generalis ea ſit ac publica, ſive privata. Edicitne Magiſtratus, ut id agas,

agas, quod Deus prohibet? (quemadmodum Pharao Ægyptiacis obſtetricibus & Herodes ſuis ſatellitibus mandans ut bimulos omnes trucidarent) tum recto officio fungeris, ſi mandatum ejuſmodi non fueris executus. Sicut de clariſſimo Iuriſconſulto Papiniano legimus: qui etſi Chriſtianus non erat, maluit tamen à tyronno Caracalla occidi, quam fratricidium quod patrarat, vel probare, vel ſuo patrocinio defendere. Sin vero id Tyrannus vetat, quod Deus mandat, nequaquam te officio defunctum putes, ſi ſimpliciter obedire tyranno recuſaveris, niſi & Dei ſimul mandato obtemperes, ſicut Abdiam feciſſe diximus, qui non ſolum prophetas Dei non interemit, ſed etiam ſervavit & educavit, contra Achabi & Ieſabelis mandatum: quoniam ſcilicet jubet Dominus fratribus periclitantibus quantum pro ſua cuique vocatione licet, opem ferre. Sic & Apoſtoli, ut ſupra diximus, non ſolum non ceſſarunt ab Euangelii prædicatione ut ſacerdotibus obſequerentur: ſed contra conſtanter prædicarunt ubique, quoniam hoc mandatum expreſſe à Domino acceperant: *Ite & prædicate Euangelium omni creaturæ: &c.* Cum ergo hodie videmus pleroſque Magiſtratus ita faſcinatos ab Antichriſto Romano, ut ſeveriſſimis mandatis ſubditos execrando Miſſæ ſacrificio adeſſe cogant, piorum omnium officium requirit, non ſolum ut id non præſtent, verum etiam ut Eliæ ac Eliſæi totius denique veteris puræ & veræ Eccleſiæ exemplo, ſeſe piis cœtibus adjungant, ibi verbum Dei audiant, ſacramentiſque communicent, prout Chriſtus id fieri in Eccleſia præcepit. Idem quoque obſervare convenit in officiis, quæ homines hominibus tam jure divino quam naturæ debent, utpote liberi parentibus, uxor marito, paſtor gregi, & in ſumma proximus proximo. Ab iis enim nõ decet non

1. Reg. 18. 13.

Act. 5.

Matth. 28

nos ullis vel edictis, vel minis, vel etiam injuſtiſſimis pœnis, abſterreri, aut abduci: modo ne quicquam obedientiæ (quam inprimis Deo debemus, qui his omnibus major eſt) ex hujuſmodi præſtitis officiis, decedat.

QVÆSTIO IV.

Quomodo à Magiſtratu injuriam paſſus ſeſe adverſus illum tueri poſſit?

Hinc etiam quæri ſolet, *Quid bona conſcientia vir pius tum agere debeat, aut poſſit, quũ Magiſtratus ipſum quidem miniſtrum ſuæ iniquitatis non facit, ſed in illum ipſum injurius eſt?* Hæc quæſtio quia pluribus conſtat membris, diſtinctione habet. Si ergo Magiſtratus qui ſubdito injuriam intulit, alteri ſuperiori Magiſtratui ſubeſt, licebit per leges injuriam paſſo ad ſupremum Magiſtratum recurrere:
Act. 25. 16. ſicut Paulum feciſſe legimus, cum à Feſto Iudex præfecto ad Cæſarem provocavit, ut illius injuſtitiam declinaret. Verum qui privatæ ſunt conditionis ſubditi, duo hic potiſſimum obſervent: primum, ne quid niſi juridice experiantur. Deinde videant non ſolum quid liceat, ſed maxime quid expediat. Is ipſe enim Paulus, cum Philippus contra jus civium Romanorum virgis ignominioſe indicta cauſa per Magiſtratus impudentiam cæ-
Act. 16. ſus fuiſſet: judicans ſe ſua patientia Dei gloriam magis promoturum: jus ſuum ulterius proſecutus non eſt, ſed ſatis illi tum fuit, Magiſtratum injuſtiæ contra leges commiſſæ admonere.

At vero ſi contingat (quod nimis frequenter noſtro tempore uſuvenit) inferiorem Magiſtratum in alterum Magiſtratum inferiorem violenter aliquid moliri contra ſuperioris expreſſam voluntatem; tum certe dixerim licere læſo magiſtratui, tentatis prius omnibus legitimis & pacificis mediis, ſeſe legibus

gibus armare & juſtam defenſionem, injuſtæ violentiæ opponere, quemadmodum à Nehemia adverſus Sanabalatum & ipſius ſocios factitatum eſt.

Quid *ſi autem ſupremus Magiſtratus is eſt, à quo injuria proficiſcitur*? Dominus Ieſus & poſt eum omnes Martyres ſuo exemplo ſatis docuerunt, injurias patienter ferendas: & hæc ſumma eſt Chriſtianorum gloria, injuriam ab omnibus pati, nemini autem inferre. Quid igitur, dixerit quiſpiam, nihilne remedii ergo ſupereſt adverſus ſummum Magiſtratum ſua auctoritate & potentia abutentem, contra omnia jura tum divina tum humana? Supereſt ſane etiam à rebus humanis petitum. Hoc vero cum dico, nemo putet me vel fanaticis Anabaptiſtis, vel aliis ſeditioſis ac turbulentis hominibus favere velle, quos ego potius digniſſimos cenſeam omnium reliquorum hominum odio, & ſeveriſſimis etiam ſuppliciis. Verum enimvero dicendum mihi quod res eſt in hoc argumento: nec exiſtimandum eſt, eos qui docent quibus viis, ſalva conſcientia, manifeſtæ tyrannidi obſiſti poſſit, bonos & legitimos magiſtratus, vel ea ſpoliare auctoritate, qua à Deo donati ſunt, vel ſeditionibus viam ſternere. Quinimo certum eſt neque Magiſtratuum auctoritatem ſtabiliri, neque publicam tranquillitatem poſſe conſervari (qui tamen præcipuus finis eſt omnium bene conſtitutarum politiarum) niſi & ſtudioſe caveatur ne irrepat tyrannis, & ſi jam irrepſit, diligenter aut aboleatur, aut propulſetur. Quæritur ergo, an ſubditi juſto aliquo modo, ſine Dei offenſa manifeſtam tyrannidem ſummi Magiſtratus reprimere, vel etiam armis, ſi opus eſt, propulſare poſſint.

QVÆSTIO V.

An armis reprimi manifeſta tyrannis jure poſsit.

De Magiſtratuum origine. HAnc quæſtioné ut d'lucidius ſolvam, quędam mihi prius ponenda ſunt, tanquam totius quæſtionis baſes. Népe, Populos non à Magiſtratibus primũ dimanaſſe, ſed quicunq; vel ab uno Principe, vel ab electis à ſe primatibus regi voluerunt, eos antiquiores ſuis Magiſtratibꝰ fuiſſe. Vnde cõſequitur nõ populos propter Magiſtratum, ſed contra, Magiſtratus propter populũ fuiſſe creatos: ſicut tutor pupillo, non pupillꝰ tutori cõſtituitur: & paſtor ob gregem, non grex propter paſtoré. Id cum per ſe ſatis manifeſtum eſt, tum ex omniũ fere nationum hiſtoriis cõfirmari poteſt. Adeo ut
1. *Sam.* 10. 11. Deus ipſe etſi Saulé precibus populi elegiſſet, quem Samueli ſubſtitueret, voluerit tamen eũ populi ſuffragiis in Regem & creari & ſuſcipi. Sic David etſi Rex à Deo ipſo primum electus
2. *Sam.* 2. & 5. eſſet, noluit tamen Regni adminiſtrationé ſuſcipere, niſi prius & ſuffragiis & libero tribuũ Iſraeliticarum conſenſu confirmatus. Simili ratione factum eſt, ut poſtea etiã, quamvis regnum ex Dei cõſtitutione familiæ Davidis eſſet addictum, is demum tamen ex Davidis poſteris regnaret, quem populus approbaſſet, & non alius (niſi forte aliquid extra ordinem
a 1. *Paral.* 29. 22. accideret, quod impedimentum afferret, ut cũ modo Ægyptii, modo Syrii reges in populum
b 1. *Reg.* 12. 1. Dei tyrannidem exercebant) Adeo, ut hoc
c. 2. *Reg.* 11. 12. quidem regnum hæreditarium eſſet, ſi familiam ſpectes, ſed ſi perſonam, electivum id eſt,
d 2. *Paral.* 16. 1. ab electione populi pendens. Quod videre eſt
c. 2. *Par.* 36. 1. ex hiſtoriis *a* Salomonis, *b* Roboam, *c* Ioas, *d* Ozias & *e* Ioachaz. Vnde *f* Abſolon occaſio-
f 2. *Sam.* 15. 4. nem paterni regni uſurpandi captavit. Sic *g*
g 2 *Sam.* 16. 18. enim ei reſpondit Chuſai amicus Davidis, *Nequaquam, ſed quem elegerit Deus & populus iſte, nempe univerſus Iſrael, illius ero, & cũ illo ma-*

manebo. In ſumma: ſi libet veteres hiſtorias, à prophanis etiã ſcriptoribus literis mandatas, ſcrutari, conſtabit (id quod natura etiam ipſa alta voce acclamare videtur) Magiſtratus, quorũ auctoritate inferiores regerentur, ideo creatos: quod neceſſe eſſet vel totum humanum genus perire, vel medium aliquem ordinem conſtitui, quo unus pluresve reliquis imperarent, qui bonos tuerentur, improbos autem pœnis coercerent. Atque hoc eſt quod non ſolum ore Plato, Ariſtoteles & reliqui naturales philoſophi (ſola rationis humanæ luce inſtructi) & docuerunt & probarunt: verum etiam Deus ipſe, Pauli ad Romanos, totius fere mundi dominos ſcribentis, claris verbis confirmavit. *Rom.* 13.5 En quæ ſit omnium tum Rerump. tum Poteſtatum origo, à Deo omnis boni auctore optima ratione repetita, Quod & Homerus agnovit, & libere teſtatus eſt, *Reges Iovis alumnos & populi paſtores* appellans. Quid igitur obſtabit quin de Magiſtratuum, maxime ſupremorum poteſtate ſermonem inſtituentes ad primam illam originem, ex qua fluxerunt, tranſcendamus, & ad quem finem conſtituti fuerint conſideremus? Cum certiſſimum ſit omnem de rebus juſtis, vel injuſtis diſputationem à fine & ordiendam & finiendam. Tum enim recte & ordine aliquid factum cenſendum eſt, cum ad eum finem pertingit, ad quem deſtinatum fuerat.

Cum igitur de Magiſtratuum officio quæritur, fatebuntur omnes, fas quidem eſſe illos & officii admonere, & libere quoque quoties ab eo deflectunt, reprehẽdere. At vero ubi agitur de manifeſtiſſimis tyrannis, vel cohibẽdis vel pro ipſorum merito plectendis, tum plerique adeo patientiam, & preces ad Deum commendãt, ut pro ſeditioſis, & pſeudochriſtianis habeant, & damnent: quotquot cervices ſuas ad carnificinam non ſubmittant. Locus hic ſane

lubricus

lubricus eſt, ideo rurſus lectores obſecro meminerint eorum quæ proxime à me dicta ſunt, ne ex iis quæ deinceps dicenda erunt malas nectant conſecutiones. Probatur quidem mihi maxime Chriſtiana patientia, ut præ ceteris omnibus virtutibus laudabilis, & nunquam ſatis commendata, ad quam fateor ſtudioſe homines eſſe adhortandos, quia plurimum ad conſequendam æternam beatitudinem habeat momenti: ſeditiones, & omnem confuſionem ceu immania monſtra deteſtor: in afflictionibus præſertim, ab uno Deo pendendum eſſe cenſeo: preces cum ſeria reſipiſcentia conjunctas, agnoſco neceſſaria & vera eſſe remedia ad profligandam tyrannidem, quandoquidem malum hoc inter flagella à Deo immiſſa ad populum caſtigandum merito connumeratur. Sed nego hæc omnia obſtare, quo minus liceat populus manifeſta tyrannide oppreſſis, ſimul cum precibus & pœnitentia aliis juſtis adverſus illam remediis ſeſe tueri: idque firmiſſimis hiſce rationibus nixus confirmo.

His poſitis quæ ſupra de origine Regum & aliorum Magiſtratuum probata ſunt, conſequitur non eſſe Reges legitimos, eos qui vi vel fraude eam poteſtatem uſurpant, quæ nullo jure ad ipſos pertineat. Duo ſunt vero ejuſmodi Tyrannorum genera? alii enim in concives ſuos dominationem uſurpant contra leges poſitas & receptas, ſicut Iulius Cæſar ſub ficto Dictatoris perpetui titulo, Romanam Rempubl. invaſit: & multi alii Tyranni, in Græcia præſertim, patriæ ſuæ libertatem oppreſſerunt. Alii autem non contenti ea, qua jure in ſuos potiuntur dominatione, ſuas ditiones cum diſpendio libertatis vicinorum ſuorum dilatant, & limitibus ampliant, qua ratione Monarchiæ jam à mundi initio in tantam pervenerunt amplitudinem: cujus

eujus rei nobis ſacræ literæ exemplũ in Nimbrotho exhibent: ſicut etiam hac via videmus Iſraelitas plerunque à vicinis populis oppreſſos fuiſſe. Itaque cum Tyranni illi nihil juris haberent in Dei populum, Iſraelitis dico licuiſſe non ſolum edictis irreligioſis harum nationum non parere, ſed etiam juſtam defenſionem, illorum iniquæ violentiæ opponere: Ideoque præfectos tribuum graviter peccaſſe, quoties conjunctis animis & viribus peregrino hoſti pro patria libertate non occurrerunt, ſiquidem obſiſtendi facultas illi daretur: conſtat enim etiam privatos homines jure tam divino, quam humano, teneri, laboranti & oppreſſæ patriæ ſuæ totis viribus ſuccurrere, præſertim vero cum & de Religione, & ſimul de libertate periclitatur. Verum eſt. n. quod pirata ille captiuus ad Alexandrũ ductus dicere auſus eſt: *Nihil differe ſe ab illo, niſi quod ille magna navium copia mundum deprædaretur, ipſe autem unica navicula.* His nõ adverſatur, quodquidam ſolent objicere: à Deo ſcilicet, transferri & permutari regna ac imperia: ideoque ſæpeTyrannos potiri victoria, Deo annuente. Abſit enim ut propterea velLucani ſententiæ ſubſcribam, qui hoc modo, jus ſceleri datum fuiſſe, canere auſus eſt: vel Demoſthenis cauſam ut iniquam damnem, quod patriæ ſuæ libertatem adverſus Philippi Macedonis violentiam defendens, victus ſuccubuerit. Philippus autem victor evaſerit. Quibus exemplis ideo utor, non ut iis tanquam regulis piorum conſcientiæ nitantur, ſed quia & celebria ſunt & pleriſque notiſſima: atque etiam quod etſi hæc inter profanas gentes acciderint, non tamen uſque adeo ab æquitatis norma diſtent, ut merito dici non poſſit ab altera parte jus ſtetiſſe, ab altera injuſtitiam. Nec enim à ſolo eventu proſpero aut infelici (ut etiam Demoſthenes

Gen.10.18

Obiectio.

Solutio.

nes Æſchini adverſario ſuo: infelicem ipſi ſucceſſum Chærónenſis prælii exprobranti, reſpondit) judicandum cenſuerim, num juſte quid an injuſte ſuſceptum ſit. Nam (ut magis Chriſtiane loquamur) ſolet plerunque Deus vel hominum peccata ita ulciſci, vel ſuos eouſque experiri, ut ipſorum conſiliis quamuis per ſe bonis & juſtis longe alium exitum tribuat, quam ipſi cogitarint: ut videre eſt potiſſimum in eo bello quod reliquæ tribus Iſraeliticæ in Benjamitas geſſerunt. *Iud. 20.* At Deus interim non minus juſtus manet: quocunque inſtrumento ſua judicia exequatur: nec populi minus legitimam cauſam adverſus hoſtes tyrannos habuiſſe ſunt exiſtimandi, quia juſto aliquo Dei judicio proſtrati corruerint. Quamobrem probari mihi nunquam potuit eorum opinio, qui ſine diſcrimine aut exceptione ulla, omnes ſimul tyrannicidas uno calculo damnant, quibus olim Græci tam egregia præmia decernebant. Nec magis placet eorum ſententia, quibus pleræque liberationes in libro Iudicum notatæ, ita exoticæ videntur atque extraordinariæ, ut eas nullo modo in exemplum trahi poſſe putent. Nam utut verum ſit, illos populi Iſraelitici Iudices divino quodam ac extraordinario inſtinctu ad ea præclara facinora patranda commotos & excitatos fuiſſe, non tamen ſtatim conſequitur, ipſos Iſraelitas (vel magiſtratum gerentes, vel etiam privatos) non potuiſſe jure ordinario exterorum tyrannidem propulſare, qui à populo neque electi neque probari eſſet. Quod vero liberationes illæ per eos duntaxat acciderint, quos Deus extra ordinem excitavit, meæ ſententiæ non refragatur, ſed potius ſtuporem & fractum juſto Dei judicio Iſraelitarum animum, ob ſua ſcelera, coarguit. Vt igitur ea exempla recte ac jure imitari liceat, vera hæc media tenenda exiſtimo, nempe: ſi quis

Non omnes tyrannicidæ promiſcue damnandi.

ſi quis in alios injuſtam dominationem vel captet, vel jam uſurparit (ſive alienigena is ſit, ſive tanquam vipera ex patriæ viſceribus prorumpat, ut eam naſcendo interimat) tum privati homines ante omnia Magiſtratus ſuos legitimos adeant, ut, ſi fieri poteſt, publicus hoſtis publica auctoritate, & communi omnium conſenſu depellatur. Sin autem magiſtratus vel conniveat, vel alioqui officium præſtare recuſet, tunc privatus quiſque legitimum patriæ ſuæ (cui, poſt Deum, totum ſe debet) ſtatum tueri pro viribus ſatagat, adverſus eum qui legitimus magiſtratus cenſeri non poteſt, cum eam dignitatem contra res publicas, vel jam uſurparit, vel uſurpare tentet.

Hic porro animadvertendum eſt, vitium quod ab initio uſurpationi inerat, poſſe poſtea emendari, adeo ut qui ab initio Tyrannus fuit, poſſit legitimus & inviolabilis Magiſtratus effici, ſi videlicet poſtea liber & legitimus acceſſerit eorum conſenſus, qui verum & legitimum Magiſtratum creare, & conſtituere poſſunt. Exempli gratia: Iuſtum erat bellum duce Pompeio adverſus Cæſarem ſuſceptum, quamuis in eo Cæſar victor extiterit: ſed ſi verum fuit populi Romani poſtea libero & voluntario aſſenſu, Cæſarum dominium illud ſummum, prætextu perpetuæ Dictaturæ conſecutum fuiſſe; jam quærendum amplius non eſſet, an conjuratio in eum facta juſta ac legitima fuerit, niſi ſtatim probetur, cum dictatura ipſa manifeſte abuſum. Audeo id quoque certiſſime affirmare, optimates illos cives Romanos potuiſſe, ac etiam debuiſſe, Rempubl adverſus Triumuiratum defendere: ſed non auſim dicere Cinnam, & ſocios jure potuiſſe in necem Auguſti conjurare, poſt Regum legem (quam vocant) promulgatam & receptam. Verum hic quoque diſtinctione

Injuſtus dominationis alicuius uſurpator legitimus effici magiſtratus poteſt.

opus eſt. Nam dabitur hoc mihi, opinor, conſenſum, ſive à toto, ſive majore populi parte, vel ultro præſtitum, vel vi aut metu extortũ, potius reſcindendum eſſe, quam obſervandũ, ſi certo conſtet illum cum æquitate & honeſtate manifeſte pugnare. Quis enim ſibi perſuadeat, populum aliquem ſponte ac ſcienter, nulla vi adactum, ſeſe Principi alicui ſubjicere voluiſſe, hoc conſilio ut poſtea ab ipſo jugulетur & penitus exſcindatur? At enim duo hic rurſus ſunt obſervanda, quoties ea vel reſcindenda vel corrigenda ſunt, quibus inconſiderate conſenſus eſt præſtitus. Primum ne quid temere, deinde ne quid per ſeditionem tentetur, aut fiat: ſed juſto ordine, ac modeſte, quantum ejus fieri poterit. Præſens Reipubl. Chriſtianæ ſtatus duo nobis hujus rei exempla ſuppeditat, utraq; ſane maximi momenti. Primum eſt, injuſtæ illius ac irreligioſæ ſubjectionis, qua ſeſe Reges, & populi Antichriſto Romano jurejurando obſtrinxerunt: quo jurejurando ipſos non magis teneri aſſero, quam ſi nominatim & aperte Satanæ juraſſet, ſeſe omnia jura tum divina, tum humana everſuros. Alterum eſt, temporariæ illius, ut vocant, Iuriſdictionis, quam Prælati eccleſiaſtici ſibi vendicarũt. Quia enim ex diametro pugnat tum cum Chriſti mandato tum cum ipſius & Apoſtolorum omnium apertiſſimis exemplis (ut præ cæteris D. Bernhardus manifeſte oſtendit) conſequitur profecto, ut per ſe ipſa nulla ſit: quandoquidem nec Principes ea ſe exuere aut ſpoliare, nec Eccleſiaſtici eã vel à Regibus vel à populis ſuſcipere potuerunt, vel pretio acquirere: nedum ut vi ac doloſis artibus eam uſurpare debuerint, ut eos feciſſe conſtat in potiſſima mundi parte: Hæc vero dicta ſint in tyrannos qui dominium vel in concives ſuos, vel in exteros populos, ſibi injuſte vendicarunt.

Temporalis juriſdictio Eccleſiaſticorũ manifeſtus eſt abuſus.

Quæſt.

QVAEST. VI.

Quod ſit officium ſubditorum erga ſuperiores, qui in tyrannidem ſunt prolapſi.

SVpereſt ut jam alteram quæſtionem tractemus, quæ non immerito his noſtris temporibus à pleriſque eſt agitata. Quid, ſcilicet, liceat bona conſcientia ſubditis, quoties ſummi ipſorum Magiſtratus, alioqui legitimi, in Tyrannos degenerant manifeſtos: an tum ſupremorum Magiſtratuum, in Tyrannos apertos converſorum, auctoritas, tam ſacra & intemerata eſſe debeat, ut eam ferre ſubditi omnino teneantur, adeo ut nullo modo ei reſiſtere poſſint, vel ſi reſiſtere quidem aliquo modo licet, an fas ſit illis ad arma uſque progredi? Reſpondeo, Tria omnino eſſe ſubditorum genera, ſeu ſubditos in triplici eſſe differentia. Alii enim privati ſunt homines, nulla publica adminiſtratione fungentes: alii magiſtratum quidem gerunt, ſed hi ſummis Magiſtratibus ſubjiciuntur, (ut quos ſubalternos & inferiores Magiſtratus appellamus:) tertii, etſi ſummum quidem imperium non habeant, nec ſuprema ac ordinaria poteſtate fungantur, conſtituti tamen ſunt in eo ordine, ut ſint quaſi frena & habenæ ad ſupremum Magiſtratum in officio continendum. Vt vero diverſa ſunt hæc genera, ita de ſingulis diverſe eſt reſpondendum. *Tria ſubditorum genera.*

Sive igitur qui privatæ ſunt conditionis, ſponte & aperte dominationi injuſti uſurpatoris conſenſerint (ut populus Rom. volens ſeſe Auguſto & ipſius ſucceſſoribus ſubmiſit) ſive is qui legitimus erat ipſorum magiſtratus, in tyrannum evaſerit manifeſtum (qualis fuit inter Iſraelitas Abimelech, & triginta Athenis, ac Decemuiri Romæ, aliique alibi)

non licere tum dico, cuiquam privato (citra extraordinariam à Deo ipſo vocationé, quam hic non attingo) ſua privata auctoritate vim vi adverſus Tyrannum opponere, ſed oportere omnino, ut aut ab illius ditione diſcedat, & ſedes mutet, aut ad Deum per preces confugiens, jugum Tyranni patienter ferat: modo ne (ſicut ab initio diximus) vel Tyrannidis ipſius adverſus quempiam, miniſter eſſe cogatur, vel quicquam eorum omittere, quæ aut Deo, aut proximo debentur. Verum reſponderi poſſet adverſus hoc meum reſponſum, id quod ſupra ſtatuimus, de duplici illo Tyrannorum genere, quibus diximus etiam privatos homines poſſe ac debere totis viribus obſiſtere. Nam eodem primo intuitu recidere videtur, ſive quis privatus dominium uſurpet, ſive quis ſua dominatione legitima non contentus, tyrannidem exerceat: unde conſequens videri poſſit, eandem etiam utroque caſu deciſionem locum habere. Sed ſi penitius in res ipſas intueamur, conſpicuum eſt, quam maxime hæc duo genera differre, licet prorſus ſimilia videantur. Is enim qui alienos inuadit nullo modo ſibi ſubditos, etſi cupiat juſte & ex bono, & æquo dominari (ſicut de Piſiſtrato & Demetrio Phaleræo apud Athenienſes legimus) poteſt tamen jure impediri, etiam armata manu, & à quibuſuis vel infimæ ſortis, quibus vim inferre voluerit, quum nullo jure illi obſtringantur. Qui autem à populo ſuo ſemel probatus & ſuſceptus fuit, etſi ſuo jure abutitur, retinet tamen autoritatis ſuæ fundamentum in proprios & privatos ſubditos, quoniá mutuo conſenſu, ac publice contracta obligatio, nullius privati voluntate ſolui, dirimive poteſt. Quod ſi ſecus fieret, infinitæ rerum perturbationes, ipſa etiam Tyrannide peiores, ſeque-

Obiectio.

querentur: & in locum unius tyranni, quem profligare mens eſſet, mille ſuccederent. Præterea unica ratio, ex auctoritate verbi Dei petita majoris hic eſſe debet momenti, quam quicquid in contrarium adduci poſſet. Paulus privatis officium præſcribens, non modo Magiſtratibus (tam ſummis quam ſubalternis) reſiſtere prohibet, ſed illis etiam propter conſcientiã obedire præcipit. D. Petrus quoque jubet Regem honore afficere, memor; ut veriſimile eſt, ejus reprehenſionis, quam à Magiſtro audierat, cum gladium privatus adverſus publicam poteſtatem (ſua tamẽ auctoritate in Dominum abutentem) ſtrinxiſſet. At nemo neſcit quales tum Cæſares eſſent Tyberius, & Nero, reliquique Provinciarum præfecti. Hoc poſtea exemplum ſancti Martyres ſunt ſecuti, dum eos immaniſſimi Tyranni crudeliſſime inſectarẽtur, non ſolum ſub imperatoribus, qui in Chriſtianos ex Romanorum legibus ſæviebant, verum etiam ſub illis qui perfide edicta in gratiam Chriſtianorum promulgata violabant, ut accidit ſub Iuliano Cæſare Apoſtata. In ſumma (ut hanc quæſtionis partem tandem abſoluam) non licere dico cuiquam privato vi aperta ſeſe tyranno opponere, cujus dominationi prius populus volens conſenſum præbuerit: ſi enim in privatis contractibus, pactis, conventis, & promiſſis eouſque ſtandum eſt, ut potius damnum patiamur, quam fidem fallamus: quanto magis privati cavere debent, ne ab obligatione ſolenni, ac publico conſenſu contracta, ullo modo reſiliant?

Venio nunc ad inferiores Magiſtratus, qui ſunt veluti intermedii, & ut vulgus loquitur, ſubalterni, inter ſummum magiſtratum, & populum. Quorum appellatione intelligo, nõ domeſticos Regis ipſius officiarios (qui ſcili-

cet munus aliquod in Baſilica Regia exercent; & ipſius perſonæ, potius quam Regno inſerviunt) ſed eos potius qui publicis muneribus, id eſt, ad Regni ſtatum, vel judiciorum cauſa; vel rerum bellicarum pertinentibus funguntur, qui ideo in ipſis Monarchiis non Regis, ſed coronæ ſive Regni (inter quæ ſummum eſt diſcrimen) adminiſtri nuncupantur. Cujuſmodi Romæ quidem erant Conſules, Prætores, Præfectus urbi, Præſides provinciarum (quæ tum ipſi populo, tum Senatui etiam tempore Imperatorum tribuebantur) & ſimiles Reipublicæ, vel Imperii officiales, qui[a] propterea Pop. Rom. Magiſtratus, ſub noviſſimis etiam Imperatoribus, dicti ſunt. Tales quoque erant apud Iſraelitas duces ſingularum tribuum, Millenarii, Centuriones, Quinquagenarii, Decuriones, & ſeniores populi. Quæ politica munera à Moſe primum ordinata nequaquam poſtea ſunt abrogata, cum ſtatus ille Ariſtocraticus in Monarchicum mutaretur, quin imo ſub Salomone exacte conſtituta & obſervata. Ejus generis varii magiſtratuum ordines ſunt etiam hodie in pleriſque Chriſtianorum Regnis, inter quos jure cenſendi ſunt, qui Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, Caſtellani vocantur, ut qui olim officia & munia publica exercerent, ad ea certo ordine legitimeque allecti. Quæ etſi poſtea in dignitates hæreditarias tranſierunt, nequaquam tamen priſtinum jus & auctoritatem amiſerunt. In hunc ordinem præterea connumerandi ſunt, qui in civitatibus ad varia munera eliguntur, quales ſunt quos vulgo *Majores, Viguerios* (ſeu Vicarios) *Conſules, Capitolinos, Syndicos, Scabinos*, & ejuſmodi nuncupant.

Pleraque munia publica in dignitates hæreditarias permutata.

Hi porro omnes etſi ſupremo Magiſtratui ſubſunt, ab eoque mandata accipiunt, ab eo

deni-

denique inaugurantur, & approbantur, non tamen ab eo proprie pendent, ſed ab ipſa (ut ita loquar) ſupremitate: id eſt, à ſumma illa Imperii ſeu regni δυνάμει & auctoritate: ideoque defuncto eo qui ſummum Magiſtratum geſſit, manent hi in ſuo quiſque gradu, ut prius: quemadmodum & ipſa ſuprema poteſtas eadem manet. Quod enim is qui in demortui locum ſuccedit ejuſmodi inferiores magiſtratus, ut & civitatum privilegia, confirmat (quam conſuetudinem in Romano Imperio primum invexiſſe Tyberium Cæſarem, tradit Suetonius in Veſpaſiano: quæque nec prioribus ſeculis in uſu erat in Gallia, niſi forte cum regnum à parentibus, non ad filios tranſibat, ſed ad exteros) id vero, inquam, non efficit ut ſummus Magiſtratus, eorum ἀρχικὸς, id eſt, primarius auctor ſit habendus, à quo principium habeant: cum & ſupremus ipſe antequam in poſſeſſionem ſummæ ſuæ adminiſtrationis vere mittatur, jusjurandum viciſſim ipſi ſupremæ poteſtati præſtet, juxta conditiones in jurisjurandi formula expreſſas: ſicut poſtmodum ipſe à ſingulis quoque officiariis juramentum ſuſcipit; adeo ut ejuſmodi confirmatio nullum jus novum conferat (quemadmodum nec inveſtitura novi Vaſalli, aut à novo Domino facta) ſed nova eſt duntaxat veteris juris agnitio, propter mutationã perſonæ. Hinc apparet mutuam eſſe obligationem inter Regem & Regni officiarios: neque totam regni adminiſtrationem Regi ſoli eſſe commiſſam, ſed ſupremum duntaxat ejus gradum, & ſingulos officiarios inferiores, ejus partem obtinere pro ſuo quemque gradu, idque certis utrinque conditionibus. Quæ conditiones ſi ab inferioribus magiſtratibus non ſerventur, ſupremi eſt Magiſtratus illos vel officio abdicare, vel coercere, cauſa ta-

Inferiores magiſtratus non à perſona ſupremi, ſed ab ipſa ſupremitate pendent.

Mutuam eſſe ſupremorum ad inferiores, & inferiorum ad ſupremos Magiſtratus obligationem.

men cognita, & non niſi eo ordine, quem regni leges præſcribunt, niſi & ipſe à jurejurando, quo ſe ex legibus regnaturum promiſit, diſcedere velit. E diverſo vero ſi is qui regiam dignitatem, vel electione, vel jure hæreditario adeptus eſt, manifeſte ab iis conditionibus deflectat, ſub quibus nominatim rex eſt & agnitus & approbatus: quis dubitet inferiores Regni Magiſtratus, ipſasque adeo provincias, ac civitates, quarum adminiſtratio illis commiſſa eſt, à ſuo jurejurando hactenus ſaltem eſſe ipſo jure liberatos, ut ipſis liceat ſeſe manifeſtæ ejus regni oppreſſioni opponere, cujus tutelam & protectionem pro ſuo quiſque munere, cum jurejurando ſuſceperunt? Quid igitur? dicet quiſpiam, an qui modo pro ſummo Magiſtratu habebatur (cujus auctoritas eſſe debet inviolabilis) mox pro cujuſque inferioris nutu, tanquam privatus homo reputabitur, ut liceat in eum tanquam in publicum hoſtem irruere? Minime vero inquam: hoc enim eſſet feneſtram, ut ajunt, ad quaſuis impias ſeditiones, & conjurationes aperire. At enim nos de publica & manifeſta tyrannide, deque ejuſmodi Tyrannis ſermonem habemus, qui nullas omnino commonefactiones admittere aut ferre poſſunt. Deinde non agimus hic de tyranno prorſus è ſuo ſolio deturbando & abjiciendo: ſed quærimus, an ne quiſquam ipſius manifeſtæ violentiæ, pro ſuo gradu ſeſe opponere poſſit, ac debeat, cum jam prius oſtenſum ſit, æquum non eſſe quempiam pro ſuo arbitrio publice contractam obligationé ſolvere, quiſquis tandem is fuerit, & quantumvis etiam juſtam de tyranno conquerendi cauſam habeat. Verum cum viciſſim iſti inferiores regni adminiſtri, à poteſtate ipſa ſuprema hoc munus acceperint, ut de obſervatione & cuſtodia legum inter eos caveant,

Inferiorum magiſtratuum officium.

ant, qui ipſorum curæ ſunt commiſſi: ſeſeque ipſi ad id omni fide præſtandum jurejurando obſtrinxerint (à quo nulla illius culpa abſolvi poſſunt, qui ex Rege Tyrannus factus, apertiſſime eas conditiones tranſgreditur, ſub quibus deſignatus fuerat, quarumque obſervationem ipſe juraverat) an non æquum omni jure tam divino quam humano fuerit, aliquid iſtis inferioribus Magiſtratibus amplius concedi, ratione præſtiti ab ipſis juramenti de procuranda legum obſervatione, quam illis qui privatæ ſunt omnino conditionis & abſque ullo publico munere? Dico igitur ſi eo neceſſitatis fuerint adacti, teneri ipſos omnino adverſus manifeſtam Tyrannidem ſalutem eorum procurare (etiam armata manu ſi poſſunt) qui ipſorum fidei & curæ ſunt traditi: tantiſper dum ex communi ſtatuum, vel νομοφυλάκων, (id eſt, eorum, penes quos eſt omnis legum Regni illius, aut imperii de quo agitur, auctoritas) conſilio, melius rebus publicis conſultum ſit, & ut decet proviſum. Hoc porro non eſt ſeditioſum, aut in ſupremum ſuum Magiſtratum perfidum eſſe, ſed potius fideliſſimum juramenti ſui obſervatorem, erga eos quorum gubernationem quiſque ſuſceperit, adverſus perjurium, & Regni illius oppreſſorem, cujus protector eſſe debuerat: Iſto jure merito uſi ſunt Romæ Brutus, & Lucretius adverſum Tarquinium Superbum, Tyrannidem aperte exercentem, etſi privatim quoque ad illos hæc cauſa pertineret (cum hic quidem Præfectus urbi: ille vero Tribunus Celerum, populum Rom. convocaſſent, cujus auctoritate Tyrannus regno pelleretur, bonaque ejus publicarentur. Nec dubium eſt, ſi reprehendere eum potuiſſent, quin & juxta leges, quas violarat, (cum earũ defenſor eſſe debuiſſet) eum fuiſſent damnaturi: falſiſſima enim,

vivum ſalvumque è manibus ſuis dimiſerit: 2. *Sam.*
vel regnum ipſum invadat, ut etiam Saule 24. 7.
Rege mortuo, cui ſe ſucceſſurum certo ſcie- 1. *Sam.*
bat, ne pedem quidem extulerit ad regiam 24. 7.
ſedem occupandam, niſi quantum Deus ipſe 2. *Sam.*
eum promovet, & totius populi conſenſu 2. *v.* 1.
advocatur. Attamen ſatis conſtat propoſi- 1. *Sam.*
tum illi fuiſſe armis ſeſe tueri ob prædictas 23. *v.* 9.
cauſas. Quorſum enim alioqui illæ militum copiæ quibus comitabatur? Quod vero tam anxie Deum conſulit, num cives Xeilæ eum, & milites ſuos in manus Saulis ſint tradituri, aperte oſtendit, ſtatuiſſe illum omnino mœniis oppidi illius Sauli obſidenti opponere, ſi
in tuto ſe illic fore cognoviſſet. Quod factum 1. *Sam.* 25.
damnari non poteſt, niſi & David ſeditionis *v.* 28.
ac perduellionis inſimuletur, (quod tamen ne ſupicari quidem licet) & prudens Abigail mendacii arguatur, quæ Davidem, juſta defenſione adverſus injuſtum perſecutorem utentem, bella Domini gerere aperte profeſſa eſt. Habemus & aliud exemplum evidentiſſimum de oppido Lobna, quod domicilium
erat Sacerdotum. Illud enim defecit ab Ioram 2. *Chron.*
ſexto Davidis ſucceſſore, ne amplius illi ſub- 10. 12.
eſſet; ejuſque defectionis cauſa in ipſo hiſtoriæ contextu exprimitur, nempe quod rex Ioram Dominum Deum patrum ſuorum dereliquiſſet. At cum ad ſacerdotes oppidum ipſum pertineret, clare liquet longe diverſum eſſe hoc Lobnenſium factum ab Edumæorum defectione, quæ ſub eodem Rege & eodem tempore accidit. Neque n. vero ſimile eſt Edumæos ab Iſraelitarum ſubjectione ſeſe ſubtraxiſſe, ut vero Deo adhærerent, cui nunquam ex animo ſervierant, ſed odio duntaxat Iſraelitarum & recuperandæ libertatis cupiditate. At ſacerdotes, vel illi ſaltem (ſi hos prius ſeceſſiſſe arbitrabimur) qui poſt Deum Lobnæ dominium obtinebant, pietatis

ſuæ egregium ſpecimen ediderunt, cum ſimul & Deo & tyranno parere non valentes, hujus jugum excuſſerunt, ut in Dei cultu & obſequio permanerent. Hæc duo exempla, præter ſupra citatas rationes, ita ſunt certa, & authentica, ut ſola (meo judicio) ſufficere poſſint, ad obfirmandas inferiorum Magiſtratuum conſcientias: quos eos neceſſitas cogit, poſt tentata omnia illa remedia, ad arma confugere, ut ſuos adverſus Tyrannidem manifeſtam tueantur, ac conſervent, non concitandæ, ſed potius vitandæ ſeditionis gratia: ſicut majorum noſtrorum ætate eorum tyrannis, qui in Helvetios dominabantur, occaſionem Magiſtratibus municipalibus dedit, vendicandi ſeſe in eam libertatem qua hodie fruuntur.

Repetitio Quaest. IV.

Ordines ſive ſtatus ad frenandos ſupremos magiſtratus conſtituti, poſſunt ac debent omnibus modis illis reſiſtere cum in Tyrannos degenerant.

Supereſt ut de tertio ſubditorum genere loquamur, qui etſi revera ac certo quodam reſpectu ſupremorum Magiſtratuum obedientiæ ſubſint, alio tamen reſpectu, maxime rebus anguſtis extremiſque, conſtituti ſunt defenſores ac protectores jurium ipſius ſupremæ poteſtatis, ut ſummos Magiſtratus in officio retineant, eoſque ſi opus erit & coerceant, & mulctent. Hic vero miminiſſe oportet eorum quæ ſupra dicta ſunt, nempe populum extitiſſe priuſquam magiſtratus ullus eſſet, & propter populum Magiſtratus creatos, non contra, populum propter Magiſtratum. Quantumvis enim quidam populi à ſuis regibus originem traxiſſe videantur (ut à Romulo populus Romanus creatus fuiſſe dicitur, quia prius originalis populus non fuerit, ſed multitudo quædam ex variis gentibus & populis collecta) id tamen ad alios trahi haud quaquam poteſt, ut inde Regula generalis con-

conſtituatur. Præterea ne Romulus quidem in has gentes collectitias, niſi ex ipſarum conſenſu dominatus eſt: inde ſequitur Magiſtratuum omnium, quantumvis ſupremorum, ac potentium auctoritatem, à publica eorum auctoritate pendere, qui ipſos ad hunc dignitatis gradum evexerunt; non contra. Ac ne quis objiciat, hanc quidem primam fuiſſe Magiſtratuum originem, ſed poſtea populos ſeſe prorſus eorum potentiæ, & arbitrio ſubjeciſſe, quos pro ſummis Magiſtratibus recepiſſent, & omnem ſuam libertatem ſine exceptione illis omnino reſignaſſe, Nego primum, certo de hac omnimoda abdicatione conſtare, quin contra affirmo, nullam gentem (quamdiu jus & æquitas viguerunt) Reges ſuos aut creaſſe, aut approbaſſe niſi certis appoſitis conditionibus. Quas ſi illi manifeſte violant, efficitur ut qui hanc in illos auctoritatem conferre potuerunt, non minus poteſtatis in ea illis rurſus adimenda retinuerint. Quod ut clarius appareat, diſpiciamus an non per omnes ætates, inter famoſiſſimas quaſque Nationes & magis notas, perpetuo uſu hoc comprabari poſſit.

Ducamus autem exordium à Romanorum Regno, ac deinde imperio, licet hi vetuſtiores non fuerint. Titus Livius initia Romani Regni deſcribens, refert cum centum illi, inter reges nominati, qui poſt Romuli (primi hujus populi progenitoris) mortem populo per vices præerant, plebi non placerent, communi conſenſu ſtatutum, ut deinceps Reges ſuffragiis populi crearentur, & ſenatus auctoritate firmarentur. Idem de Tarquinio Superbo ultimo Romano rege loquens: *Neque enim* (inquit) *ad jus Regni quicquam præter vim habebat, ut qui nec populi juſſu, neque auctoribus patribus regnaret.* Ac mox multa recenſes

I. Exempla Romanorũ tempore regum. Livius lib. 1. ab V. C.

quæ

quæ ab illo contra majorum inſtituta fierent. *Hic enim*, inquit, *regum primus, ut traditur, à prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſoluit, Rempublicam domeſticis conſiliis adminiſtravit, bellum, pacem, fœdera, ſocietateſque per ſe ipſe cum quibus voluit injuſſu populi, ac Senatus, fecit diremitque.* Ex quibus verbis ſatis conſtat Romanorum Reges non niſi certis conditionibus fuiſſe admiſſos, quas ſi non præſtarent, populus juxta civium diſtinctos ordines convocatus, non minus ad illos exauctorandos, quam ad eos conſtituendos, poteſtatis haberet: quod erga illum ipſum Tyrannum facto ipſo ſatis demonſtrarunt. Cæterum præter id quod Seneca ex libris Ciceronis de Republica annotavit: nempe provocationem fuiſſe à Rege ad populum (quod in cauſa capitali Horatii ſororicidæ factitatum eſt, qui à delegatis per Tullum Hoſtilium Regem judicibus damnatus, à populo poſtea eſt abſolutus) præter id inquam, teſtatur etiam Dionyſius Romulum, dum cum ſuis, de ſtatu Romano conſtituendo conſilium cepiſſet, pronunciaſſe, Regem quidem cuſtodem eſſe Legum: at interim penes populum relictam poteſtatem fuiſſe creandorum Magiſtratuum, Legum conſtituendarum, & indicendi belli. Quod primis Gallicæ Monarchiæ architectis pro archetypo fuiſſe veriſimile eſt, ut infra docebimus. Adhæc ex Collatini, qui primus cum Bruto conſul fuit, hiſtoria patet, populum, (cujus appellatione non tantum ſtatus ille plepeius, quem hodie tertium appellamus, intelligendus eſt, ſed tres illi ſimul ordines qui Romæ erant, nempe Patricius, Equeſtris & Plepeius) eandem auctoritatem in Conſules quoque habuiſſe; quamvis illi ſuprema in Republica poteſtate potirentur, ut Dictatore carerent. Id enim teſtatur etiam Livius his verbis: *Timens*

Conſulum poteſtas. l. 2. ab. V. C.

Con-

Conſul ne poſtmodum privato ſibi, eadem illa eum bonorum amiſsionis additaque inſuper alia ignominia, acciderent, conſulatu ſe abdicavit. At Collatinus nullius criminis incuſabatur, ſed ſuſpectum erat duntaxat populo Tarquiniorum nomen. è quorum familia erat Conſul Collatinus: inde ergo facile eſt colligere multo magis hoc jure populum uſurum fuiſſe, ſi quis conſul alicujus criminis reus eſſet peractus: quamvis ex Legum præſcripto expectandum eſſet, ut (quia temporarium magiſtratum gerebant) tempus ſtatutum implerent, priuſquam cauſam dicere cogerentur. Fateor quidem Decemviros poſtea creatos, à quibus ad alium Magiſtratum non erat provocatio: verum cum alternatim imperarent, licebat ab unius ſententia ad alterum appellare: tantum abeſt ut cujuſquam immenſa, & nullis limitibus concluſa poteſtas, Pop. Rom. unquam placuerit: quin tandem etiam Decemviros ipſos officio ſeſe abdicare coegit. Quod vero ad Dictatoris poteſtatem attinet, verum eſt quidem ab illo non licuiſſe ad alium provocare: ſed hæc dignitas non niſi extrema aliqua neceſſitate laborante, & pene oppreſſa Repub. In uſu erat, & id quidem ad breviſſimum tempus, ſemeſtre ſcilicet. Sed (quod etiam majus eſt) ſi quando ab ſuprema poteſtate ad populum provocatum eſt, conſenſit ille ultro: ut ex iis quæ Romæ anno ab V.C. ccccxxix. inter L. Papirium Dictatorem & Qu. Fabium contigerunt, videre eſt. Quod ſi ulterius progredi libet, & ad Cæſares uſque pertingere: Etſi Iulius Cæſar Rempub. vi potius, quam voluntario populi aſſenſu occupaſſet; videri tamen voluit à populo juxta antiquas conſuetudines, dignitates omnes, & munera, quæ obtinebat, conſecutus & ob id duntaxat reprehenſus exiſtimatur à multis (ac etiam tandem jure occiſus) quod nimis

Dictatores.

Exempla temporea Cæſarum. Iulius Cæſar.

quæ ab illo contra majorum inſtituta fierent. *Hic enim*, inquit, *regum primus, ut traditur, à prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſoluit, Rempublicam domeſticis conſiliis adminiſtravit, bellum, pacem, fœdera, ſocietateſque per ſe ipſe cum quibus voluit injuſſu populi, ac Senatus, fecit diremitque.* Ex quibus verbis ſatis conſtat Romanorum Reges non niſi certis conditionibus fuiſſe admiſſos, quas ſi non præſtarent, populus juxta civium diſtinctos ordines convocatus, non minus ad illos exauctorandos, quam ad eos conſtituendos, poteſtatis haberet: quod erga illum ipſum Tyrannum facto ipſo ſatis demonſtrarunt. Cæterum prærer id quod Seneca ex libris Ciceronis de Republica annotavit: nempe provocationem fuiſſe à Rege ad populum (quod in cauſa capitali Horatii ſororicidæ factitatum eſt, qui à delegatis per Tullum Hoſtilium Regem judicibus damnatus, à populo poſtea eſt abſolutus) præter id inquam, teſtatur etiam Dionyſius Romulum, dum cum ſuis, de ſtatu Romano conſtituendo conſilium cepiſſet, pronunciaſſe, Regem quidem cuſtodem eſſe Legum: at interim penes populum relictam poteſtatem fuiſſe creandorum Magiſtratuum, Legum conſtituendarum, & indicendi belli. Quod primis Gallicæ Monarchiæ architectis pro archetypo fuiſſe veriſimile eſt, ut infra docebimus. Adhæc ex Collatini, qui primus cum Bruto conſul fuit, hiſtoria patet, populum, (cujus appellatione non tantum ſtatus ille plepeius, quem hodie tertium appellamus, intelligendus eſt, ſed tres illi ſimul ordines qui Romæ erant, nempe Patricius, Equeſtris & Plepeius) eandem auctoritatem in Conſules quoque habuiſſe; quamvis illi ſuprema in Republica poteſtate potirentur, ut Dictatore carerent. Id enim teſtatur etiam Livius his verbis: *Timens Con-*

Conſulum poteſtas. l. 2. ab. V. C.

Conſul ne poſtmodum privato ſibi, eadem illa eum bonorum amiſſionis additaque inſuper alia ignominia, acciderent, conſulatu ſe abdicavit. At Collatinus nullius criminis incuſabatur, ſed ſuſpectum erat duntaxat populo Tarquiniorum nomen. è quorum familia erat Conſul Collatinus: inde ergo facile eſt colligere multo magis hoc jure populum uſurum fuiſſe, ſi quis conſul alicujus criminis reus eſſet peractus: quamvis ex Legum præſcripto expectandum eſſet, ut (quia temporarium magiſtratum gerebant) tempus ſtatutum implerent, priuſquam cauſam dicere cogerentur. Fateor quidem Decemviros poſtea creatos, à quibus ad alium Magiſtratum non erat provocatio: verum cum alternatim imperarent, licebat ab unius ſententia ad alterum appellare: tantum abeſt ut cujuſquam immenſa, & nullis limitibus concluſa poteſtas, Pop. Rom. unquam placuerit: quin tandem etiam Decemviros ipſos officio ſeſe abdicare coegit. Quod vero ad Dictatoris poteſtatem attinet, verum eſt quidem ab illo non licuiſſe ad alium provocare: ſed hæc dignitas non niſi extrema aliqua neceſſitate laborante, & pene oppreſſa Repub. In uſu erat, & id quidem ad breviſſimum tempus, ſemeſtre ſcilicet. Sed (quod etiam majus eſt) ſi quando ab ſuprema poteſtate ad populum provocatum eſt, conſenſit ille ultro: ut ex iis quæ Romæ anno ab V.C. CCCCXXIX. inter L. Papirium Dictatorem & Qu. Fabium contigerunt, videre eſt. Quod ſi ulterius progredi libet, & ad Cæſares uſque pertingere: Etſi Iulius Cæſar Rempub. vi potius, quam voluntario populi aſſenſu occupaſſet; videri tamen voluit à populo juxta antiquas conſuetudines, dignitates omnes, & munera, quæ obtinebat, conſecutus & ob id duntaxat reprehenſus exiſtimatur à multis (ac etiam tandem jure occiſus) quod nimis

Dictatores.

Exempla temporea Cæſarum. Iulius Cæſar.

Auguſtus: mis multas dignitates cumulaſſet. Auguſtus ejus ſucceſſor adoptatus quidem ab illo fuit, ſed non hæres Imperii relictus ideo perſuadere conatus eſt, ſe jure, & à populo obtinuiſſe, quod vi occuparat. Nec Tyberius alia *Tyberius.* ratione ei ſucceſſit. Et poſt eum Caligula ſum- *Galigula.* mo tum Senatus, tum populi conſenſu Cæſar eſt appellatus. Claudius vero primus quidem *Claudius.* imperium militari & coempto favore obtinuit, at non niſi conſentiente populo illud rexit, qui tum volens ſeſe in miſeram ſervitutem præceps dedit. Nero autem illi ſuccedens, cũ *Nero.* veneno illum ſuſtuliſſet, imperium aperta violentia occupavit. Sed ejus exitus exemplum nobis ſingulare ſuppeditat ejus auctoritatis quam Senatus adhuc tum retinebat. Nam is jure ſuo utens (quod diu quaſi ſopitum delituerat) dicitur nominatim, Neronem populi Romani hoſtem prius judicatum, capite damnaſſe. Vnde apparet ipſos etiam Cæſares Tyrannos factos, juridice & coerceri & damnari potuiſſe: ipſorumq; Imperium etſi latiſſime ex lege Regia (propter Auguſtum lata, & propter Veſpaſianũ confirmata) pateret, certis tamen limitibus definitum, nec ſine exceptione probatum fuiſſe: quandiu juri & æquitati locus fuit. Ecquid enim aliud eſt Tyrannis quam poteſtas adverſus leges ſeſe exerens? de cujus amplitudine & expanſione nobis dicere non eſt propoſitum (quæ enim effrenæ cupiditatis & malitiæ Tyrannorum meta eſſe poteſt?) ſed de legitima tantum regum aliorumque principum poteſtate legibus finita, atque hæc quidem de Romanis.

Exempla ex Athenienſium Republica. Athenienſes porro cum abrogatam Democratiam in Ariſtocratiam commutaſſent, Triginta primum viros, poſtea decem tantum publicæ gubernationi præfecerunt, ut ipſorum hiſtoriæ perhibent: quos, cum auctoritate ſua abuterentur, deinceps & ab offi-

cio

tio removerunt, & dignis ſuppliciis etiam affecerunt, eodem ſcilicet jure in eos utentes, quo illos primum creaverant.

III. *Exempla à Lacedæmoniis petita.*

Notum etiam Lacedæmonios, Reges ſuos pro arbitrio ex Heraclidarum familia eligere ſolitos. Quod mutare Lyſandrum voluiſſe tradit Plutarchus, ſed fruſtra. Rege autem certis conditionibus electo, Ephoros conſtituerunt, qui Reges in officio retinerent, ac veluti habenis frenarent. Hi porro alios modo expulerunt, modo capitis ſupplicio affecerunt, donec tandem proditione Cleomenis Tyranni, omnes occiderentur: quo facto Lacedæmon ſimul cum dominatione libertatem amiſit. Venit autem hic mihi in mentem pulcherrimus ille Xenophontis locus, quo de Lacedæmoniorum Republica verba faciens tradit, Regem & Ephoros ſingulis menſibus ſeſe mutuo jurejurando obligare conſueviſſe, hos quidem omnium civium, illum proprio ſuo nomine: ac Regem quidem juramento polliceri, ſe ex præſcripto conſtitutarum legum regnaturum: Ephoros autem ſe civitatem illi conſervaturos, ſi jusjurandum ſervaſſet.

IV. *Exempla ex Iſraelitarum Monarchia.* *Iſraelitarum Monarchia omnium feliciſsima cur extiterit.*

Veniamus nunc ad Iſraeliticam πολιτείαν, omnium quæ unquam fuerunt, perfectiſſimam, ſi ea Iſraelitæ contenti fuiſſent. Hoc vero primum eam veluti ſupra ſidera evehit, quod ab initio Deus ipſe æternus, ejus unicus Monarcha fuerit: non eo tantum nomine, quod ipſe rerum omnium ſupremum dominium obtineat, ſed ſingulari quodam modo, nempe: quod leges per Moſem viſibiliter Iſraelitis conſtituerit, quod populum ſuum per Iehoſuam in terram promiſſam exerto veluti brachio introduxerit, quod denique illis præfuerit, eoſque rexerit, in eorum ſcilicet perſona, quos ipſe immediate ad illius gubernacula præfeciſſet, quia Iudices vocabantur. *Ioſ. 2. verſ. 16.*

Eo

Quomodo abolita fuerit Iſraelitarũ Monarch. 1. Sam. 8. ℣. 11.

Eo igitur tempore πολιτεία Iſraelis vere Monarchia fuit (quamvis Deus quorundam miniſterio pro beneplacito ſuo uteretur) quod ſi regna omnia hunc Monarcham haberent, vel ſaltem omnes Monarchæ hoc ab ſummo mundi totius domino, ſe regi ſemper paterentur, non minus ſuperflua eſſet hæc, de qua agitur, quæſtio, quam ea nunc perneceſſaria eſſe agnoſcitur. At enim fœlix ille hujus Reipub. ſtatus (qui nulli unquam præterquam huic populo obtigit) ſtupendo, & inſolenti modo mutatus eſt. Nam reliquarum gentium Monarchiæ in Tyrannidem, ipſorum Monarcharum culpa, deflexerunt: At Iſraelitæ, cum tantum bonum non agnoſcerent, verum illum ſuum Monarcham, qui Tyrannus fieri nunquam poterat, veluti invitum adegerunt, ut ipſis Regem ex hominibus conſtitueret, ſicut & reliquis populis, Dominus ergo tandem illorum votis annuit, ſed in ira & indignatione ſua: non quaſi ſtatum Monarchicum per ſe eo facto damnare voluerit, ſed quia hæc mutatio à populo cerebricoſo & refractario eſſet profecta. Interea hoc diſſimulari nec poteſt, nec debet: Regem nullum à condito mundo (etiam ſi optimum quemque ſeligas) extitiſſe, qui ſua auctoritate non fuerit aliquatenus abuſus, adeo ut omnino fatendum ſit (id quod Philoſophi etiam ſola ratione naturali inſtructi agnoverunt) Monarchicam dominationem perniciem ac interitum potius populo afferre quam præſidium & ſalutem, niſi habenis quibuſdam coarctetur, quibus fiat, ut maximum illud bonum quod ex ea poteſt emanere, colligi: & ingens malum, quod alioqui omnino ex illa conſequi neceſſe eſt, vitari & impediri poſſit. Vtor hac præfatione, de Iſraelitici Regni primordiis ſermonem ingreſſus, quoniam horum omnium clara illic exempla extant: ad quæ ut

Monarchia quomodo & quando pernicioſa.

tam Reges quam populi ſolicite animadverterent, eſſet operæ pretium, ne alios ab aliis opprimi tam ſæpe contingeret: ſed potius utriſque Dei (à quo ſolo omnis manat tranquillitas) gloria ita curæ eſſet, ut qui imperant, & qui parent, ſimul ac pacifice ſeſe tueri ſatagerent. Verum ut eo redeam, unde ſum digreſſus: Dominus merito in populum ſuum ira percitus, ut quid illis ex temerario illo quo agitabantur, affectu, expectandum eſſet clare oſtenderet, prædicit illis per Samuelem miris omnino verbis, quod ſit jus illud futurum, quod hiſtoria jus regis vocat: nempe in ſumma, Regem pro libidine & perſonas, & bona ſubditorum uſurpaturum, & ad ſuos uſus converſurum: quod certe tyrannicum eſt potius, quam regium. Quis enim merito dubitare auſit, Dei ſolius eſſe meram ſuam voluntatem loco rationis obtrudere? cum nihil juſtum dici poſſit, niſi quod prius Deus voluerit: Dei enim ſolius voluntas vera eſt ac certa omnis juſtitiæ regula, ut ab initio dictum eſt. Contra vero hominibus accidit quorum etiam ratio juſtis, ac ſanctis legibus, ſubjici, & moderari debet, in iis præcipue, qui aliis præſunt: adeo ut toto cœlo errent, qui Samuelis verba ita accipiunt, quaſi is auctor Regibus eſſe voluerit, quidlibet audendi: aut quæcunque illi cœca voluntate egerint, approbarit: juxta execrandum impuræ illius inceſtuoſæ dictum: *Si libet, licet*: quod proh dolor! pluſquam ſatis noſtro hoc ſeculo jactatur, & præſtatur. Quinimo ita accipienda ſunt Samuelis verba, quaſi Iſraelem increpans, diceret: *Non ſufficit vobis Deum ipſum pro* Monarcha *veſtro habere, ut fuit hactenus peculiari quodam favore: ſed alium ac talem expetitis, qualem habent reliqui populi:* contingет ergo vobis talis. At audite rurſus, quid juris ille in vos ſit uſurpaturus, & qua æqui-

Ius Regium à Samuele prædictum quale.

Reges Iuda à populo electi. David. 2. Samuel. 5. 1.

æquitate ac juſtitia vobis dominaturus. Hunc eſſe ſenſum verborum Samuelis experientia ipſa poſtea oſtendit. Dico igitur: quamvis Deus nominatim Davidem elegiſſet, oportuiſſe tamen eum etiam à populo eligi: qui in eo eligendo recte, prout debuit, Dei voluntatem ſit ſecutus. Idem accidit quoque in Salomone, qui à Deo primum electus, à populo ſecundario Rex creatus fuit. Et in genere: quamvis diadema regium ex Dei mandato, hæreditario jure ad familiam Davidis pertineret, populus tamen, ut ſupra à nobis oſtenſum eſt, ex demortui Regis liberis eum eligebat, quem regnare mallet. Idque duplici obligatione interveniente, vt patet ex hiſtora Ioas. Nam tam Rex, quam populus, ſolenni jurejurando Deo primum pollicebantur ſe leges ipſius tam Eccleſiaſticas, quam politicas obſervaturos. Adhibebatur poſtea & aliud juramentum mutuum inter Regem ipſum, & populum. At vero, dixerit quiſpiam, eratne propterea jus populo (id eſt, ordinibus populi) in eum quem elegerat, cum officium non præſtaret, animadvertere? Erat profecto, quod quatuor exemplis potiſſimum probari poteſt. Si enim licuit Davidi adverſus Saulis tyrannidem ſeſe tueri, ut paulo ante viſum eſt, & Lobnenſibus ab obedientia Iorami deficere (qui tamen inferiores tantum Magiſtratus erant) nonne inde merito colligam, Regiis ordinibus multo etiam plura ipſo jure licuiſſe? Huc quoque pertinet id quod prudenti Iojadæ ſacerdotis conſilio, ab ipſis ordinibus adverſus Athaliam (quæ Regina conſtituta, ſex integris annis Regnum adminiſtrabat) patratum fuit. Denique Amaſiæ exemplum multo eſt adhuc apertius, quam Hieroſolymitani ad necem uſque ſunt inſectati. Quod ſi id per ſeditionem factum quiſpiam arbitretur, & non legitime, is quæ-

Ioas. 2. Reg. 11. 4. & 17. Populi Iſraelitici poteſtas in profligandis damnãdiſve Regibus Athalia. Amaſias. 2. Reg. 14. 19.

ſo diligenter ad ſequentes rationes attendat. Nuſquam dicitur Amaſias à ſervis domeſticis occiſus (ſicut id patri ſuo Ioas contigiſſe, & Ammoni Manaſſis filio, legimus) ſed potius communi quodam Hieroſolymitanorum conſenſu: neque id occulte, & quaſi per inſidias (qui fuit quamplurimum Tyrannorum exitus) ſed via aperta, & velut publica auctoritate: nec ſubito aliquo tumultu, ſed poſtquam ille fuga ſeſe in urbē Lachis recepiſſet, unde & ipſius cadaver reportatum, & in patrum ſuorū ſepulchrum conditum ſcribitur. Nihil deniq; hic, neq; ante, neq; poſt Amaſiæ mortem conſpicitur, quod ſeditionis ſuſpicionem habeat: ſed omnes circumſtantiæ evincunt cuncta potius conſilio, & meditata deliberatione, Hieroſolymitanorum (ſimul tacito fœdere, tanquam præcipua ordinum pars, conjunctorum) tentata, & patrata fuiſſe, etſi id extra ordinem, & quaſi perfunctorie acciderit: nullo certe privato odio, ſed propter ipſius impietatem, qua præcipuam juramenti ſui partem violarat. Ideoq; nuſpiam legimus poſt ejus mortem vel quærimoniam ullam, vel inquiſitionem, vel deniq; pœnā aliquam adverſus cædis auctores procuratam, aut irrogatam vel à populo, vel ab ipſius liberis fuiſſe: quemadmodum poſt mortem Ammonis & Ioas contigit, in quorum conjuratos occiſores, etſi domeſticos, juſtis pœnis fuit animadverſum: quamvis uterque illorum improbus fuiſſet. At contra, mortuum hujus cadaver equis in Ieruſalem revectum fuiſſe legimus, ob reverentiam tum Regiæ dignitatis, tum familiæ: & Azariam ipſius filium à populo Iuda univerſo Regem illi ſuffectum. Quod rurſus plane oſtendit id, quod à potiore ordinum parte (nempe à Ieroſolymitanis) factum fuerat, communi poſtea conſenſu confirmatum fuiſſe: ut juſta de cauſa, & per

Qualis fuerit Amaſiæ occiſio.

2. *Par.* 25.27.

2. *Reg.* 12. 10.14. & 21.24.

per eos, executioni mandatum, quibus id liceret. Hinc igitur concludo, ordines ſeu ſtatus populi Iſraelitici jus habuiſſe, & ex familia Davidis ſibi Regem, quem vellent, eligere, & electum poſtea vel ejicere vel ſupplicio etiam, prout res ferebat, afficere.

V. *Exemplũ ex Danorũ regno.* Sic noſtra memoria Dani Chriſtiernum crudeliſſimum Tyrannum non ſolum Regia dignitate privarunt, ſed carcere concluſum ad mortem uſque detinuerunt, tranſlato Regno ad ſapientiſſimum juſtiſſimumque Regem illius avunculum, ejuſque, qui nunc regnat avum.

VI. *Suedorum exempla.* Quod ad Suedos quoque attinet, ſatis norunt omnes quomodo noſtra ætate Goſtavus ſe, ſuoſque à Danorum ſubjectione liberarit: & etiamnum hodie Suedi Regem ſuum captivum aſſervant, ob non ſatis prudenter adminiſtratum Regnum, quod ad fratrem ipſius tranſlatum eſt: cui Dominus benedicat.

VII. *Scotorum exempla.* Scoti etiam ſuperioribus annis Reginam ſuam abdicarunt & perpetuo carcere damnaverunt, quod quamplurimorum turpium adulteriorum, atque etiam crudeliſſimæ cædis mariti ſui accuſaretur: quæ accuſatio ſi legitime probata eſt, audeo dicere, rectius eos facturos fuiſſe, ſi in eam promeritas pœnas exercuiſſent.

VIII. *Exempla ex Angliæ regno.* Cæterum quod ad Angliæ Regnum omnium quotquot hodie in univerſo orbe viſuntur feliciſſimum, atque utinam in ea felicitate diu perduret, ſpectat: etiamſi ad eum, qui Regio ſanguine proximior eſt jure ſucceſſionis illud devolvatur: apparet nihilominus, tum ex multis hiſtoriis memoratu digniſſimis, tum ex Polydori teſtimonio, in vita Henrici, hujus nominis primi, Anglorum regis, omnem fere regnandi auctoritatem à conſenſu Parlamenti (ut vocant) pendere.

dere.

dere. Et ſane ſi conferre libet beatam illam tranquillitatem (qua jam multis annis fruuntur, ſub benigniſſimo & pacatiſſimo ſereniſſimæ Reginæ Elizabethæ dominio) cum miſerando & infelici ſtatu, tot aliarum regiouum, ipſa experientia docebimur, quam ſit ea moderatio Regiæ poteſtatis utilis, & beata, ſi modo ea recte exerceatur, & Reges ipſi Deum timentes, populique ſui amantes, ſuſtineant ſe ab illa, non regi tanquam pupillos (ut aulici adulatores, qui plane lachrymis miſeræ plebis piſto ſaginantur loqui ſolent,) ſed dirigi & moneri, ea tamen reverentia & obedientia, quæ Majeſtati ipſorum convenit, ac debetur.

IX. Exempla à Polonorum inſtitutis.

De Polonis porro ſi quis hactenus dubitavit. Num in eligendo certis conditionibus Rege, ipſi hoc jus retinuerint, ut à juramento ipſis diſcedere liceat, ſi ille promiſſis non ſteterit, poterit id clare intelligere ex ultima illa electione, qua ſibi Henricum Regis Gallorum fratrem in Regem cooptarunt. Atque in eo mihi plane convenit cum Epiſcopo Valentino (hujus electionis pro Rege ſuo, procuratore) qui in oratione ad Polonos habita, & vulgo excuſſa eos hoc nomine maxime laudat, quod regum ſuorum poteſtatem ſapientiſſimis ſuis legibus coarctarint, & quaſi finibus circumſcripſerint.

Simili ratione Veneti (quorum Reſpublica, ſi ex eventis judicandum eſt, omnium feliciſſime, & ſapientiſſime, ſecundum hominum prudentiam conſtituta, & moderata exiſtimatur) Ducem ſupremum ſibi creant, non tanquam Idolum aliquod, aut ſpectrum (ut quidam in rebus politicis parum exercitati ſcribere auſi ſunt) ſed tanquam principem ac Monarcham, à quo citra ullum tyrannidis periculum, omnes Monarchiæ commoditates percipiant. Iam vero ſicut Conſi-

lium illud quod vocant generale, Ducis eligendi omnem auctoritatem habet (ſervatis tamen ritibus ad hoc apud ipſos inſtitutis, & uſitatis) ita illud ipſum Conſilium ſibi jus iſtud retinuit (ſine quo facile reliqua omnia in nihilum abirent) Nempe illius ipſius Ducis deponendi & puniendi, ſi quid tyrannicum vel moliatur vel patraverit: quemadmodum id exemplis & facto ſæpe comprobatum eſt. Videant igitur hic reliqui Italiæ populi, qui tam ſubtiliter de humanis rebus diſſerere, & ratiocinari ſunt ſoliti (editis etiam plerisque de civili gubernatione libellis) an in hac re æque prudenter ſeſe omnes, ut Veneti, geſſerint.

XI. *Exempla ab Hiſpanorum Regibus.* Quid vero de Hiſpanis dicemus? Status certe ejus Regni diu fuit perturbatiſſimus & valde inquietus, quod plæreque barbaræ nationes, tum ex Septentrionibus, tum ex Africa illuc veluti diluvio quodam exundarint, ſicut id tum certiſſimæ hiſtoriæ, tum ipſorum idioma teſtantur. At fatendum eſt omnino Gentem hanc præ cæteris ſemper fuiſſe ſagacem, & providam. Et quamvis verum ſit illud Ariſtotelicum, *natura Barbaros mancipia potius eſſe, quam ſubditos*; Hiſpani tamen hactenus (quæcunque tandem Barbaries regionem eorum invaſerit) in Politiæ conſtituendæ ratione pleriſque populis erubeſcendi occaſionem præbent, eoſque merito pudefaciunt. Id vero ut probem, citabo, duo teſtimonia præ ceteris inſignia, & quæ literis aureis inſculpi publicis tabulis mererentur: ut & Reges juſte ex iis imperare, & populi viciſſim recte obedire, docerentur.

Prius teſtimonium ſumptum eſt ex quarti Concilii Toletani, cap. 74. quod habitum eſt anno Domini D.CXLIV. juxta Sigeberti ſupputationem. Verba autem Synodi, tum ex viris

ris Eccleſiaſticis, tum ex reliquis Regni ordinibus coactæ, ſic habent: *Nullus apud nos ſub præſumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas ſeditiones civium, nemo meditetur interitus Regum, ſed defuncto in pace Principe, primates totius gentis, cum ſacerdotibus, ſucceſſorem Regni conſilio communi conſtituant: ut dum unitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentiſque diſsidium per vim, atque ambitum moliatur. Quod ſi hæc admonitio mentes noſtras non corrigit, & ad ſalutem communem cor noſtrum nequaquam perducit, audi ſententiam noſtram. Quicunque ergo ex nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet conjuratione, vel ſtudio, ſacramentum fidei ſuæ (quod pro patriæ gentiſque Gothorum ſtatu, vel conſervatione Regiæ ſalutis, pollicitus eſt) temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate Regni exuerit: aut præſumptione Tyrannica regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Dei patris & Angelorum: atque ab Eccleſia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus, cum omnibus impietatis ſuæ ſociis, quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimilis error invenerit implicatos. Quod iterum ſecundo replicamus, dicentes. Quicunque à modo. &c. Et ideo, ſi placet omnibus qui adeſtis, hanc tertio iteratam ſententiam. veſtræ vocis conſenſu firmate. Ab univerſo clero, vel populo dictum eſt: Qui contra hanc noſtram definitionem præſumpſerint, anathema Maranatha, id eſt, perditio in adventu Domini ſint: & cum Iuda Iſcariot partem habeant ipſi & ſocii eorum. Amen. Quapropter nos ipſi, & ſacerdotes omnes ſanctam Eccleſiam Chriſti ac populum admonemus, ut hæc tremenda & toties reiterata ſententia, nullum ex nobis præſenti atque æterno condemnet judicio: ſed fidem promiſſam erga glorioſiſsimum Dominum noſtrum Siſenan-*

dum regem cuſtodientes, ac ſincera illi devotione famulantes non ſolum divinã pietatis in nobis clementiam provocemus, ſed etiam gratiam anteſati Principis percipere mereamur. Te quoque præſentem Regem, ac futuros ætatum ſequentium Principes, humilitate debita depoſcimus, ut moderati, & mites erga ſubjectos exiſtentes, cum juſtitia & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque viciſsitudinem, qua vos nobis conſtituit, largitori Chriſto rependatis, regnantes in humilitate cordis, cum ſtudio bonæ actionis. Nec quiſquam veſtrum ſolus in cauſa, captivum aut reum ſententia feriat, ſed conſenſu publico cum rectoribus ex judicio manifeſto, delinquentium culpa pateſcat ſervata à vobis in offenſis manſuetudine, ut non ſeveritate magis in illis, quam indulgentia polleatis, ut dum omnia hæc (auctore Deo) pio à vobis moderamine conſervantur, & Reges in populis, & populi in Regibus & Deus in utriſque lætetur. Sane de futuris Regibus hanc ſententiam promulgamus, ut ſi quis ex eis contra reverentiam legum, ſuperba dominatione, & faſtu regio in flagitiis, & facinore ſive cupiditate, crudeliſsimam poteſtatem in populis exercuerit. Anathematica ſententia à Chriſto domino condemnetur, & habeat à Deo ſeparationem, atque judicium, propter quod præſumpſerit prava agere, & in perniciem regnum deducere. De Simithilane vero qui propria ſcelera metuens, ſeipſum regno privavit, & poteſtatis faſcibus exuit, id cũ Gentis conſultu decrevimus, ut neq; eum, vel ejus, propter mala quæ commiſerunt, neque filios eorum unitati noſtræ unquam conſociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti ſunt, aliquando promoveamus. Eſt hoc ſane ſingulare exemplum: cui decretum aliud ſextæ Synodi Toletanæ adjiciam, in quo poſtquam de exigendis Iudæis è regno ſtatutum eſſet, adduntur ſequentia. *In caſum*

Cap. 1.

bonum

bonum agitur, ſi non ejus providetur perſeverantia: Ergo poſtquam ordine præmiſſo ad gubernacula acceſſerit Regni, ſi ipſe temerator hujus extiterit promiſsi, ſit anathema Maramatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, ſimilique cum eo damnatione perculſi ſint, quicunque ſacerdotum, vel quilibet Chriſtianorum ejus implicati fuerint errori. Ex his facile judicari poteſt quæ ſit ordinum Hiſpaniæ in ſuos Reges auctoritas: ſi quid contra jusjurandum commiſerint: cum ex jure Feudorum (quæ etiam Regna & Imperia complectuntur) Vaſallus excommunicato Domino ſervitium non debeat, imo ſacramento fidelitatis ſit abſolutus: ut habetur, *lib.* 2. *Feud. tit.* 28. §. 1.

Alterum teſtimonium, quod proferre ſum pollicitus: Formula illa eſt inſignis, quam Arragonii hodie etiam (niſi forte non ita pridem mutata eſt) non ſolum in Regum ſuorum inauguratione uſurpant, ſed etiam in conventibus illis triennalibus iterant, in quibus Rex ſeſe apud ſuos ordines ſiſtere ſolet, tum etiam ut ſuis jus dicat, tum ut ab iis jus ſuum recipiat. Ibi enim poſt multas peractas ceremonias, inter eum quem juſtitiam Arragonenſẽ vocant (qui ſupremæ poteſtatis perſonã refert, cuiq; reges jurejurãdo ſe obſtringere coguntur) & Regem ipſum, vel creandũ vel jam creatum. Formula hæc totidem verbis pronunciatur, NOS QVI VALEMOS TANTO COMME VOS, Y PODEMOS MAS QVE VOS, VOS ELEGIMOS REY, CON ESTAS Y ESTAS CONDITIONES, INRA VOS Y NOS, VN QVE MANDAMAS QVE VOS: Id eſt, *Nos qui tanti ſumus quanti vos, & pluſquam vos poſſumus, Regem vos eligimus, his atque his conditionibus: Inter vos & nos, unus majore eſt imperio, quam vos.* En quouſque Hiſpani ſuos Reges in honore habuerint. prout debuerunt.

Formula qua Hiſpaniarum Reges inaugurantur.

XII. *Exempla è ſacro imperio.* Quid plura? Norunt omnes qua ſit auctoritate cœtus ille Principum toto orbe illuſtriſſimus, ſeptem videlicet Electorum imperii, tam in eligendo Imperatore, quam in eo, quoties opus eſt, abdicando: ſicut Adolpho, anno M.CC.XCVI. & Venceſlao anno M. CCCC. imperatoribus accidit. Erat autem tale jusjurandum, quo ſe tunc Reges ſeu Cæſares Germaniæ obſtringebant, quale deſcribitur in Tractatu, cui titulus eſt, *Speculum Saxonicum lib.* 3. *parag.* 54. Cum enim Rex eligitur, cogitur publico juramento fidelitatem, & hominum (ſeu, ut vulgus vocat, *homagium*) imperio præſtare: ac polliceri ſe totis viribus promoturum juris adminiſtrationem: atque adeo omnes injurias propulſaturum, & denique omni ſtudio, & conatu jura Imperii conſervaturum.

XIII. *Exempla Regum Gallorum & ante poſtquam Francis conjuncti fuere.* Accedo jam ad Francos: apud quos, priuſquam in Galliam veniſſent, Reges ordinibus populi ſui ſubmiſſos fuiſſe, teſtis eſt Iulius Cęſar lib. 5. cap. 8. de bello Gallico, dum Ambiorigis Eburonum (ſive ut hodie vocantur, & *Leodienſium*) Reguli, in quadam oratione verba recenſens ait, ſua eſſe ejuſmodi imperia ut non minus haberet in ſe juris multitudo (legitime ſcilicet coacta) quam ipſe in multitudinem. Idem etiam probatur ex verbis Vencingentorigis Regis Arvernorum cauſam ſuam in cœtu publico tuentis, ut ea ab eodem Cæſare recitantur lib. 7. cap. 4. Poſtea vero Galli & Franci ſub uno Francogallorum nomine coalverunt in unum. Quorũ regnum cum ſingulari Dei beneficio diutiſſime prorogatum, & conſervatum fuerit, nunc quidem ita nutare videtur (quacunque tandem ex parte culpa hæreat) ut certiſſimum ejus excidium proxime timendum ſit, quod tamen vix accidere poteſt, niſi cum ingenti reliquarum orbis partium mutatione. Cæterum-

rumquæ mihi nunc de eo dicenda ſunt, ſatis ſuſpicior quibuſdam grata & accepta, quibuſdam vero ingratiſſima & inauſpicata, futura. At nihil dicenti niſi quod res eſt, ſpero quidem Deum mihi adverſus omnes calumnias fore propitium. Quamquam igitur Francogalli Reges ſuos primum ex Merovei familia, deinde ex Caroli Magni poſteris, ac tandem ex Hugonis Capeti ſucceſſoribus eligerent, ita tamen ab initio Monarchiam ſuam conſtituiſſe dico, ut Reges ipſorum non ſolo jure ſucceſſionis regnarent, ſed ſi ſimul conſenſu Ordinum Regni electi forent. Sic Pharamundus electus ſolio Regio ſublimatus fuit, anno Domini CCCCXIX. Sic Pipinus anno D.CCLI. ipſorumque liberi Carolus, & Carolomannus anno D.CC. LXVIII. Ac tandem anno D.CC.LXXI. Carolus in fratris partem ex ordinum auctoritate ſucceſſit. Quam auctoritatem ſecutus ipſe poſtea, nempe anno D.CCC.XII. Ludovicum filium ſuum Imperii hæredem inſtituit: cavens nominatim teſtamento ſuo (ſicut Nauclerus, qui ſcriptis illud prodidit, teſtatur) ut populus (id eſt ordines ipſi) quem mallet ex filiorum ſuorum liberis in Regni ſucceſſorem eligeret, præcipiens etiam Patruis, qui tum ſupervixiſſent, ut ejuſmodi electioni aſſentirentur: quod factum equidem notatu eſt digniſſimum, ad totius hujus quæſtionis ſtatum decidendum accommodatiſſimum. Atque tale fuit Francogallicorum Regum juramentum teſte Aymonio, qui Carolum Calvum dictum ſic loquentem inducit: *Quia ſicut iſti venerabiles Epiſcopi unius ex ipſis voce dixerunt & certis indiciis ex noſtra unanimitate monſtraverunt, vos acclamaſtis me Dei electione ad veſtram ſalvationem, & profectum, atque regimen, & gubernationem hoc adveniſſe; ſciatis me, honorem & cultum*

Nau. vol. 2. generation. 28.

Aymoino lib. 5. c. 21.

Dei atque ſanctarum Ecclesiarum Domino conſervare adjuvante, & unumquemque veſtrum ſecundum ſui ordinis dignitatem, & perſonam juxta meum ſcire & poſſe, honorare & ſalvare, & honorabiliter ſalvatum tenere vele: & unicuique in ſuo ordine ſecundum ſibi competentes tam Eccleſiaſticas quam mundanas legem & juſtitiam conſervare. In hoc ut honor Regius & poteſtas, ac debita obedientia adjutorium ad regnum mihi à Deo datum continendum ac defendendum, ab unoquoq; veſtrum ſecundum ſuum ordinem ac dignitatem atque poßibilitatem mihi exhibeatur, & ſicut anteceſſores veſtri Iure, fideliter & rationabiliter, meis anteceſſoribus exhibuerunt. Hæc ille totidem verbis.

Eos ipſos vero ordines poteſtatem regum, quos elegiſſent, abdicandorum habuiſſe, ſi quid peccaſſent, infinitis exemplis conſtat. Childericus propter flagitia, & libidines publico Conſilio Regno motus, & expulſus eſt anno CCC. LXI. eique Gilo ſubſtitutus, qui ex Merovei familia non erat. Et Childericus anno D. LXXVIII. & Theodoricus anno D. C. LVII. Quinimo anno D CCC. XC. ordines neglecto Carolo Ludovici Balbi filio Euden ſive Odonem in Regem elegerunt: Legimus etiam Hugonem Capetum Regno privaſſe Carolum Lotharii fratrem, cum ille negligentius & veluti cunctando rem ageret, & ad concilium deferret, ſperans ſcilicet fore, ut Regni ordines illorum controverſiam, pro aſſueto more, dirimerent. At in ſumma, ſi regnum Francogalliæ electione non conferebatur, dicendum eſſe neque Pipinum, neque Capetum quicquam juris in eo habuiſſe, cum neque ex Merovei maſculis hæredibus ſucceſſores deeſſent Pipino regnum uſurpante: neque ex Caroli Magni filiis, cum Capetus Regium diadema ſibi vendicaret.

Porro

Porro quod attinet ad eorundem ordinum auctoritatem, qua vel Regni præcipuas dignitates & officia conferebant, adimebantque: vel ſaltem ſollicite animadvertebant, quo modo ſe Reges tam in iis conferendis, adimendiſve, quam in tributis exigendis, aut in aliis Regni præcipuis negotiis, tum belli tum pacis tempore gererent: Eo, inquam, auctoritas vetuſtiſſimis & valde authenticis Hiſtoriis ſatis ſuperque teſtata eſt: quæ plane eorum aſſentatorum impudentiam ſatis arguunt, qui hodie ex ruinis tanti tamque ſapienter conſtituti Regni, ſuam potentiam per fas nefaſque augere non deſinunt. Et ſane quod noſtris temporibus, ut qui ſanguine eſt proximior, non convocatis ordinibus, in Galliæ Regnum ſuccedit, novamque rerum faciem inducit, pro eorum libidine, qui ejuſmodi ſucceſſoris favorem ac gratiam captaverunt: Quodque comitia publica ſtatuto tempore amplius non indicuntur, ſed tum duntaxat, cum id commodum quibuſdam videtur, qui inde proprias commoditates, & ſecuritates aucupantur: Quod præterea, quoties ordines coguntur, id fit non tam ut de publicis rebus ſerio decernatur, quam dicendi cauſa, ut ſcilicet longis affectatiſque orationibus Rhetorum (imo Sophiſtarum potius) more, tempus & actio omnis eludatur: Quodque illic ii judices ſedeant, in quos præcipue omnes accuſationes, & querimoniæ intenduntur: denique quod tum bella, tum pax. aut induciæ decernuntur; tributa & actiones imponuntur; leges de rebus tam publicis, quam privatis figuntur, & refiguntur; dignitates & præfecturæ, omnia item munia publica electis vel conferuntur, vel adimuntur, pro quorundam tantum (ſive virorum, ſive mulierum, nobilium, ſive ignobilium, proborum ſive improborum) arbitrio, qui a-

pud rerum Dominos majore pollent auctoritate & gratia (utpote per quorum aures & oculos duntaxat iſti & audiant & videant) hæc, inquam, omnia à majorum ſanctis moribus & agendi ratione quam longiſſime diſſident, & cum primariis legibus quibus Gallicæ Monarchiæ fundamenta nituntur, plane ex diametro pugnant. Iam vero Iuriſconſultis omnibus qui cum ſcientia juris bonā conſcientiam conjunctam habent, diſputandum relinquo, num ulla quantumvis longi temporis præſcriptio jure aliquo vel divino, vel humano locum hic habere poſſit, vel debeat. At enim quod hodie adhuc Reges, cum ſolenni ritu unguntur, juramentum præſtant (cujus formula utinam publice excuderetur, ut omnibus innoteſceret) & quod præterea ſingulis civitatibus ſua privilegia, ita publica munera Regni officiariis confirmare poſtquā regnum ſunt adepti, conſueverunt (etſi hic multa fiunt per abuſū quæ minime ſunt probanda.) Quod denique ſi Reges minores ſunt ætate, ſtatus ordineſque Regni communi cōſilio ſtatuunt, ad quem illius adminiſtratio pertineat: hæc, inquam, omnia, reliquiæ ſunt adhuc priſtinæ illius auctoritatis, qua ordines pollebant, & quæ nunc paulatim abit in nihilum. Nondum tamen ducenti anni præterierunt, cum ab ipſis ordinibus Caroli V. (qui *ſapiens* cognominatus eſt) teſtamentum reſciſſum fuit, nempe anno M.CCC.LXXX. Quid amplius? anno M.CCCCLXVII. quum Ludovicus hujus nominis XI. (qui quantum potuit Monarchiam Gallicam in Tyrannidem transformare conatus eſt, quod Regii Paraſiti Regem emancipare ſeu ſervitio eximere, appellant) merito accuſaretur, quod peſſime Regnum adminiſtraret, dati ſunt illi ab ordinibus apud Turones convocatis XXX. viri tanquam curatores, à quibus ſe regi &

gu-

gubernari pateretur. Verum eſt quidem, ipſum poſtea facile ab illis ſeſe expediviſſe, ut pote cui (Claronenſis Idoli prætextu, quod ſumma ſuperſtitione colebat) juramenta omnia & promiſſa, non niſi ludus, & jocus eſſent: ſed tanto ipſius præjudicio, & infelici ſucceſſu, ut præter infamiam, qua etiamnum hodie notatur, quamdiu vixit, nulla unquam quiete aut pace frui potuerit: & in ipſa adeo morte expertus ſit, quid valeat à ſubditis potius timeri quam amari. Et quandoquidem de juramenti violatione mentio incidit, addere libet aliud exemplum valde memorabile: Carolus hujus nominis VII. dum adhuc Delphinus eſſet, nefario conſilio Ioannem ultimum Burgundiæ ducem è Gallicorum regum propago ortum, coram ſe miſere trucidari juſſit contra fidem, pacem, atque amicitiam paulo ante prope Melodunum juratam. Hoc perjurium deinde (quamvis tanto Dei judicio Dux ille eſſet digniſſimus) multis animarum millibus fuit in Gallia expiatum, cum totius pene Regni ſubverſione. Et Carolus ipſe Rex eo adactus miſeriarum ut à patre ſuo primum exhæredatus, capitalem ſuum hoſtem poſtea Regno inaugurari Lutetiæ conſpexerit, ac proinde Biturigum ipſe, potius quam Galliæ Rex diceretur. Tandem vero pacem multo ſuo dedecore redimere coactus eſt, ut ex tractatu apud Atrebates concepto, apparet: In quo (etſi ipſe rex cum duce Philippo Ioannis interempti filio tanquam ſubdito ſuo tranſigeret) hæc clauſula nominatim expreſſa habetur: *cui*, inquit, *rex ipſe aſſentietur, & diplomate ſuo comprobabit*. Quod ſi vero hanc tranſactionem ab ipſo violari contigerit, ipſius clientes, feudatarii, & ſubditi, præſentes & futuri, illi deinceps neque obedire neque inſervire tenebuntur, ſed Duci potius Burgundiæ, ipſiuſque ſucceſſoribus, adverſus ipſum

Inſigne exemplum ultionis divinæ in perjurum principem.

omnem obedientiam præſtabunt: cuncti denique illi ipſi clientes, beneficiarii, ſubditique ab omni fide, jurejurando, obſequio, promiſſionibus, & obligationibus, ac quibuſcunque officiis, quibus Carolo Regi devincti prius eſſent, liberati, immunes ac prorſus ſoluti hoc caſu habebuntur: ne deinceps illis quicquam horum fraudi, aut oneri imputari, aut ab illis culpa ulla exigi poſſit. Quin imo hoc ipſum jamiam facere Carolus Rex illis præcipiat, & liberos abſolutoſque ab omnibus juramentis, & obligationibus pronunciet, ſi quid tale evenerit. Hic ſcilicet fuit exitus violatæ fidei Regiæ improbo conſilio. Hæc autem pacta conventa, quæ bona fide in poſterum obſervata fuerunt, maxima Regno quies & pax obtigit. Porro ſi æquum tunc viſum eſt, hanc clauſulam inſeri accidentariæ huic promiſſioni, quæ ad Regni adminiſtrationem proprie non pertinebat, an minus æqua legitimaque illa promiſſio, aut conditio cenſenda erit, quam populus à Rege ſuo dum vel crearetur vel inauguraretur, fuerit ſtipulatus: cum & æquitate maxima & naturali ratione nitatur: videlicet ut Rex ex Legum præſcriptis (quarum ipſe ſummus eſt, eſſe debet, cuſtos & protector) omnem ſuam adminiſtrationem moderetur.

Epilogus ac concluſio de auctoritate ordinum. Huc ergo omnium ſupradictorum ſumma redit: ſummum Imperium ita demum eſſe penes Reges aut alios ſupremos Magiſtratus, ut ſiquidem illi optimas leges jurataſque conditiones tranſgredientes in apertos Tyrannos degenerent, nec ſanis conſiliis auſcultét, liberum licitumq; ſit inferioribus Magiſtratibus tum ſibi, tum iis quorum curam gerunt, providere & publico Tyranno obſiſtere. Ordines vero vel ſtatus Regionis quibus hæc auctoritas à legibus eſt collata, eatenus ſeſe tyranno opponere atq; adeo ipſi juſtas, & prome-

tas pœnas, ſi opus erit, irrogare & poſſunt & debent, donec res in priſtinum ſtatum reſtitutæ ſint. Quod ſi præſtiterint, tantum abeſt ut ſeditioſi, aut perdulles habendi ſint, ut contra officio ſuo & juramento (quo & Deo & patriæ ſunt obſtricti) probe defuncti tum demum cenſeri debeant. Ac quamuis jam ſupra evidentiſſimis Regnorum & Imperiorum tam veterum quam recentium, exemplis harum rerum praxim comprobaverimus, ne tamen quiſquam objiciat legibus potius quam exemplis judicandum, addam ad majorem ſententiæ noſtræ confirmationem quamplurimas & alias rationes. Dico enim primum duas eſſe propoſitiones, quas æquitas ipſa juſue illud naturæ (à quo uno pendet totius humanæ ſocietatis conſervatio) in dubium vocari non patitur: quarum prior eſt, in omnibus pactis, & conventionibus, quæ mutuo ac ſolo conſenſu inter partes contrahuntur, eos ipſos per quos obligatio contracta eſt, eandẽ ſoluere & dirimere poſſe, quoties id ratio poſtulat. Itaque quibus eſt poteſtas Regis creandi, iiſdem quoque ejus abdicandi jus erit. Altera vero: ſi quæ eſt juſta ſolvendæ conventionis aut pacti occaſio, qua obligatio ipſa per ſe evaneſcat, & pro nulla habeatur, hanc unam eſſe, ſi eſſentiales conditiones propter quas proprie obligatio contracta eſt, manifeſte violentur. Oſtendant igitur qui eo uſque Regum ac ſupremorum Magiſtratuum auctoritatem evehunt, ut dicere audeant, illos non alium quam Deum ſolum Iudicem habere, cui factorum ſuorum rationem reddere teneantur: ullam gentem uſquam fuiſſe, quæ ſcienter, & abſque metu, aut vi aliqua, ſeſe arbitrio ſupremi alicujus Magiſtratus ſubmiſerit, non addita expreſſe, aut tacite ſubintellecta hac conditione, *ut ab eo juſte, & ex æquo regatur & gubernetur.* Quod ſi quis exemplum

I. Ratio à jure & æquitate naturali.

Conditiones pacto additæ ſi non impleantur, irritum erit pactum ſi parti læſæ placuerit. Nulli unquam Reges admiſſi, niſi aut expreſſe aut tacite ſub intellecta conditione, ſi juſte ſanctéque populos rexerint.

xemplum aliquod proferat populorum, qui bello ſuperati ſeſe iis omnino conditionibus jurati ſubmiſerunt, quas victores proponerent: non ſatis mihi fuerit eum Iuriſconſultis reſpondere, ea quæ vi, injuſtove metu extorta ſunt, pro legitimis non eſſe habēda (fateor enim Theologiam, quæ conſcientiarum eſt Regula, non facile permittere, ut ejuſmodi juramenta temere violentur.) Sed addam præterea, etiam ſi populus quiſpiā ſcienter & ſponte rei per ſe evidenter irreligioſæ. Iurique naturali contrariæ aſſenſum præbuerit, nullam eſſe ejuſmodi obligationem: tantum abeſt ut dubitari jure poſſit, an ea valida ac rata ſit exiſtimanda, quæ per vim ac metum, aut aperta fraude & malis artibus contracta fuerit. Hæc enim generalis juris & æqui regula communibus naturæ principiis ſubnixa (quæ adhuc poſt lapſum in homine, quantumvis corrupto reſident) tam certa firmaq; eſt, ut nihil quod illis aperte adverſetur & repugnet, pro juſto & rato inter homines ſit habendum. Hoc porro de rebus penitus injuſtis atque manifeſte irreligioſis intelligēdum eſt, quas nemo non videt (niſi ſenſu communi prorſus deſtitutus) non poſſe bona conſcientia à quoquam vel exigi vel præſtari. Tale fuit pactum quod primis temporibus inter Minoem Cretenſis inſulæ Regem, & Athenienſes interceſſiſſe ferunt: nempe ut quotannis illi ſeptem adoleſcentes, ſeptemque puellas adducerent, ut vel à Minotauro devorarentur (ſicut fabulæ tradūnt) vel (quod magis eſt credibile) ut illius libidini, atque Tyrannidi inſervirent. Ejuſmodi etiam fuit conditio ab Ammonitis, habitatoribus Iabes propoſita, fore ſcilicet ut illis parcerent, atque illos in ſuam tutelam reciperent, ſi modo ſinguli alterum ſibi oculum eruerent. Minuſque adhuc tolerabilis fuit conditio civibus Hiero-

Conditiones aperte irreligioſas & contra ſcientiam, nullius eſſe momenti.

1. *Sam.* 11. 2.

Hieroſolymitanis ab Antiocho execrando Ty- *1 Machab. 1. 15.*
ranno propoſita, & à pleriſq; eorũ promiſſa,
ut ſcilicet conſervãdæ vitæ ſuæ gratia, veram
Religioné abjurarét. Si vero conditio à victore propoſita, & à victis promiſſa, difficilis eſt dũtaxat atq; dura, vitæq; hujus tantũ incommoda continés, concedo eo caſu jurisjurandi potius rationé habendam, quam ullorũ commodorum, vel incommodorũ. Quam ob cau- *Ezech. 16. 17.*
ſam Deus acriter Sedechiam, ultimum è familia Davidis Regé, increpavit & punivit, quod contra juratam fidem a Chaldæorum Rege defeciſſet. Gabaonitæ certe etſi in duriſſimá ſervitutẽ a Ioſua adacti, nuſquam de eo conque- *Ioſ. 9. 25.*
runtur. Præcipue vero cum de Religione agitur, ſummopere cavendum eſt, ne quis temere ab iis quæ Deo juratus promiſit deficiendi licentiam captet. Qua in re tamen modus quoque ejuſmodi ſervandus erit, ut quemadmodũ nihil facile in Religione quiſquam immutare debet: ſic (quoniam non niſi cum maximo diſpendio in ea decipi poſſumus) nemo pertinaciter ea tueatur, quæ impie & illicite Deo promiſſa, obtentu Religionis fuiſſe conſtiterit. Quod quia non ſatis caute hactenus animadverſum fuit, multæ graves periculoſæ in mundo converſiones acciderunt.

Verum demus, fuiſſe gentem aliquam, quæ aut imprudentia, aut blandimentis, aut denique, quia bonum principem ſemel ex quapiá familia nacta, nimia facilitate præſumpſerit: tales quoque ſemper futuros omnes illius poſteros: ſeſe omnino, nulla expreſſa conditione, cuipiam ſubmiſerit, an propterea dicemus Principi illi omnia licere, quæ libuerint? An ne potius ea quæ natura ſua, ſancta ſunt & legitima, tanquam expreſſa habenda erunt? Quorſum enim alioqui res eva let? aut qualis demum vita hominum futura eſt? Si Princeps hujuſmodi euſque licétiæ proruperit, ut ſubdito-

ditorum parentes truculentus occidat, uxores ac filias conſtupret, domos ac poſſeſſiones expilet, denique ſingulos pro arbitrio juguler: quia ſcilicet populus, ipſius probitate confiſus, hunc ab initio ſibi Principem ſine ullis conditionibus aſſumpſerit?

II. à Comparatis.
I. Comparat. qualis. Populos in integrum potius eſſe reſtituendos, quam privatos homines.

Adhæc iniquiſſimum ſane fuerit, univerſæ alicui genti ac populo id denegare, quo æquitas ipſa privatis perſonis (quales ſunt minores, mulieres, mente capti, & qui ultra dimidium juſti pretii ſe fraudatos conqueruntur) ultro concedit, maxime ſi de mala eorum fide conſtiterit, quibus ſe ejuſmodi perſonæ obſtrinxerunt. An vero quiſquam magis improbæ fidei reperiri poteſt eo Tyranno, qui ſit uſque adeo impudens, ut perſuaſum eſſe velit, ſibi omnia licere per fas nefaſque, quia ſcilicet aut ita cum populo pepigerit, aut à majoribus ſuis talem poteſtatem acceperit? Fateor equidem interea (ſicuti abunde ſupra demonſtratum eſt) auctoritatem ordinum ſive ſtatuum tunc implorandam & interponendam: ne privatis hominibus quicquam ex ſeipſis aggredi aut moliri in ſtatum publicum liceat, neve inferiores Magiſtratus vocationis ſuæ cancellos tranſcendant.

Comparatio cum aliis hominib. qui inferiores in poteſtate habent.
II. Comparatio. Quid liberis in patrem liceat.
III. Com-

Sed quæro præterea: *an major ſit ſubditorũ erga Regem obligatio, quam liberorum erga parentem, mancipiorum erga dominum, aut libertorum erga patronum, qui eos manumiſit?* Audiamus vero inprimis quid Cicero, æquitate & ratione ductus, ſcribat de officio filiifamilias, cujus pater vi, patriæ ſuæ dominium uſurpare contendat: *Si Pater*, inquit, *dominationem manifeſta vi occupare, aut patriam prodere tentet, an filius tacebit? Minime, ſed patrem ſupplex rogabit ne id faciat: ſi autem precibus nihil profecerit, accuſabit illum, atque minis terrebit: quod ſi eo jam res proceſſerit, ut periculum ſit ne tandem patria obruatur, vitæ*

patris

patris ſalutem patriæ præferet. En qualis fuerit ejus viri ſententia, non ſolum rationi conſentanea, ſed etiam maximæ auctoritatis. Quod vero ad ſervos ſeu mancipia attinet: jure Romanorum cautum eſt, ut ſervus, cui Dominus ægrotanti opem non tulerit, liber habeatur. Et quod etiam majus eſt, ſervo ex juris ſcripti diſpoſitione, Dominum læſæ Majeſtatis reum accuſare licet. Quis vero hoc crimine magis tenetur, quam Tyrannus omnia jura tam divina quam humana manifeſte pervertens? Sed apud quem, inquies, accuſabitur? Reſpondeo, vel apud eos qui cum ejus creandi poteſtatem habuerint, habent etiam judicandi ipſum auctoritatem: vel apud eos qui præcipui ſunt ſupremæ poteſtatis defenſores, & à quibus nulla eſt provocatio. Si quamvis Liberti omnem Patronis ſuis obſervantiam debeant, adeo ut jure ordinario non niſi civiliter cum eis agere poſſint; certis tamen de cauſis (ut pote ſi atroci aliqua injuria à patrono fuerint affecti, eumue in adulterio cum uxore deprehenderint) poſſunt capitalem accuſationem adverſus eos, ex jure civili inſtituere. His argumentis ago, non ut conſcientiam legibus civilibus, aut Philoſophorum dictis tanquam regulis certiſſimis aſtringam: ſed duntaxat ut evidentiſſime oſtendã, quam iniqua ſit eorum opinio, qui nullam prorſus hominibus viam relinquunt, qua curſum imminentis vel aperte graſſantis tyrannidis abrumpere valeant, quantumuis crudelis & iniqua illa fuerit.

paratio. Quid ſervis in Dominos.

IV. Comparatio Libertis in Patronos.

Certe quod excipere ſolent, *Regem legib. non aſtringi*, in genere nec poteſt nec debet accipi, ut Regem aſſentatores, Regnorumque everſores occinunt: Nam ut taceam tot, omnium fere nationum, exempla quæ ſupra allata ſunt, quorſum tot graves veterũ Iuriſconſultorum ſententiæ, è jure naturæ excerptæ? Cuj-

Ad varias objectiones ſolutio I. Ob.

juſ-

juſmodi ſunt, *eos qui leges ferunt, legibus quoque obtemperare:* Et, *quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ipſe ut eodem jure utatur:* Et, *nihil imperio magis conducere quam ut Rex legibus utatur:* dignam denique vocem eſſe, *Principem legibus ſeſe ſubditum profiteri?* Itaque quod alibi à Iuriſconſultis dici videtur, *Principem eſſe ſupra leges, aut Principem legibus eſſe ſolutum,* non niſi de legibus civilibus, deque particulari & privatorum jure eſt intelligendum: Verbi gratia, de teſtamentis, de detractione Trebellianæ, aut Falcidianæ, non autem de jure publico, & ad ſtatum, ut dici ſolet, pertinente, multoque minus de jure naturali, aut divino: cui cum omnes & ſinguli homines ſubjiciantur, quatenus homines nati ſunt: omnino efficitur, aut reges homines non eſſe, aut illos hoc jure teneri.

Quomodo intelligi oporteat Reges legibus non ſubjici.

II. Ob. Quæ ſit inter jus Regnorum & jus gentium differentia.

Si quis rurſus objiciat, jus illud publicum, & ad ſtatum populi, aut gentis pertinens (de ejuſmodi enim loquimur) longe eſſe diverſum à jure naturæ, ac gentibus omnibus communi: Verum id quidem eſſe quibuſdam in rebus fatebor, ſed ita ut omne illud diſcrimen, in circumſtātiis hæreat, quæ efficere nequeunt, quin generalis illa æquitas, & ἐπιείκεια firma conſtanſque & eouſque maneat, ut omnis politia, quæ illi adverſetur (veluti exempli cauſa, ſi manifeſte impietates, latrocinia, ejuſque generis facinora, tum adverſus Deum, tum adverſus jus gentium ac bonos mores, probarentur) prorſus ſit & damnanda, & abjicienda.

III. Ob. Ordines ſupra Reges eſſe.

Poſſet & illud excipi, ſupremum Magiſtratum reum quidem eſſe, ſi aliter quam dictum ſit, dominetur. At nō habere alium Iudicem, quam Deum ipſum: quod Davidis quiſpiam exemplo probaverit, qui cum eſſet adulter, & homicida nefarius, à nemine tamen mortalium judicatus fuit. Sed reſpondeo primum: ex ſu-

ex ſupradictis ſatis perſpici Gentes ipſas populique ordines jus ſibi plerunque retinuiſſe frenandorum Principum, cui nulla vel vetuſtas, vel temporis præſcriptio obeſſe poſſit. Deinde multum intereſſe inter eum qui crimen ailquod ſemel, aut etiam repetitis vicibus commiſerit, & eum qui ex profeſſo omni ſcelerum generi ſit addictus: Item, inter Principem vitæ flagitioſæ, & eum qui juſtam omnem gubernandi rationem in regno ſuo evertat: neque enim ſupremum Magiſtratum cenſuerim pro privatis delictis (& quæ proprie perſonalia ſunt) eodem modo, quo ſubditos coercendum, ſed tamen poſſe uſque adeo perditum fieri, ut merito pœnis ac ſuppliciis in eum animadverti & poſſit & debeat. Quanto igitur æquius fuerit, cum de publico ſtatu agitur, ut his quibus hoc officii incumbit, liceat providere & omnino ſatagere, ne quid Reſpubl. detrimenti patiatur? quod ni fecerint, perfidi & in Deum, & in Patriam (quibus ſe juramento obſtrinxerunt) habeantur. His diſtinctionib. probe expenſis, & ad Davidis mores in genere (nec non ad publicã illam ſatisfactionem, quam de admiſſis publice agit pœnitentiam) comparatis: nemo mirabitur nõ fuiſſe quicquam gravius adverſus eum ſtatutum, vel tentatum. Præterea falſa eſt in univerſum ejus argumenti concluſio, ex qua infertur, non debuiſſe pœnas de delicto aliquo ſumi, quia ſcil. ſumpræ non ſint.

Non omnes Principes flagitioſos ſtatim Tyrannos eſſe

Cur David neque de adulterio, neque de homicidio damnatus fuerit.

Sed nec deerunt etiam fortaſſe qui Turcarum Imperatoris in ſuos ſubditos auctoritaté prætexant. Quibus uno verbo reſponſum velim, ejuſmodi imperium neque Regium neque humanum dici mereri, ſed prorſus barbarum, Tyrannicum, brutum atque execrandum: eo maxime, quod cum cæteræ Monarchiæ, & imperia (quãtumuis multis vitiis obnoxia) inſtrumenta tamen fuerint ad humanam

IV. Ob. De Turcica Tyrannide

nam ſocietatem conſervandam idonea : contra, Turcicam hanc tyrannidé appareat horrendum eſſe Dei flagellum, quo Deus mundo huic extremam ruinam, & everſionem juſto ſuo judicio minitetur. Itaque clara voce & ſonora profiteor, ſi qui hodie reperiantur, qui Regibus ſuaſores ſint, ut inde gubernationis ſuæ exemplar, & typum effingant, eos tanquam publicos humani generis hoſtes habendos, & ex terminio profligandos.

V.Compar. Quid uxori in maritum liceat.

1. Cor.7. 15.

Cæterum ut comparationes ſupra inſtitutas de jure privatorum in privatos perſequar, an ulla ſtrictioris juris obligatio inter homines dabitur quam Matrimonii, (in quo Deus ipſe tanquam hujus contractus præcipuus autor intercedit, & per quod qui duo erat, una caro fiunt.) At in matrimonio etiam ipſo, ſi pars una alteram deſerat, eam quæ deſerta eſt Apoſtolus, ab omni obligatione liberam pronunciat : quia deſerens præcipuam matrimonii conditioné violat. Fingamus vero quempiam profiteri, ſe velle uxorem apud ſe retinere, idque conari : ſi tamen innotuerit, ideo uxorem hunc appetere, ut illi mortem inferat, vel eam alia via de medio tollat : annon pro deſertore manifeſto habendus erit? At certe huic diverſa non eſt Tyrannorum mens, quum non alia ratione ſubditos in poteſtate habere contendant; quam ut miſeris ſuis cupiditatibus indulgentes, eos ad internecionem uſque perſequantur & opprimant: quidni igitur idem de utriſque ſtatuant, qui judicandi auctoritatem obtinent? Quod ſi ne Eccleſiaſtici quidem canones, uxorem quæ tuto apud maritum degere non poteſt, cogendam eſſe ſtatuunt, ut cum illo habitet: cur inferiori Magiſtratui, ſibi ſuiſque providere non concedetur, & adverſus manifeſtum Tyrannum ad ordines recurrere?

Ad hæc, cum & Regna, & Imperia ipſa, in feudis

feudis cenſeantur (quæ ſupremæ poteſtati hominis & fidelitatem ſeu ſubjectionem, & ſervitutem etiam debeant) videamus quale ſit Ius Feudorum. Ex lib. igitur 2. *tit.* 20. § *Domino & tit.* 47. apparet Dominum non minus in Vaſallum (ſive clientem) crimen perfidiæ committere poſſe, quam Vaſallum in Dominum: quo caſu feudum quidem Domini, ad Vaſallum non devoluitur. ſed redit ad directum feudi Dominum, à quo primario illud dependet, vel ad Domini agnatos. Hoc tamen certum firmumque manet, Dominum perfidiæ convictum, omne ſuum jus amittere, quod in Vaſallum haberet. Cujus rei ratio ex eo pendet, quod Dominus in omnibus vicem fideli ſuo reddere debet, alioqui merito maleficus cenſetur, ut habetur in *tit.6.de forma fidelitatis*, ad finem. Dico igitur propoſita quæſtione, Regem vel etiam Imperatorem, cujus dominatio à ſuprema pendet poteſtate, ſi in crimen illud perfidiæ erga Vaſallos ſuos, hoc eſt ſubditos, inciderit (quod utinam nunquam accidat) amittere feudum ſuum, non ut Vaſallis adjudicetur: ſed ut de eo diſponant ij, qui ſupremam illam poteſtatem referunt. Vt vero hujus argumenti firmitas cognoſcatur, notandum eſt: ejuſmodi indirectos (ſeu ut vulgo vocant *ſubalternos*) Dominos, nullum præſtare juſiurandum Vaſallis, cum eos inveſtiunt, adeo ut quod diximus obſervari adverſus eos qui crimen perfidiæ admittunt, non alia quam naturalis illius æquitatis ratione nitatur, quæ etſi expreſſa non fuerit, per ſe tamen ſemper ſubintelligenda veniat. Quid igitur (ut à minori ad majus fiat comparatio) ſtatuendum erit de eo, qui in crimen illud lapſus eſt erga ſubditos, quibus ſe expreſſo jurejurando devinxit? Præterea etſi demus Dominum in crimen illud perfidiæ nunquam poſſe ita incurrere ad-

Quid Vaſalli in Dominos feudi iuris habeant.

verſus

verſus Vaſallum, ut jus feudi amittat: At nemo dubitat Vaſallum hujus criminis reum adverſus Dominum ſuum, feudo merito privari. Cum ergo Imperator ipſe, ut ſupra annotatum eſt, ſubjectionem (ſeu *hominium*, ut vulgus appellat) Imperio debeat, utpote, cujus ipſe ſit primus, & ſupremus Cliens: (qua conditione etiam Reges in regnis ſuis eſſe multo majori, aut ſaltem pari ratione æſtimandum eſt) quis dubitet, quin Imperatores, aut reges à feudis ſuis decidant, ſi eo uſque perfidiæ proruperint, ut in manifeſtos, & deploratos Tyrannos degenerent? quandoquidem id experimento ubique comprobatum fuiſſe oſtendimus.

VIII. *Comparat.* Denique cum apud ſaniores omnes, eorum etiam qui ſe *Catholicos Romanos* vocant, tum certis rationibus, tum infinitis exemplis jampridem conſtitutum ſit & perſuaſum: concilium Oecumenicum ſeu generale eſſe ſupra Papam, eumque deponendi ſaltem propter crimen hæreſeos poteſtatem habere: conſequens eſt profecto, aut Reges majoris auctoritatis quam Pontifices, crimenque hæreſeos minus quam Tyrannidis crimen eſſe: aut populos tantundem ſaltem poteſtatis habere in Reges Tyrannos factos, quantum habet concilium in Pontificem hæreticum. Hæc eſt igitur noſtra de hac quæſtione ſententia, qua quæritur, quid juris habeant ſubditi (cujuſcunque ſtatus fuerint) in ſupremum magiſtratum, qui Tyrannus evidens ſit effectus.

QVAEST. VII.

Quid tum agendum, cum ordines cogi contra Tyrannum

Supereſt tamen adhuc in hac diſputatione non exigua difficultas. Quæritur. n. *Quid tum fieri debeat cum Tyrannus eouſq; potentia excrevit, ut Ordinum conventus* (quod legitimum remedium adverſus eam eſſe diximus) *prorſus vel conniventia, vel metu, vel malitia valentioris multitudinis ita impeditur, ut cogi nullo*

modo

modo poſsit? Reſpondeo privatos quidem homines, niſi vel ab inferiori Magiſtratu, vel à saniore ſtatuum parte (de qua mox fuſius) auctoritatem habeant: nihil hic remedii juſti habere, quam reſipiſcentiam cum patientia & precibus conjunctam, quas Deus utique non eſt aſpernaturus, & ſine quibus reliqua omnia remedia quantumvis legitima, Dei maledictioni ſuberunt. Nihil tamen impedit quin privatæ conditionis ſubditi ad intermedios Magiſtratus confugiant, eoſque de officio ſuo interpellent: qui ſi vel omnes, vel ſanior ipſorum pars, privatorum ejuſmodi opera uti voluerint, ſatis ſupra oſtendi, quid hi & Deo & patriæ debeant. Sane inferiorum magiſtratuũ partes ſunt, concordibus animis ſimul ſtatuũ conventum urgere: ſeſeque interea quantum & poſſunt & licet, adverſus manifeſtam tyrannidem tueri, & conſervare: denique ſingulis quoq; ordinibus hoc officii incumbit, ut legitimum ac generalem omnium ordinum conventum ſerio procurent; ne improbi, bonos; tardi diligentes; multitudo potiorem, ſanioremq; partem aut impediant aut remorentur. Quinetiam privati quique in ejuſmodi neceſſitate, Magiſtratibus ſubalternis ſeſe adjungere tenentur, & officium ſubditorum præſtare: &, ſi res poſtulet, licebit etiam ſaniori parti oppreſſæ, auxilia aliunde conquirere, præſertim apud Regni confœderatos & amicos. Ad cujus ſententiæ confirmationem citabo probatiſſima aliquod exempla. Ecce duæ integræ Tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſis, cum in Idololatriam incidiſſe exiſtimarentur, à reliquis omnibus tribubus armis impetuntur. Veruntamen nulla tribus in aliam jus poteſtatemque habebat, cum omnes duodecim non niſi unum univerſitatis corpus conſtituerent. Hinc igitur apparet, potiorem partem poſſe alterá in ordi-

non poſſunt. Quæ privatorũ remedia legitima & neceſſaria.

Exemplum Ioſ. 22. 12. Potior ſaniorque pars

ſpondeamus, quæ in contrariam ſententiam adduci ſolent, præter ea quæ incidenter jam & per occaſionem attigimus.

I. Ob, Supremorum Magiſtratuum poteſtatem infinitam non eſſe.

Iactari vero illud inprimis ſolet: *Magiſtratuum eſſe, maxime ſupremorum, præcipere, & imperium exercere.* Aſſentior & ipſe, ſed addo hanc poteſtatem legibus tum divinis, tum humanis eſſe definitam.

II. Ob.

Addunt præterea: *ſi reges in Tyrannos degenerent, neminem quidem iniquorum mandatorum miniſtrum eſſe aut fieri debere: ſed ſubditorum eſſe pati, ac ſupremi Magiſtratus mores patienter ferre, non ſeſe illis ulla vi opponere.* Iſtud ergo niſi adhibitis ſuperioribus diſtinctionibus non facile conceſſerim. Quarum ſumma eſt, privatas quidem perſonas (niſi auctoritate legitimi alicujus magiſtratus inferioris, vel ordinum gentis illius, tueri ſe poſſint) aut omnino ſecedere, uſque dum melior illis aura affulgeat, aut colla jugo ſubdere debere, à Deo patientiam aſſiduis precibus poſcendo, & interim ſub ipſius correctionibus proficiendo. Magiſtratuum autem inferiorum partes eſſe, bonas leges quarum defenſionem ipſi juraverint, ſtrenue adverſus omnes tueri, pro ea quam quiſque in ſtatu publico ſtatione ſortitus eſt: & hoc in genere omnes incumbere, ne leges ac cõditiones quibus ſtatus publicus nititur, ulla vi, vel externa, vel interna, labefactentur. Denique Imperatores, Reges alioſue ſupremos Magiſtratus ſumma poteſtate ita potiri, ut ſiquidem interea conſpicuum ſit, eos quam regendum provinciã ſuſceperint, potius depopulari, jurique ac rationi verſute, & impotẽter adverſari, & quod jurati promiſerint proterue trãſgredi, poſſint ac debeãt ad officium etiam armata manu (ſi aliter fieri nequit) reduci, cõpelli, adigique, ab iis, qui eos ad hanc dignitatem certis conditionibus promoverunt.

III. Ob. Davidem intra cancellos ſuæ vocationis conſtitiſſe dum ſe ad-

verſus Saulem tueretur.

1. Sam. 24 v. 7. & 26 v. 4. 2. Sam. 1. v. 16.

Ad hæc communiunt ſeſe exemplo Davidis, cui etſi jam regni ſucceſſio promiſſa eſſet ducis præcipui officio in bello fungeretur, dum tamen tyrannice impetitur à Saule, tantæ apud ſe auctoritatis unctum Domini fuiſſe oſtendit, ut deprehēſum neque ipſum lædere, neque ab aliis lædi voluerit, ſed exemplo illū mortis ſupplicio affici juſſerit, qui de eo ab ſe occiſo gloriaretur: illum denique, quantumvis iniquiſſimum Tyrannum, vivum & mortuum honore maximo ſit proſecutus. Cuncta hæc ego non inuitus agnoſco, & fateor etiam fidem, patientiam, ac bonitatem Davidis dotes fuiſſe incomparabiles & commendatiſſimas, quas deceat omnes Chriſtianos quam maxime imitari, & in exemplar ſibi proponere: addo etiam omnibus promiſcue ſive ſuperioribus, ſive æqualibus, ſive inferioris conditionis bona pro malis rependenda eſſe. At nego interim patientiam, & manſuetudinem, quæ in Chriſtianis requiritur, impedire, quo minus quis legitimis remediis uti poſſit, ad propulſandam injuriam, quæ illi infertur. Licitum eſt ſane rem ſuam in judicio ab injuſto poſſeſſore vendicare, & apud ſummum magiſtratum de injuria inferioris conqueri: quidni igitur eadem ratione apud ordines adverſus Tyrannū jus experiri licebit? Quod ſi præ tyrannide nulla ad juſtitiam via pateat, tantum abeſt, ut Davidis exemplum, iis quæ à nobis dicta ſunt adverſetur, ut manifeſte etiam pro nobis faciat. David enim Saulis furori ita ceſſit, ut interim militum copias non paruas ſecum aggregarit: quibus haud dubie liberius ad ſuam, ſuorumque vitam aſſerendam uſus fuiſſet, ſi eo neceſſitatis à Deo adactus foret, ut non niſi conſerta manu vim ſibi illatam valuiſſet propellere. Quod vero Tyrāni vitæ cum in manus ſuas incidiſſet, pepercit, id certe merito & pro officio fecit:

eit: Saul enim ſolium adhuc Regium obtinebat: neque vel Davidi, vel cuique alteri jus fuit Regnum illi aut vitam adimere, ſed ſolius Dei, aut ordinum, ut ſupra oſtenſum eſt. Cæterum longe aliud eſt adverſus Tyrannum, vel in judicio, vel oppoſitis armis, ſeſe tueri, aliud ex profeſſo aliquid, aut in tyranni vitam: aut in ejus ditionem moliri.

IV. Ob. Sedechiam non debuiſſe à Rege Chaldæorum deſicere.

Ajunt poſtmodum, Sedechiam Regem Iuda graviter fuiſſe reprehenſum atque mulctatũ, quod contra juſiurandum à Chaldæorum Rege defeciſſet: qui tamen legitimus Iudææ Dominus non erat, ſed apertiſſimus alienæ ditionis uſurpator. Quomodo igitur plus licebit ſubditis adverſus legitimum Regem, qui Tyrannus evaſerit? Reſpondeo, Sedechiam expreſſo Dei mandato, ac etiam præſtito juramento, ſeſe cum ſuis Regi Chaldæorum ſubjeciſſe, qui nullam non ſoluendi tributi occaſionem præbuiſſet. Quæ circumſtantiæ convincunt omnino Sedechiam, & ejus populares tanquam reos tum defectionis, tum periurii. Deinde concedo etiam non licere ſubditis à juramento ſuo diſcedere: neque probo, quod dici ſolet trito proverbio, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem:* contra enim cenſeo, non licere unquam fidem juſte datam fallere: ſed nego fidem à ſubditis falli, aut violari erga Tyrannum, quoties ſinguli ipſorũ intra metas vocationis ſuæ ſeſe continentes, curſum tyrannidis impedire conantur. Eſt enim Regula generalis, pactum ſub conditione vel expreſſa, vel tacite ſubintellecta, contractum ab eo ſolui qui conditionem violarit, non autem ab eo qui, cum ſub conditione tantum obligatus eſſet, ab obligatione liber ſit: non per ſe (eſſet enim perfidus) ſed per eum ipſum, qui prior rupit vinculum obligationis, nempe conditionem appoſitam. Supremo igitur Magiſtratu,

2. Paral. 36. 16. Ezechiel. 17. 12. 13. 14.

Tyranno facto, ipſe ſuo periurio populum à juramento liberaſſe cenſendus eſt, nō contra, cum populus merito in eum ſuo jure utatur.

V. Ob. Prætexunt ad hæc mandatum Dei, qui jubeat nominatim Iſraelitas preces pro pace & felici ſtatu Nabuchadnezaris crudeliſſimi Tyranni fundere: nedum ut Iudæis ab illius obedientia & imperio ſeſe ſubducere licuerit. Concedo id quoque: at primum reſpondeo, Iudæos non ſolum ſubditos privatæque conditionis, ſed etiam pleroſque ſeruos fuiſſe ſub Chaldæorum Imperio. Iam vero ſupra à nobis poſitum eſt, privatæ conditionis hominibus non licere in ſuos Magiſtratus inſurgere, vel ſeſe illis aperta vi opponere: multo minus ſervis in dominos, quātumvis duros iniquosue: quandoquidem hi & corpora ipſorū & bona in ſua poteſtate habeant. Hoc præceptū ergo iis, quæ ſupra à nobis ſunt poſita, nihil derogat. Præterea repeto rurſus, Iudæos (quod in tota hac hiſtoria maxime eſt obſervandum) in poteſtatem Chaldæorū expreſſa Dei voluntate veniſſe, quæ illis per Prophetas ſæpe fuit prædicta: tam abeſt igitur, ut Sedechiæ & reliquæ multitudini licuerit tempore captivitatis Tyrannidi Chaldœorum reſiſtere, ut ne antea quidem bona conſcientia potuerint ſe illis opponere, aut urbem Hieruſalem adverſus illorum oppugnationem protegere, quandoquidem præceperat Deus nominatim per Ieremiā ut urbē in manus Chaldæorū dederent, ſeſeq; illis ultro ſubjicerent.

Ier. 29. 7. Iudæos ſervos Babyloniorum fuiſſe nedum ſubditos.

Ier. 38.

VI. Ob. Hic etiam fruſtra regerunt quidam, hanc eandem Dei voluntatem in omni Tyrannide locum habere, cum nulla vel ſine, vel præter Dei voluntatem obtingat. Poſſem enim hoc idem argumentum in Tyrannos retorquere: quoniam minus à Dei voluntate pendet, quod Tyranni à ſuis ſubditis & popularibus expelluntur (ut pleriſque accidit) quam quod popu-

Dei providentiam juſtam defenſionem non prohibere.

populos tyranni ſæpenumero opprimant. Sed verior hæc erit reſponſio, ſi dicamus, Dei voluntatem eatanus nobis ſpectandam, quatenus ipſe nobis eam patefacere dignatus eſt; alioquin nullum erit tam atrox facinus, quod Divinæ voluntati imputari nō poſſit (cum ne ea quidem, quæ maxime fortuita cenſentur, caſu vel fortuito contingant.) Hinc fit, ut qui latronibus publicis occurrit (à quibus nemo trucidatur, niſi id divina voluntate permittente) juſtam illis ac inculpatam tutelam ex legum auctoritate opponere valeat: nempe, quia ſpeciale à Deo mandatum nemo habet ut ſeſe à latronibus ultro jugulari patiatur. Idē eſt omnino judicium de ordinaria illa, de qua loquimur, adverſus tyrānos defenſione. Quæ tamē tum demum locum habere deſinit, cum de Dei contraria voluntate apparet, ſicut evenit in eo Sedechiæ facto, de quo proxime diximus: & prius etiam in Roboami ipſius anteceſſoris cauſa: qui jure alioquin decem alias tribus à ſe deficientes fuiſſet inſectatus, niſi Deus id fieri expreſſè vetaſſet. At contra Matathias ipſiuſque liberi ſumma laude digni celebrātur, quod ſeſe crudeliſſimo tyranno Antiocho tam cordate oppoſuerūt, nullo id vetante Dei mandato, etſi abſque illius juſto judicio populum Dei non invaſiſſet Antiochus, & pleriſque etiā probaretur, gratuſque eſſet. *2. Paral. 11. 4. 1. Mach. 12.*

Objiciunt hoc quoque, Iſraelitarum defectionem illam à Roboamo, quāquam iniquo exactore, maxime improbari. Reſpondeo & ipſe, dupliciter in eo peccaſſe Iſraelitas. Primum, quod non convocatis Iſraelitici populi ordinibus (quo Roboamū ſive volentem, ſive nolentem ad officium cogerent) novum Regē eligendo, Regnum illud, quod unicum eſſe Deus voluit, in duo diſcerpſerint. Deinde, quod à Davidis familia (quam non ignorabāt ad regnum à Deo ipſo fuiſſe selectam) diſceſſerint. *VIII, Ob. Decem tribus juſtam cauſam injuſte adverſus Roboamum perſecuti ſunt 1. Reg. 21. v. 30.*

ſerint. Sed hæc adverſus nos minime militāt. Nec quicquam etiam juverit, Ieroboami vocationem ab Ahia Propheta ipſi patefactam, prætexere, quandoquidem tota hiſtoria ſatis teſtatur, non eo reſpexiſſe populum cum à domo Davidis rebellaret, & Aburamum quæſtorem occideret, ſed viam, qua ſunt ingreſſi manifeſtam fuiſſe defectionem: cum potius legitimo juſtoque armorum uſu tyrannidi occurrere & potuerint & debuerint. Ita fit ſæpe aliquid injuſte quod tamen per ſe juſtum eſſe nihil prohibet.

VIII. Ob, 1. Pet. 2. 1. Tim. 2, 2 Quo ſenſu accipiendum. Quod jubentur fideles pro tyrannis orare.

Contendunt inſuper & illud pro ſe facere, Quod divi, Petrus & Paulus jubent aperte preces pro regibus ac aliis magiſtratibus fieri, qui tamen ipſorum tempore non ſolum Ethnici, ſed immaniſſimi adeo tyranni erant.. Fateor ſane: ſed præterquam quod ad privatas perſonas adhortationes illæ diriguntur (quibus nullū aliud remedium quam preces & patientiam reliquum eſſe ſemper diximus) meminiſſe hic quoque oportet, cum dicimus, Magiſtratus inferiores, aut Regni alicujus ordines poſſe, imo & debere tyrannidi obſiſtere: id neque officio privatorum Chriſti fidelium quicquam detrahere, quo vetantur malum malo rependere, ſed in bono vincere malum, & pro inimicis etiam orare: neque Magiſtratuum ejuſmodi defenſionem prohibere, quin pro converſione etiam ipſius Tyranni, cui reſiſtunt, apud Deum ſint ſupplices: illique reſiſtendo, quantam fieri poteſt reverentiam ex animo & vere exhibeant. Quanquam & illud notandum fuerit, poſſe Tyrannum eo uſque impietatis provolui, & tam execrandas in Deū inimicitias exercere, ut nominatim adverſus eū publicas preces & execrationes concipere non ſolum liceat, ſed ſit etiam aliquando operæ pretium: quod exemplo ſuo olim vetus ac primitiva Eccleſia

palam

palam teſtata eſt, quum Iuliano Cæſari cognomine Apoſtatæ, non ſolum publice imprecata, ſed etiam exaudita eſt.

Citant denique Chriſti ipſius exemplũ qui tributum Tyberio Cæſari quamvis injuſto Iudæ uſurpatori mõſtroque potius quam homini, pependit, cum conſtet ex adverſo quotquot Romanis Imperatoribus per ſeditionẽ reſtiterant (quales imprimis memorantur Iudas ille Galonites, Theudas, aliique factioſi: ac tota tandem Iudæorum natio, ne falſam Ethnicorum Religionem amplecti cogerentur) miſere periiſſe. Quibus reſpondeo: magnum eſſe diſcrimen inter Ius Regium & tyrannidem: itaque quamvis Ieſus Chriſtus cœli terræque Dominus eſſet: ad quem etiam, tanquam ex Davide prognatum Regnum Iudæorum potius quam ad Romanos, vel ad Herodem, jure pertineret: quia tamen non ideo in mundum venerat, ũt humano more dominaretur, ſed ut quaſi privatus hac in parte, & prærogativæ Davidicæ familiæ renuncians, vitam hic degeret: ideo ſuo illo exemplo confirmare voluit, juſte Regibus, ac principibus tributa ac reliqua ſubſidia, & deberi & perſolui. Quanquam enim Romani Imperatores injuſte ab initio Regnum Iudæorum invaſerunt: ejus tamen legitimi tandem Domini evaſerunt, partim juſto Dei judicio partim conſenſu, & approbatione, ſi non omnium, at certe valentioris multitudinis Iunis Iudæorum, quod ſatis aperte ſignificarunt, cum omnes fere acclamarent: Non habemus Regem niſi Cæſarem.

IX. Ob. Quid Iudæi adverſus Rom. ſeditionem moventes à Chriſto differant qui ſeſe illis volens ſubmiſit.

Matth. 17 27.

Act. 5. 36 37.

Rom. 13.

Ioan. 19.

QUAEST. VIII.

Quid liceat adverſus injuſtos exactores.

QVid ſi vero, dicet quiſpiam, Princeps populum nimiis injuſtiſque tributis opprimat? Tunc ubi decenter admonitus fuerit, poſſunt certe ac etiam debent ii, qui prima ac ſum-

Non omnẽ Principem ex-

ſumma valent auctoritate ex Regini legib. publicæ utilitati conſulere. Sed & hic notandú eſt: Principem qui ejuſmodi in reb. modum excedit (quia aut prodigus, aut avarus, aut aliis eſt vitiis deditus) non ſtatim pro Tyranno eſſe habendum: Tyrannidis. n. index ac veluti individuus comes eſt, obfirmata malignitas, quæ ad ſtatum publicum, legeſque (quibus Regnum ceu fundamentis conſtat) evertẽdas totis virib. enititur. Addo & iſtud, quamvis juſta occaſio opponendi ſeſe manifeſtæ tyrannidi quandoque offeratur, meditandã tamẽ ſubinde, atq; ſi fieri poteſt ſequẽdam, eximiam illam ab homine Ethnico prolatam γνώμην: *Omnia prius experiri conſilio ſapientem, quam armis, decet.* Itaque cum imaginem Cæſaris in templum inferre conaretur Petronius, juſtam quidem videbantur habere Iudæi ad arma capeſſenda occaſionẽ (ut ſuadebat Matathiæ zelus) potius quam qui templum Dei idolo violari paterentur: at multo prudentius conſiliũ inierunt, cui etiam Deus benedixit, cum Petronio libere indicarent, nolle ſe equidem adverſus ipſum pugnare: verum nunquã paſſuros quamdiu eſſent ſuperſtites idolũ illud in Templo collocari. Cæterum etſi Albini & Flori exactiones ęquiſſimã illis denuo querimoniarũ cauſam præberent, & tum quoque de rebus ad Religionem pertinentibus quadantenus ageretur: omnia tamen Iudæorum acta ſatis oſtenderunt, non aliud eos, quam meram defectionem, ac rebellionẽ affectaſſe, quæ cum legitimis, de quibus diximus, remediis, nihil haberent commune.

Actorem, pro tyranno habendum.

Non quicquid licet, idẽ ſemper expedit.

Quaest. IX.

An ſubditi cum Principibus poſſint paciſci.

Reſpondendũ eſt porro nunc illis quoque, qui exiſtimant non decere ſubditos cum ſuperioribus paciſci. Quæro igitur primum qui-

quibus nitantur fundamentis? Si enim rationibus agendum eſt quales quæſo illas ſatis firmas prætexent? *Subditorum eſt*, inquiunt, *à Principum ſuorum autoritate, & mandatis pendere, non contra.* Vnde conſequens eſt, poſſe quidem ſubditos modeſte ac reverenter Principibus ſuas exponere querimonias, atque illis libere ſuum conſilium impertiri, ſi rogentur: ac minime ulterius progredi. Reſpondeo: Non licere omnino ſubditis Magiſtratus ſuos ſive inferiores ſive ſupremos, niſi cum ſumma reverentia accedere: idque non ſolum propter metum indignationis eorum, ſed etiam propter conſcientiam, ut docet Apoſtolus, cum hæc Poteſtas à Deo ſit conſtituta. Aſt nego ex hoc fundamento talem poſſe necti conſequutionem: Oportere ergo Subditos, quoties de rebus politicis & ad ſtatum, ut dicitur, Regni pertinentibus agitur, ubi quod juſtum & æquum, legibuſque (ſub quibus Princeps ille electus & conſtitutus fuit) conſentaneum ipſis videtur, modeſte ac reverenter illi expoſuerint, deinceps neceſſario ſeſe illius arbitrio totos ſubjicere, idque omnino abſque ulla exceptione ſequi, quod illi fuerit collibitum. Quinimo contra libere aſſero: nullam ipſi injuriam fieri, ſi ad officium compellatur: & ubi nullus amplius rationi locus ſupereſt, ulterius etiam adverſus eum fiat progreſſus. Siquidem cum non niſi certis conditionibus adminiſtratio illi ſit commiſſa: minime cenſendum eſt, novas pactiones cum ipſo iniri, quoties interpellatur ut vel priores conditiones ratas habeat, eaſque deinceps obſervet: vel alteri locum cedat, qui de illarum obſervatione magis ſit futurus ſollicitus. Quod ſi exemplis probandum eſt, arbitror ſatis multa ſupra à me allata eſſe, quibus conſtet aperte, nulla ratione nulloque uſu aut bene conſtitutæ Mo-

Rom. 13.

narchiæ ulla experientia niti, aut defendi eorum propoſitionem poſſe, qui audent affirmare, ſufficere cunctis debere ſubditis nudam Regis ſui voluntatem.

QUAEST. X.

An, qui propter religionem perſecutionem patiuntur, adverſus Tyrannos ſeſe tueri ſalva conſcientia poſsint.

RELIQUUM eſt tandem, ut maximi momenti Quæſtionem ſoluam, qua quæritur: *an Tyrannidi, veram religionem impetenti atque atiam quoad poteſt opprimenti, liceat juxta ſuperius poſitas conditiones diſtinctioneſque, armata manu obſiſtere, & perſecutioni obuiam ire?* Dubitandi hæ præcipuæ cauſæ eſſe poſſunt: Primum cum Religio ad conſcientias pertineat, quibus nullo modo vis inferri poteſt, non videtur illa ullis armis ſtabilienda aut defendenda: quam ideo prædicatione verbi Dei, precibus, ac patientia hactenus potius propagatam conſpicimus. Extant præterea loci permulti in ſcriptutis quibus oſtenditur quanta ſit inter regna hujus Mundi, & Regnum Chriſti ſpirituale, differentia. His denique ſubjiciuntur exempla ſanctorum Prophetarum, ac ipſius demum Domini noſtri Ieſu Chriſti, penes quem, etſi omnis foret auctoritas, potentia & virtus, nunquam tamen ipſe hanc defenſionis rationem eſt aggreſſus, quemadmodnm nec ipſi Apoſtoli, nec ſubſequentes ulli Martyres: uſque adeo ut ne integræ quidem Chriſti fidelium legiones, armis inſtructiſſimæ mortem oppetere recuſarint, potius quam exerto gladio adverſus hoſtes veritatis ipſos inſectantes, ſeſe defenderent. Reſpondeo primum: abſurdam eſſe, imo etiam falſam eorum opinionem, qui putant Media illa, quibus pro-

Cauſa dubitandi.

Media civilia non pugnare

proprie res ac negotia hujus mundi defen- duntur (qualia ſunt tum Iudicia, tum arma) non modo differre à mediis, quibus ſpiritu- alia defendi poſſunt, ſed cum illis velut ex diametro pugnare, adeoque iis adverſari, ut nullum poſſint aut debeat illa in Religionis negotio locum habere. At ego contra, Præ- cipuum optimi cujuſque Magiſtratus munus eſſe dico, ut quicquid mediorum auctorita- tis, & potentiæ, illi à Deo conceſſum eſt, hoc totum omnino conferat, ut inter ſibi ſubditos Deus ipſe vere agnoſcatur, agnituſ- que tanquam ſummus regum omnium rex, colatur, & adoretur. Itaque qui talis erit, non ſolum omnes Iuriſdictionis ſuæ vires, legumque auctoritatem, adverſus veræ Reli- gionis contemptores, perturbatoreſue (qui cenſuris admonitionibuſque Eccleſiaſticis nullum locum relinquunt) exercet ſed arma- ta etiam manu in eos animadvertet, qui ali- ter ab impietate cohiberi nequeunt. Ad cu- jus ſententiæ confirmationem ſcriptura ip- ſa, & rationes, & exempla innumera nobis ſuppeditat. Rationes quidē ſunt hujuſmodi. Cum finis omnium bene conſtitutarum Po- litiarum non ſit ſimpliciter hujus vitæ tran- quillitas (ut quidam Ethnicorum Philoſo- phorum ſunt arbitrati) ſed Dei gloria, ad quā tota hæc hominum vita dirigenda eſt: Inde conſequitur, Eos qui populis præſunt, omnia ſua ſtudia omneſque facultates à Deo accep- tas, huc referre debere, ut purus Dei cultus, à quo ipſius gloria pendet, maxime apud eos quos in poteſtate habent conſervetur, permoveaturque. Deinde, videmus ulti- mum politiarum finem eſſe hujus vitæ quie- tam conſervationem; fatendum tamen fue- rit, ejus & obtinēdæ & conſervandæ unicam hanc eſſe rationē, ſi Deus vitæ noſtræ tum au- ctor, tum moderator pie, recteq; colatur. Te- ſtimo-

cum Religioſis mediis.

Potiſſimū munus Principis puram Religionem inter ſuos tum conſervare tum propagare.

Ratio 1.

Ratio 2.

ſtimonia autem ſeu exempla ſunt prope infi-
Exempla. nita in ſcripturis. Patet enim inprimis Patri-
*Gene.*14.18 archas illos Veteres ſummos fuiſſe ſimul, &
1. *Sam.* 4. ſacerdotes, & Magiſtratus apud ſuos: quod de
18. Melchiſedecho & Heli nominatim traditur:
& quamvis diſtincta poſtea duo hæc munera
fuerint à Domino, hoc ideo nō accidit, quod
illa inter ſe pugnarent: ſed quod unus vir, u-
trique exercendo vix ſufficeret. Præterea cum
II. Rex jubetur volumen legis apud ſe habere, ut
*Deut.*17. dies & noctes in illius ſe electione exerceat,
18. non tanquam à privato homine iſtud exigi-
tur, ſed tanquam à Rege & publico Magiſtra-
III. tu. Porro inter leges, quarum executio de-
*Deut.*13. mandatur Magiſtratibus, illæ præcipuæ ha-
bentur, quæ veræ Religionis contemptores
morti adjudicant. Quarum obſervationem in
Davide cernimus, qui totum Dei cultum cer-
tis legibus ſanxit: in Salomone qui mandata
patris in tranſgreſſores implevit. Item in E-
dictis regum Aſæ, Ioſaphat, Ezechiæ, Ioſiæ,
imo etiam Nebuchadnezaris, & Darii, cum à
Daniele Propheta ad Deum adorandum per-
ſuaderentur. Poſtremo cum Apoſtolus affir-
mat reges, & principes à Deo in hoc eſſe con-
ſtitutos, non ut honeſte tantum, ſed etiam ut
IIII. pie vitam tranſigamus, (hoc eſt ut non ſolum
2. *Tim.* ſicut probos & honeſtos homines decet, con-
2. *verſ.* 2. verſari in hac vita, ſed etiam ut religioſos &
ſecundum pietatem in Deum vivere poſſimus)
non eſt dubium quin totam hanc quæſtionem
pauciſſimis verbis definierit. Hinc videmus
priſca Concilia adverſus hæreticos, non au-
ctoritate Romanorum Pontificum (qui nō-
dum tales deprehenſi fuerant, quales longo
poſt tempore innotuerunt) ſed Imperatorum
mandato fuiſſe coacta hoc re medio, ex pio-
rum Epiſcoporum ſuaſionibus cognoſcerent.
Extant quoque innumeræ conſtitutiones, &
Eccleſiaſtici Canones tam ab Imperatore Iu-
ſtiniano

Iuſtiniano, quam ab ejus ſucceſſoribus atque etiam à Carolo Magno, aliiſque editi, qui idem comprobant. Quorſum vero hodie etiam Monarchæ à Romana illa meretrice tam furioſe incitantur, ad eos quos ipſi *hæreticos* vocant, igni ferroque perſequendos, & eliminandos, niſi quod hoc ipſorum muneris eſſe contendit? Qua in re optimo quidem & certiſſimo nititur fundamento, ſed quo non minus quam inumeris aliis veritatis teſtimoniis abutitur, ad ſcilicet impietates & blaſphemias vel ſtabiliendas, vel tuendas. Sed quorſum, inquies, tam prolixa digreſſio? neque enim quæritur, *An Reges aut Magiſtratus pietatem tueri, & promovere debeant, ſed an ſubditi adverſus perſecutores ſeſe armis tueri poßint?* Reſpondeo ergo ad id quod priore loco ſupra fuit propoſitum: aliud eſſe religionem nunc primum in aliqua regione introducere: aliud eam jam alicubi receptam conſervare, ſeu collapſam hominumque aut conniventia, aut inſcitia, aut malitia, ſepultam velle reſtituere. Nam plantandam quidem ac propagandam ab initio ſola ſpiritus Dei virtute confiteor, idque verbo Dei ad docendum, arguendum, hortandumque idoneo. Hoc. n. proprium Spiritus ſancti opus eſt, inſtrumentis ſpiritualibus utentis. Itaque pii principis qui ſuos ab idololatria & falſis ſuperſtitionibus ad veram religionem pellicere cupit, partes erunt, curare primum, ut illi veris firmiſque argumentis in pietate inſtituantur: Sicut è diverſo ſubditorum partes ſunt, veritati rationiq; aſſentiri, ac facile cedere. Tandem vero princeps piis ſanctiſque edictis veram religionem ſtabilire ſataget, adverſus eos qui mera pertinacia illam impugnabunt eive reſiſtent. Quémadmodú noſtris temporibus in Anglia, Dania, Suedia, Scotia, & maxima Germaniæ atque Helvetiæ parte factum cernimus adverſus

Veram religionem non eſſe quidem vi & armis introducendam, ſed iam receptam conſervari & defendi armis poſſe adverſus tyrannos, nihil prohibet.

Pon-

Pontificios, Anabaptiſtas, aliosque hæreticos. Quorum exemplum ſi reliquæ nationes ſequi mallent, quã Romanæ illi, tam ſanguinariæ meretrici fidere, & obſequi: ne major in toto orbe tranquillitas, tam in ſtatu religionis, quam Politiæ conſpiceretur? Quid igitur Subditis erit agendum, ſi contra ad idola colenda à ſuo Magiſtratu compellantur? Certe non patitur quidem ratio, ut principem ad mutationem omnimodam ſtatus ſui aſtringant, quinimo aut perſecutionem patienter ferre (dum interea Deum pure colant) aut omnino ſolum vertere, novaſque ſedes quærere neceſſe habebunt. At ſi edictis legitime rogatis & publica auctoritate conſtitutis, confirmatiſque, ſemel puræ religionis liberum exercitium fuerit conceſſum, tum principem dico ad eorum obſervationem tanto magis obligari, quanto negotium religionis, majoris eſt præ cæteris omnib. rebus momenti: adeo ut illi fas non ſit, ea pro ſuo arbitrio, & ſine cauſæ cognitione abrogare, ſed eadem auctoritate duntaxat intercedente, qua ab initio fuerunt ſancita. Si ſecus fecerit, manifeſtam tyrannidem ipſum exercere affirmo: cui ſeſe opponere (adhibitis tamen ſupradictis obſervationibus) eo etiam liberius licebit, quo animarũ ſalutem, conſcientiæque libertatem debemus pluſquam res ullas, quantumvis optabiles, chariorem pretioſioremq; habere. Nemini igitur iam mirum fuerit, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Prophetæ item ac Apoſtoli, reliquive martyres, cum privati eſſent homines ſeſe intra metas vocationis ſuæ cõtinuerint. Et quod vel ad illos ſpectat, qui publicum gerebant munus, vel ad legiones illas quæ cum ducibus ſuis martyrium in media acie ſunt perpeſſæ, nulla oppoſita defenſione, etiamſi qui illas inſectabantur edicta in favorem Chriſtianorum prius factu violaſſent (ut

ſub

ſub Diocletiano & Iuliano Imperatorib. præſertim accidit) Duplex eſt, inquam, de illis reſponſio. Nam primo etſi quidam Imperatores ante Diocletianum, perſecutiones aliquatenus leniiſſent (ut feciſſe Adrianum, Antonium & Alexandrum conſtat) publicum tamen religionis Chriſtianæ exercitium nunquam quiſquam eorum conceſſerat, Deinde repeto hic quoque illud, non quicquid licet, idem quoque ſemper expedire. Neque enim dixerim ſemper neceſſe eſſe, religionem publicis edictis conceſſam, armis adverſus manifeſtam tyrannidem tueri & retinere: ſed illud tamen fas eſſe, & licere, præſertim illis quibus hoc onus incumbit, & quibus Deus opportunitatem dederit: ut Lobnenſium exemplum adverſus Ioramum & Ieroſolymitanorum adverſus Amaſiam, bellumque Conſtantini adverſus Maxentium rogatu civium Romanorum ſuſceptum (de quibus ſupra) abunde evincunt. Hinc conficio, inter Martyres cenſendos eſſe non ſolum eos, qui tyrannidem hoſtium veritatis, nulla alia defenſione, quam patientia pervicerunt: verum etiam illos qui legum aut eorũ quibus jus eſt leges tueri, auctoritate, ut par eſt, ſuffulti, manus ſuas Deo ad defenſionem veræ religionis conſecrarunt. Atque hæc quidem hactenus ad hanc poſtremam objectionem reſpondere placuit, in eorũ gratiam qui eam in medium proponunt, ut conſciẽtiæ ſuæ conſulant: quia verentur nẽpe, ne contra Deũ peccent, ſi quid ejuſmodi tẽtaverint. Ad genus vero illud hominũ quod attinet, qui aliud mundo emolumentum non præſtant, quam quod innocuo ſanguine omnia complent: principum auctoritate abutentes, ut ex eorum ruinis ſua commoda venentur, & augeant: quique interim tanta ſunt impudentia, ut his objectionibus, eos impetere, & oppugnare audeant, qui non

Qui Martyres cenſendi.

ultro ſeſe illis jugulandos præbent, ſuam ſcilice crudelitatem & effrenem licentiam, pretextu religionis, & zeli, falſo palliantes. Hoc inquam genus hominum non alia reſponſione dignaret, quam ea quæ prædonibus merito fieret, qui mercatores alioſue viatores in jus vocarent, quod non niſi gladio accincti ad ſui defenſionem itineri ſeſe committerent, illis hoc non licere contendentes, etſi ipſi quodvis genus armorum ad illos jugulandos uſurparent. Quin mihi iſti execrandum illum Fimbriam Romanum (cujuſmodi ſicarios ære conductos, multos hodie videre eſt) in memoriam reducunt: cujus tam inſolens fuit audacia, aut potius impudens protervia, ut cum tempore Syllanæ proſcriptionis Scævolam, (virum inter Romanos cives eximia tum virtute, tum probitate clarum) vulnere ſauciandum curaſſet, nec ut optabat illo interemptus eſſet: conqueri, illique minari audebat, futurum ut in judicium abs ſe quaſi maxima injuria affecto, vocaretur, quod ſicam ad præcordia uſque non ultro admiſiſſet. Cum ejuſmodi vero hominibus quia ſuperflua, & inutilis foret omnis diſputatio; omnes non tam ad propriam ipſorum conſcientiam (qua plerique iam prorſus deſtituuntur) quam ad illius tribunal mihi ſunt relegandi: cujus ſummum imperium judiciumque ipſos vitare nequiviſſe, & tempus & res ipſa tandem certo experimento comprobarunt.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM ET

Verborum in Machiavelli Principem.

Acquirendi ſtudium à natura pag. 21
Actionum contrariarũ principum diſputatio pag. 93
Adhortatio ad Italiam à Barbaris liberandam. 117
Agathocles ex infimo in regem evaſit 41. in quibus laudandus & vituperandus ſit 42.43
Agathoclis & Oliverrotti collatio 44
Alexander Imperator tam probus cur interemptus 87. ejus laudes ibid.
Alexander VI. Pontifex, ſummus impoſtor & fœdifragus 79
Alexandri Sexti cogitationes novi princip. 34. & artes. ib
Avaritia ſive parcitas vitiũ quidem, ſed dominandi rationem non impedit 74
Aloyſii regis Galliæ error ingens 65
Annibalis Bentivoli conjurationis exemplum 83
Annibalẽ ſævitia in exercitu auguſtum reddidit 76
Antonius Venafrus Petrucij adminiſter, hero exiſtimationem conciliavit 103
Antonini Imper. virtutes & vitia 89
cur interfectus ibid
eius error ibid
Auxiliaria arma evocanti pernicioſa 62.63
Arcẽ Mediolani conſtruxiſſe magnus error 97
Arces qui male ædificant 97
Arces ſervandæ, an deſtruendæ ibid
Arma qui primi in Italia excitarint poſt exactos Cæſares 62
Arma principis quæ 57
Arma propria & mercenaria quibus differant 64
Davidis exempla 65
Arma propria mercenarijs mixta ibid
Arma propria quæ ſint 66
quæ ratione ordinanda ibid
Arma conductitia pernicioſa exemplis probatur, 58. &c.
Arma mercenaria pericuIoſa 58.59
Arma piaqua 114
Arma quibus auferenda à principe 94
Ars Imperantis quæ & quãta virtutis 67
Artificum Tribus principi in honore habendæ 102
Aſſentatores qua ratione à principe fugiendi 104.105

B.

Bellum iuſtum, quod neceſſarium 114
Borgiæ forma principatus fundamenta 40
Borgiæ factum inſigne 37.38. 39. animi magnitudo 36. vide Cæſ. Borgia 40

Car

C.

Carmagnola cur à Venetis occiſus 15
Caroli VII. Gall. regis prudens conſilium in parandis proprijs armis 65
Carthago cur deleta 27
Cauſæ cur pontificius principat. in rebus profanis ante Alex. VI. contemneret. 54
Cæſar Borgia ut principatum adeptus ſit 33. *exemplum novi principatus* 25
Cæſ. Borgiæ artes, conſilia 34 35. *fundamenta ad principatum* 33. *verba ad Machiavellum* 43
Cæſar Borgiæ actiones novo principi præcepta eſſe poſſunt 33
Cæſ. Borgiæ imprudentia 35
Cæſa. Borgiæ quid defuerit 38
qui cardinales timendi ib.
Cæſaris Borgiæ laus 40
Cæſarum interfectorum præcipua cauſa 85
Civit. quæ ſeipſas perdunt 27
Civitates quæ libertatem amiſerũt, ut regi debeant 27
Civitates principi parere aſſuetæ 27
Clementia ne abutantur, danda opera principibus 75
Clemens princeps eſſe debet, non crudelis ibid
Columnij a Borgia auriti 35
Columnenſes & Vrſini cur quieſcant 56
Coloniæ cur fideles 17. 18
Colonias ad retinendam provinciam prodeſſe ibid
Comm. Imp. cur interfectus 90
Conjurationes paucis feliciter ceſſiſſe 82
Capua cur deleta 27
Cyri exemplum 30

D.

Darius ut regnum adept. 32
Decertandi duo genera, legibus & viribus 78
Defectio ſubditorum quid principi proſit 15
Diſciplina nova militaris inſtituenda ab Italis 115. 116
Dominatus noviter parti 107
Duces exercitus mercen. 58.

E.

Exiſtimationẽ quomodo quis ſibi comparet 96
Exercitus Imp. ſævus potius quã clemens eſſe deb. 70. 71

F.

Felices qui dicuntur homines, qui infelices 110
Ferdinandi Aragonij res geſtæ & gloria 98. *Pia ſævitia* 99
Fidem ſervare in principe laude dignum 78
Flaminia reſtituta Valentini crudelitate 74
Florentinorum imperium cur armis mercenarijs auctum 59
Fœdera & conventa à malis non ſervari, quare nec illis ſervanda fides 78
Fortunam torrenti ex mont. fluenti compar. auctor 109
Fortunam Iulio 2. *effrenate agenti,*

agenti, faviſſe 111
Franciſcus Sfortia principatum acquirit 33
Franciſci Sfortiæ & filiorum contraria exempla 67.68

G.

Gallia num difficulter occupari poßit, & cur 25
Galliam occupare volenti, difficult. occur. & cur. 26
Galliarum regni quæ major ſecuritas 84
Galliarum regnum bene conſtitut. & ſapienter ibid
Gallorum error 21
Galli regem ſuum rever. 24
Græciam cur Turca conſer. 16
Germaniæ civitates cur non facile timeant 51. bene munitæ ibid
Germanorum & Helvetiorũ eadem diſcip. militaris 112

H.

Helvetij an vinci poßint 111
Hieron Syracuſanus ex privato princeps factus 31
Hieronis Syr. ars regn. ibid
Hiſpanos ab equitatu Gallico proteri 116
Hominum improbitas & perfidia principi eludenda 79

I.

Imperator militaris liberalis de alieno eſſe debet 73
Imperatores & principes liberalitate res magnas conſeciße ut intelligendũ ibid
Imperatorum cædes ex odio & contemptu profectæ 92
Imperiorum nomina 13
Immanitas Valentini Borgiæ quid boni peperit 74
Inclementia novitate regni excuſanda ibid
Injuriæ unde fiant 40
Ioann. Acuthus Florentinorum dux 59
Ioann. Foglianus 43
Italiæ excidium a mercenarijs auxilijs 57
Italorum ingnavia 115
Italos belli imperitos, ait Gallus: Italus reſpondet, Gallos regnandi rationem non tenere 23
Iulius II. quantum Pontificium regnum auxerit 28
Iulius II. quæ bella parcitate ſua geſſerit 73
Item Ferdinandus Hiſpa. rex catholicus ibid

L.

Legislatores armati 31
Leges bon. ubi ar. bon. ſunt 66
Leges avitæ ſervatæ principem conſervant 16
Legum cond, ut expendend. 31
Leges novas dare diffic. & 30
Levitas in exercitum Scipioni exprobrata 77
Liberalitas erga mil. util. 74
Ludovicus XII. Mediolanum non potuit retinere 15
Ludovici XII. Rex Gall. leges adminiſtr. non ſervavit. 20
Ludovici XII. regis Galliæ conſilium prudens ibidem
Ludov. regis XII. errores 22
Ludovici regis Galliæ XIII. maximus error 23

Ma-

Machiavellus principem hypocritam inſtruit 79
Max. errores, & cædis cauſ. 92
Maximiliani ingenium in gubernanda rep. 105. cur in propoſito non manebat ibid
Metui an amari princeps curare debeat 83
Militia Ital. cur corr. 115. 116
Militia in Ita. inutilis 61. 62.
Milites ſi loco coloniarum ſubſtituantur 17
Militaris diſc. princ. ars 62
Militaris diſciplinæ quot ſint formæ 56
Modi tres regendi principatus noviter parti 27
Moſis, Cyri & Theſei virtus quando enituit 113
Moſen more aliorum non eſſe aſſecutum principatum ſed Dei iuſſu 29

N.

Nabidis Spartani exempl. 49
Numantia cur deleta 27

O.

Occaſio adipiſc. principa. 29
Odium inveteratum novis beneficijs non deleri 37
Oliverotus Firmanus, eius virtus & facinora 43. eius ſolertia 44
Opinio quæ rerũ converſiones fortunæ tribuit 106
Oppugnationes in quem principem difficiles 81
Optimates à principe deligendi aut odio habendi 48. 49
Optimates in libera civitate imperare volunt. 46. 47
Pandulpdus Petrucius Senenſium princeps 96
Paulus Vitellius 43
Paulus Vitellius Florentinorum dux 59
Paul. Vrſi. quib. art. decept. 36
Pertinax cur occiſus 85
Philopœmenis laus 68
Piſani in Gallor. clientela 38
Piſanorum exemplum 27
Pontif. Turcico imp. ſimul. 61
Pont. quantũ potentia val. 53
Pont. princip. cur ſecurus & indefenſus 53. cur tantum in reb. profanis accreverit ut à regibus timeatur 54
Pont. regn. poſt exactum Italia imp. quib. artib. creverit in profanis 58. 59
Popular. aura quando & cui non captanda 49
Populus interdum uni imperium defert 44
Populus ſibi ab optim. imperari non vult ibid
Prælia quib. Itali ſuccub. 45
Præmijs qui à princ. affic. 102
Propugnaculum firmum odio populi carere 97
Provincia nuper parta qua ratione retinenda 96
in Provincia offenſa retinenda à quibus cavendum 18
Provinciæ quæ facile & difficulter retineantur 16
Provinciæ externo milite retentæ quæ patiantur 18
Providentia in imperijs retinendi opus 19
Prud. ubi perſpicua fiat 101

Prudens princeps quid provideat 19
Princip. novus acquiſitus 28
Princip. ut acquirantur 20
Principatus iure hæreditario acquiſitus 13 eius gubernandi ratio ibid
Princ. qua ratione confir. 47
Principatus ex qua cauſa magis firmus ſit 47
Princeps libeealis exactor intolerabilis efficitur 72
Princ. mil. igna. nullius pretij apud mil. 67. quibus ſtudijs ornatus eſſe debeat. 68
Princeps erga adminiſtros qualis eſſe debeat 101.102
Princ. quib. de cauſis cont. 80 quam opinionem in homin. animis infigere debeat 81
Principis boni primum præcept. ut diſcat qua ratione, loco, tempore poſſit eſſe non bonus 71
Principis ars præcipua militaris diſciplina 67
de Principis inſtitutis, quæ auctor ſcribere velit utilia & vera, non ſimula. 70.71
Principum vires quomodo æſtimandæ 42
Princ. quæ ſit præcip. cura 84
Princ. probum vel improbum, adminiſtr. unde cognoſ. 102
Principi temperant. opus 95
Princ. modo leonis. modo vulpeculæ ingen. induendũ 78
Principi quæ vitia cavenda ſi virtutes omnes aſſecutus non ſit 71
Principi quæ cavenda 80.81
Principi a quibus abſtinendũ, ne in odium incurrat 76
Principi à fortunis populi & pudicitia mul. abſtin. ibid
Principi con urationes parvi faciendæ 83
Princ. cur crimen avaritiæ non ſit fugiendum 72
Princ. conſil. capiendum 103 & cum cepit, quomodo ſegerendum ibid
Principi expendendum proprijs an alienis viribus conſiſtere poſſit 51
Principi ut beneficia inſtillanda populo 45
Principi ſalubrius amicum vel inimicum ſe declarare quam in nullam partem inclinare 100
Principi cavendum ne odio aut neglectui ſuis ſit 74
Principi cura eſſe debet procerum exiſtimatio citra odium populi 84
Principi novo quæ præcepta danda 34
Principem parcum eſſe præſtare quam raptorem 74
Principi novo ſemel tantum ſæviendum 204
Princ. hiſtor. ſunt legenda 98
Principes qui mi andi 39
Principes qui in Italia principat. amiſerunt & cur 107
Principum diverſæ naturæ & contrariæ 71
Principes noſtri cur magis ſatisfacere debeant populis

quam militibus 91
à quibus optimatibus Princeps cavere debeat 128

R.

Recta conſilia à principis prudentia derivari, non è contra. 106
Remedium adverſus conjuratores 82
Romani quæ obſervarint in ſubactis prov. retinend. 18
Romani cur civitates principes tres deleverint 27
Romani Imperij everſio ex conductitijs armis 66

S.

Savonarola quid acciderit. 31
Scipioni cur lenitas gloriæ fuit 77
Secretarij qui à principibus deligendi 103
Sententia notanda 24
Spartiatæ ut Athenas rexerint 27
Sævitiæ nomen principi aliquando parvi ducendum & cur 74
Severi imperatoris laudes 87 vulp. & leonis ingen ind. ib.
Simile de flumine montano & fortuna 109
Societas cum potentiori, non ineunda Venet. exempl. 101
Studia liberæ civitatis 79
Sultanici & pontificij imperij ſimilitudo 91

T.

Theſei exemplum 30
Turca & Gallus in quibus conveniant 24
Turcæ imperium, Darij ſimile 25.26
Turcis imperaturo major eſt habenda militum ratio quam populorum 91
Turcia qua ratione occupanda 25
Turcia cur non facile occupari poſſit 24

V.

Valentinus Borgia 23
Valentinus major Florentino populo 74
Veneti quando feliciter bella geſſerint, quando non 59
Venetorum error 21
Vita et imperium principi ante omnia conſervanda 80
Vitia illa principi non cavenda ſine quibus principatus retineri non poteſt. 71
quæ virtutes abjiciendæ ibid
Virtute qui regnum adipiſcuntur 32.33
Virtutis amator ſtudeat haberi princeps 102
Vrbs primaria munitio principi admodum utilis, & neceſſaria eſt 51
Vrſini deleti à Borgia. 35

FINIS.

INDEX QUÆSTIONUM,

QVIBVS TOTVS HIC TRACTA-
tus continetur, & abſolvitur.

I. An ut Deo ſine exceptione, ita & omnibus Magiſtratibus ſemper ſit obediendum? 376

II. An Magiſtratus omnium legũ ſuarũ rationem reddere Subditis teneatur: & quatenus illi juſtas eſſe præſumere debeant? 379

III. Quouſque obedientia iniquis, impijſue mandatis, aut præſtanda, aut neganda ſit? ibid

IV. Quomodo ſubditi à Magiſtratu injuriam paſſi, adverſus illum ſeſe tueri debeant? 380

V. An nullum remedium ſubditis oppreſſis per tyrannidem manifeſtam, prater preces & patientiam à Deo concedatur? 382

VI. An legitimi magiſtratus Tyranni facti, armis perinde cohiberi à ſubditis poſſint, ut iniqui alienæ dominationis uſurpatores: & ab ijs abdicari, à quibus primũ fuerant conſtituti? 389

VII. Quid agendum quum ordines ſeu ſtatus cogi non poſſunt ad tyrannidem aut impediendam, aut reprimendam? 430

VIII. An antiqui exactores, aut alioqui flagitoſi principes pro tyrannis ſint habendi? ut & illis reſiſtere liceat? 439

IX. An ſubditi cum ſupremis ſuis magiſtratibus paciſci certis conditionibus jure poßint? 440

X. An adverſus principes veræ religionis hoſtes & perſecutores manifeſtos, Subditi ſeſe tueri armis poßint? 442

INDEX OBJECTIONUM,

QVIBVS IN SINGVLIS QVÆ-
ſtionum reſponſionibus, occurritur.

CVm à Deo ipſo transferantur Imperia etiam ad tyrannos, non videri illis reſiſti poſſe, quin & Deo reſiſtatur 434

Cum idem videatur vel alienam dominationem per tyrannidem uſurpare, vel propriam tyrannicè adminiſtrare, idem de utriuſque generis Tyrannis ſtatui debere 434

Si magiſtratui quoquo modo reſiſti poteſt, eum qui modo ſupereminebat, mox à quovis pro privato haberi 349

Cum populus olim omne

jus

jus ſuum in principes contulerit : non poſſe amplius de illorum adminiſtratione aut poteſtate jure conqueri : & in illos inſurgere, 351. 352.

Reges nullis legib. ſubjici; ſed eſſe ſupra leges. 396. 426.

Cum jus privatum cujuſque Gentis longe differat à Iure Naturali, principes illo non perindè atque iſto teneri, 426.

Supremos Magiſtratus non habere alium Iudicem quã Deum ipſum, quod Exemplo Davidis confirmatur, 426. 427.

Exemplum Imperatoris Turcarum, qui dominationem obtinet, in ſuos nullis legibus obſtrictam, 427.

Magiſtr. imperandi : Subditis obediendi neceſſitatem incumbere. 433.

Davidem jam deſignatum regem noluiſſe Sauli cum poſſet nocere : ſed capite damnaſſe eum qui tyrannum occiderat, 434

Sedechiam à Deo reprehenſum & punitum quod à Rege Chaldæorum, violento Iudæa uſurpatore defeciſſet, 435

Deũ nominatim Iudæis mandaſſe, ut pro Nabuchad. orarent, qui eos captivos duriter tractabat, 436

Tyrannos nullos ſine Dei providentia & voluntate dominari, & populos ſubjugare. 436

Decem Tribuum Iſraelis, à Roboamo iniquo exactore, defectionem merito à Deo damnari, 437

Apoſt. Paul. & Petr. hortari pios, ut pro regib. etiam impiis, quales tunc erant Rom. Cæſares, preces concip. eoſque honorent. 438

Chriſtum iiſdem tributa ſoluiſſe: & Iudæos qui id aut denegarunt, aut prætextu religionis ſeſe illis oppoſuerunt, miſere, ac juſte periiſſe, 439

Subditorum eſſe à principũ ſuorum nutu & imperio pendere, 441

Religionem, quæ ad conſcientias pertinet, non debere vel vi vel armis, ſed verbo Dei precibus & patientia, propagari, 442

Regnum ſpiritale Chriſti à regnis mundanis longe diverſ. aliis remediis quam illa conſerv. 442. 443

Exempla Chriſti, prophetarũ Apoſtolorum; ac Martyr. ſequenda, qui nunquam magiſtratibus reſtiterunt, ſed mortẽ patientes ſubierunt. 444. 445

INDICIS FINIS.

XLIII
B
16
AC1 1167603